

C. CORNELII TACITI

OPERA

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

TOM. IV.

LIBELLUM DE GERMANIA, VITAM AGRICOLAE
ET DIALOGUM DE ORATORIBUS
COMPLECTENS.

ACCEDIT CODICUM FLORENTINORUM COLLATIO
ET INDEX ADNOTATIONUM.

HALIS SAXONUM
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
MDCCCXXXIII.

C. CORNELII TACITI
OPERA MINORA

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

HALIS SAXONUM
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
MDCCCXXXIII.

quod denuo instituta comparatio edocuit. Sed noluerunt honestissimi redemptores opus, intelligentium virorum communibus laudibus exceptum (vide, ut de multis paucas adferam, censuras Al. Capellmanni in Annal. crit. Berol. anni 1831. nr. 37. 38. 39. et Theoph. Kiesslingii, viri de Taciti scriptis nuper meritissimi, in Diariis litterar. Halens. eiusdem anni nr. 85. et 86.), inchoatum relinqui, eiusque absolvendi negotium ad me detulerunt. Quare quamvis animum meum sollicitudo quaedam non minima caperet, quomodo ego scilicet in hoc genere parum exercitatus tam honorificentissimo virorum optimorum iudicio quam ipsius editoris mortui consiliis satisfacerem, tamen illis deesse nolebam. In quo iam illud maximopere conquerendum est, quod scholasticis negotiis distractus animo saepe ad alienissima avocato aliisque impedimentis haud levioribus circumventus, quamvis strenue opus urgens et omne, quod concessum erat, otium huic impendens, prius pertexere telam non potui. Utinam igitur mora compensetur commentariorum praestantia; in quibus conficiendis religiose hanc mihi ponebam legem, ut nihil de editoris consilio, quode in praef. vol. I. p. XXXIX. sqq. exposuerat, decederem. Addidi recensum earum codicum Florentinorum lectionum, quibus Furiae collatio in Imm. Bekkeri usum instituta a Victoriana discrepat, non sine spe inde nata fore ut viri docti, quibus thesauros litterarios Florentinos adire contigerit, ad praestantissimos libros denuo excutiendos incitentur.*) Denique, ut promissis starem a Walthero praef. vol. I.

*) Dum haec scribo, ad me fertur Lectionum Tacitinarum specimen tertium ab Aug. Wissowa conscriptum et Ratiboriae anno MDCCCXXXII. editum, ubi Fr. Passovium novam collationem instituturum esse, si quando Italiam adire licuisset, promissum est.

p. XLI. factis, non sine summa molestia indicem rerum, de quibus in adnotationibus disputatum est, confeci, in quo nonnulla ab editore minus accurate explicata meliorum saltem auctorum commemoratione emendare studui.

Haec sufficerent, nisi alia restarent, de quibus quominus uberius dissererem temporis prohibuit brevitas. Pertinet huc disputatio de minoribus Taciti scriptis codicumque indole atque editionum, quarum in dies numerus augetur, auctoritate, imprimis quaestio, quae nostra aetate multos exercuit, super dialogi de oratoribus scriptore; pertinet praeterea Lexicon Tacitinum, post G. Boetticheri etiam curam uni fortasse Imm. Bekkero (Vol. I. p. XLV.) probatam maxime desideratum; quae quidem omnia ut propediem cum civitate litteratorum communicentur, equidem, quum Waltherus eorum fere nihil chartis mandaverit, operam navabo quam possum maximam.

Superest ut dicam de criticis subsidiis, quibus in emendando dialogo maxime usus sum, quorum unum idque praestantissimum iam hoc loco commemorare opus duxi, quia eo me summopere adiutum esse libenter confiteor. Codicem dico, quem ab loco, ubi nunc adservatur, Neapolitanum vocavi, cuiusque collationem Ludovicus Doederlinus, professor Erlangensis clarissimus, summa qua excellit liberalitate ad Waltherum transmiserat. Impetraverat ille eam amico intercedente a viro doctissimo Carolo Guilelmo Schluttigio Saxone (Romae mortuo d. XII. m. Octobr. a. MDCCCXXX.), qui egregium codicem ipse versaverat Neapoli, nesciens eundem esse ac Farnesianum, cuius ope summus Lipsius aureolum dialogum a foedissimis antiquarum editionum maculis liberavit, cuiusque scripturas summus Niebuhrius

quoque Bekkero nuperrime tradidit.*) Pauci tantummodo reperiuntur loci, ubi Niebuhrius ab Schluttigio dissentit, cuiusmodi diversitates infra adscripsi.**) Co-

---

*) Unus fortasse Klossmannus de cod. praestantia dubitavit, qui in *Prolegom. in Dial. de oratoribus claris qui Tacito vulgo adscribitur* (Vratisl. 1819.) p. 6. contendere ausus est: „Cod. Farnes. per totum libellum minor est fides."

	**) Niebuhr.	Schluttig.
Cap. 5.	*societate plurium*	*societate plurimum*
7.	*illustres et in urbe nosdum*	*illustres et in urbe non solum*
8.	*proprium*	*e proprium*
	et donec	*donec*
	ineunte aetate	*ineun. aetate*
9.	*genium*, quod dubitanter posuit Bekk.	*ingenium*
11.	*parant enim quid non*	*parant enim quid me*
	Vatinii (?)	*vaticinii*
	et hodie	om. copul.
12.	*more*	*maiore*
13.	*secretum*	*quietum*
14.	*urbanius*	*vibanius*
	eruditionis	*eruditiones*
16.	*tercentos*	*trecentos*
17.	*ascribitis*	*adscribitis*
	et quidem	*et quidem et*
19.	*videtur* s. *videretur*	*videtur*
		b
20.	*exspectabit*	*expectavit*
21.	*attii*	*Atti*
	sive in universa	*sive universa*
25.	*consessu*	*concessu*
	sic vel *si vere*	*si vere*
26.	*sicut bis*	*sicut his*
	tenere	*temere*
27.	*quidem*	*equidem*
29.	*vires* supra scr.	*viros*
31.	*geometrice*	*et geometrice*
32.	*etiam fateatur*	*esse fateatur*
33.	*oratorum*	*ornatorum*
38.	*erit* deest	immo scriptum est *ita erit eloq.*
41.	*ac vestras*	*ac vestra*

dicis descriptionem hanc Schluttigius cum Doederlino communicaverat:

„Codex IV. C. 21. in Catalogo Bibl. Latinae veteris et classicae manuscriptae, quae in Regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur descripto a Cataldo Iannellio sic describitur:

„Codex membranaceus in folio membrana quidem pulchra, sed in superiore margine materia quadam oleosa maculata, ora paginarum latissima instructus et accurata literarum forma descriptus saeculo XV.

1) C. Cornelii Taciti Annalium libri ab XI. ad XVI. Historiarum vero a libro I. ad V. Titulus in Codice: *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis, ex his, qui reperiuntur, Liber primus incipit. Lege foeliciter.* Similis ceteris libris praefixus est titulus, ita ut numerentur ordine libri XI: quasi hoc ipso librorum ordine auctor opus suum disposuisset, quod omnino falsum.*)

2) Dialogus de caussis corruptae eloquentiae. Titulus: *C. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus foeliciter incipit.*

3) *C. Cornelii Taciti de origine et situ Germaniae.* Sic in Codice.

4) Suetonii Tranquilli de illustribus Grammaticis et claris Rhetoribus. In Codice sub unico titulo et capite: *C. Suetonii Tranquilli de Grammaticis et Rhetoribus incipit.*

---

*) Huius itemque Vindobonens. codd. auctoritas eorum refellet iudicium (cf. Dronk. praef. p. XVII.), qui et eam ob causam dialogum Tacito non adscribendum esse opinantur, quod nusquam is cum reliquis nobilissimi historici scriptis in codd. coniunctus reperiatur.

„Tituli omnes aureis et pulchris literis conspicui. Literae omnes initiales auratae et sollertissime expictae. Orae omnium paginarum, in quibus libri initium est, saltem ex magna parte, operose et diligenter pictae. Primae paginae ora universa omnium operosissime colore vario et vario schemate exornata. Quin prima in litera N eaque aurea vir sedens est pictus in libro super genibus posito scribens, tonsura quidem, barba, cucullo et amplis ac talaribus tunicis monachum, sed ipsum fortasse Tacitum historias suas conscribentem ex pictoris mente Archaeographiae rudissimi exhibens: nam tunicae plures sunt, quam monachum decent, et coloribus rubro, caeruleo, croceo insignes, quibus monachos in communi veste numquam usos fuisse scimus. In inferiore autem paginae ora tum Senecae mors in balneo per sectas venas sanguinem effundentis, tum Romae incendium Neronianum curiose quidem sunt picta; sed vestes habitusque virorum non Senecae vel Neronis aevum, sed pictoris ostendunt."

Sed ne ex hoc quidem codice omnes sublatae sunt egregii libelli corruptelae librariorum incuria aut stupore illatae, quarum emendationem ingeniosorum hominum sagacitati*) permittere malim quam ab recens repertis exspectare codicibus. Vix enim magni sunt pretii; velut alter dialogi codex, qui in eadem urbe exstat, sed is tam recentis aetatis, ut conferendi eius molestiam super-

*) Ad id genus referendus est locus corruptissimus cap. 7., quem non infeliciter restituit nuperrime G. Bernhardyus in Lineament. encycl. philolog. p. 134. Qua occasione data addendum est cap. 10. extr. Gallorum quorundam hominum coniecturam *expressius* placuisse H. Th. Susio, Iurisconsulto Hamburgensi, ab eodemque cap. 41. pro scriptura ab omnibus servata *atqui melius fuisset* etc. emendatum esse *et cui mel. f.* etc. Vid. I. Gurlitt. Animadvers. ad auctores veteres partic. quarta, Hamburg. 1815. p. 6.

vacaneam prorsus iudicarit Schluttigius. Idem utrum de codice Sambuci (cf. Vol. I. p. XXI.) Vindobonae adservato valeat necne, si ex libri descriptione, quam nuper Aug. Wissowa in Lect. Tacit. spec. tert. exhibuit, discerni nequit, id tamen perspicies, multum adiumenti a libro, qui vel in levissimis rebus cum edit. Spir. consentit, sperari non posse. Placuit tamen huius codicis descriptionem repetere, unde quae primo volumine dicta sunt, possint suppleri. „Est autem codex ille, inquit Wissowa p. 5., numero CCCLI. insigitus, ex iis, quos egregius ille litterarum bonarum fautor et adiutor, Matthias Corvinus, Rex Hungariae, suis sibi sumptibus Florentiae, Romae aliisque locis describendos curaverat; quod nisi aliunde constaret, recte suspicarere ex insignibus illius regis gentiliciis, quae in imo margine paginae primae splendidissime pictae, puerüli alati tenent. Infra subscripta leguntur haec: *Ioann. Sambuci, Pannonii,* 1563. Codex est membranaceus, formae maximae, foliisque constat ducentis triginta sex. Continet Annalium libros XI.—XVI., quibus statim continuantur Historiarum libri, nulla singulorum librorum integrorumve operum interposito titulo. Annales desinunt in verba: *graves cruciatus afferente conversis in Demetrium.* Historiae terminantur verbis: *gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem*, quae verba leguntur medio capite XXIII. libri quinti, ut tria capita et dimidium, quae in aliis codicibus exstent, desiderentur in Vindobonensi. Consentit igitur in ea re Vindob. cum cod. Vaticano 1863., Regio Parisiensi et editione principe Vindelini Spirensis. Historiarum libros excipit libellus de Germania; ordinem claudit Dialogus, cui ab altera manu praescriptum: *De oratoribus suis et*

antiquis comparatis. Additum est alio atramento aliaque manu, nescio an Sambuci, *Quinctil.* Agricolae vita plane abest a codice Vindob. In calce libri nihil est coronidis loco subscriptum. Scriptura est recens quidem, sed nitidissima; compendia paucissima. Litterae initiales magna arte sunt exornatae."

Ceterum nihil magis habeo in votis, quam ut eundem favorem, quo priora volumina VV. DD. exceperunt, in hoc quoque et in Lexicon mox subsequuturum velint transferre.

Hal. Saxon. m. Ianuar. MDCCCXXXIII.

Freder. Aug. Eckstein,
Phil. Doctor.

C. CORNELIUS TACITUS

DE

SITU, MORIBUS ET POPULIS GERMANIAE.

VOLUMEN IV.

C. CORNELIUS TACITUS

DE

SITU, MORIBUS ET POPULIS GERMANIAE.

BREVIARIUM LIBELLI.

Cap. 1. Germaniae situs. 2. incolae indigenae. auctores gentis. nominis origo. Hercules. 3. baritus. ara Ulixis. 4. Germani, gens sincera. habitus corporum. 5. Terrae natura. non aurum, non argentum, nec aestimatum. 6. Germanorum arma, equitatus, peditatus, ordo militiae: 7. reges, duces, sacerdotes: 8. feminarum virtus et veneratio. Veleda. Aurinia. 9. dii, sacra, simulacra nulla. 10. auspicia, sortes. ex equis, e captivo praesagia. 11. Consultationes publicae et conventus. 12. Accusationes, poenae, ius redditum. 13. Scuto frameaque ornati iuvenes, principum comites. eorum virtus et fama. 14. Gentis bellica studia. 15. In pace venatio, otium. Collata principibus munera. 16. Urbes nullae. vici, domus, specus suffugium hiemi et receptaculum frugibus. 17. Vestitus hominum, feminarum. 18. Matrimonia severa. dos a marito oblata. 19. pudicitia. adulterii poena. monogamia. liberorum numerus non finitus. 20. Liberorum educatio. Successionis leges. 21. Patris, propinqui amicitiae inimicitiaeque susceptae. homicidii pretium. Hospitalitas. 22. Lotio, victus, ebriorum rixae. consultatio in conviviis. 23. Potus, cibus. 24. Spectacula. aleae furor. 25. Servi, libertini. 26. Fenus ignotum. Agricultura. Anni tempora. 27. Funera, sepulcra, luctus.

28. Singularum gentium instituta. Galli, olim valida gens, in Germaniam transgressi, Helvetii, Boii. Aravisci, Osi, incertum genus. Germanicae originis populi Treveri, Nervii, Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii. 29. Batavi Cattorum proles. Mattiaci. Decumates agri. 30. 31. Cattorum regio, habitus, disciplina militaris; vota virtutis incentiva. 32. Usipii, Tencteri equitatu praestantes. 33. Bructerorum sedes a Chamavis et Angrivariis occupatae. 34. Dulgibini. Chasuari. Frisii. 35. Chauci pacis studio, iustitia et virtute nobiles. 36. Cherusci et Fosi a Cattis victi. 37. Cimbrorum parva civitas, gloria ingens. Romanorum clades. Germani triumphati magis quam victi. 38. Suevorum numerus, mores. 39. Semnonum religio, victimae humanae.

40. Langobardi. Reudigni. Aviones. Angli. Varini. Eudoses. Suardones. Nuithones. Herthae cultus communis. 41. Hermunduri. 42. Narisci. Marcomani. Quadi. 43. Marsigni. Gotini. Osi. Burii. Lygiorum civitates, Arii, Helvecones, Manimi, Elysii, Nahanarvali: horum numen Alcis. Gotones. Rugii. Lemovii. 44. Suiones classibus valentes. 45. Mare pigrum. Aestyi, matris deum cultores, succinum legunt. Sitonibus femina imperat. 46. Peucini, Venedi, Fenni Germani an Sarmatae? Eorum feritas, paupertas. Hominum monstra Hellusii, Oxiones.

I. Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. ce-

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Germania omnis.* Vocabulum *omnis* additur, ut intelligas nunc esse sermonem de toto Germaniae circuitu, nec de Germaniae uno vel altero latere (*Germanien in seinem ganzen Umfange*). Sic Caes. B. G. 1, 1. *Gallia est omnis divisa in partes tres* etc. Postponitur *omnis*, quia vis orationis cadit in *Germania*, quae quomodo sit intelligenda, enuntiatur per additum *omnis*. Contra Sueton. Iul. c. 25. *Omnem Galliam . . . in provinciae formam redegit.* Sallust. Iug. c. 13. *fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur.* Beckerus (in libello *Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania, Hannover.* 1830.) contendit vocabulum *omnis* eam habere vim, ut Germania magna vel barbara opponatur Germaniis et inferiori et superiori, provinciis Romanis, utque *Germania omnis* sit *das eigentliche Germanien:* quae sententia quomodo illi vocabulo inesse possit, non assequor.

a Gallis Raetisque et Pannoniis. Codd. MSS. et veteres editiones *Raetiisque.* Sed quia apud Tacit. Hist. 1, 11. 2, 98. 3, 5. 8. 15. 4, 70. An. 1, 44. German. c. 3 et 41. unius tantum Raetiae mentio est et Raetiarum adpellatio Taciti aetate recentior esse videtur, Ernestius, Broterius sqq. suadente Cellario (in Geogr. Ant. T. I. lib. 2. c. 8. p. 547. et 548.) rectius ediderunt *Raetisque*, ut sit populi nomen. Nam licet Tacitus etiam An. 2, 60. (*Libya, Aethiopia, Medisque et Persis* etc.) populorum et terrarum nomina misceat, aptius haud dubie hic inter Gallos, Pannonios, Sarmatas, Dacos ponuntur *Raeti* quam *Raetiae.* — Editiones Lipsii posteriores, Pichen. Gruter. sqq. ad Ernestium ferunt: *a Galliis Rhaetiisque et Pannoniis*, quod inter recentiores retinuit Seebodius. — Cum Tacito de situ Germ. comparare iuvat Melam 3, 3. et Ptolemaeum 2, 11. De scriptura vocabuli *Raetis* cf. not. ad An. 1, 44. Hoc loco libri veteres variant inter *Rhaetiis, Rhetiis, Raetiis* (uti MSS. Vaticc. 1518. et 4498.) et *Reciis* (uti MS. Stuttgart.).

mutuo metu. MS. Bamberg. teste Lipsio *mutuo ictu.* Ceterum sententia loci est haec: Germanos a Sarmatis Dacisque partim montibus separari, et ubi montes non sint, mutuo metu. cf. not. ad Hist. 4, 71. sub vv. *aut Mosella.* Frustra igitur Iohn Hill Tacitum increpat, tanquam ad causas tam diversas effectum eundem revocaverit, neque Buhlius satis recte respondit Tacitum incertum haesisse, utra sit causa, et disiunctive utram-

tera Oceanus ambit latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam genti-

que attulisse, ut iudicium esset penes lectorem. cf. eius observv. crit. p. 40. Quod multum a vero abest.

cetera. Ed. Monac. teste Passovio *ceteram.* Sed ceteri libri vulgatum tuentur.

Oceanus. MS. Stuttgart. *occeanus* et mox *occeano.* cf. not. ad Hist. 4, 12. An. 14, 32. et alibi.

latos sinus. Passovius intelligit non maris sinus, sed terrae, h. e. oras maritimas in Oceanum procurrentes. cf. infr. c. 37. *eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent.* Oceanum enim contendit neque se ipsum neque sui ipsius partes complecti, sed terras, paeninsulas, insulas. Contra Passovium disputant *Rühs* (*Ausführl. Erläuterung der ersten zehn Kapitel* etc. p. 69.), *Dilthey* aliique, qui cum Brodovio maris sinus intelligunt, ut ostia Mosae, Rheni, Visurgis, Albis, neque tamen exemplis probant *latos sinus complectentem* Oceanum dici posse ea sententia qua volunt: memorant tantummodo ita dici posse, id quod Passovius negat. Sunt tamen exempla, quis satis apte probetur *complecti* dici pro *umfassen* eo significatu, ut sit *in sich enthalten.* cf. Plin. epp. 3, 9. *non esse epistolam longam, quae tot dies, tot cognitiones, tot denique reos causasque complexa sit.* Sed rectius fortasse hic agnosces id dicendi genus, quod vocatur *συνεζευγμένον.* cf. not. ad An. 2, 20. sub vv. *quod arduum* etc. et Ramshorn. Gr. §. 206. b. 2. Verbum *complectens* proprie convenit insularum immensis spatiis: *ἀναλόγως* illud intelligendum est ad *latos sinus.* Ceterum *lati sinus* sunt ipsae maris Germanici et Baltici partes maiores: nam ostia amnium vix dici possunt *lati sinus.* Video Beckerum l. l. eandem huius loci explicationem proposuisse.

insularum immensa spatia. In ed. Oberlini per vitium operarum voc. *insularum* intercidit: idque restituere neglexerunt Naudetus aliique. Ceterum *insularum immensa spatia* intellige terras Danicas, Norvegicas, Suecicas, quarum vera natura tum nondum innotuerat. Weikertus hic et c. 2. vocabulum *immensa* male interpretatur *ungemessen*, ut indicet „*Mangel an näherer Kenntniſs.*" Tu vero accipe de ingenti magnitudine.

nuper cognitis. Lipsius cogitat de Domitiani imperio, qui expeditiones in Cattos Sarmatasque fecit, cf. Sueton. Dom. c. 6. Xiphil. 67, 4. 5. Broterius nos remittit ad monimentum Plautii Aeliani (cf. Hist. 4, 53.), quod exstat apud *Piranesi Antich. Rom.* tab. 11. sqq. Ibi Plautius propraetor Moesiae dicitur *plura quam centum millia ex numero Transdanubiorum ad praestanda tributa cum coniugibus ac liberis et principibus aut regibus suis transduxisse, ignotos ante aut infensos populo Rom. reges signa Rom. adoraturos in ripam quam tuebatur perduxisse* etc. At nunc de alia regione sermo est. Colerus rectius huc trahit expeditiones Drusi et Germanici. cf. Strabo 7., p. 291. Sueton. Claud. c. 1. Tacit. An. 2, 8 sqq. Praecipuam illius Oceani cognoscendi occasionem praebuit clades An. 2, 24. enarrata. Vid. et Vellei. 2, 106. de expeditione Tiberii, ubi adfirmatur classem, quae Oceani circumnavigaverit sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumini Albi subvectam. cf. Plin. N. H. 2, 67. 4, 27. Vocabulum *nuper* non stricte valet de re ante breve tempus facta, sed longius etiam spatium designat opponiturque in universum rebus antiquis. Cicer. de N. D. 2, 50. *Quid ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingeniis reperta sunt?* cf. Duker. ad Flor. 1, 11. Ernest. Clav. Cic. h. v.

bus ac regibus, quos bellum aperuit Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus modico flexu in Occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danubius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat. septimum enim os paludibus hauritur.

ac regibus. MS. Stuttg. *et regibus.*

Rhenus cf. An. 2, 6. Caes. B. G. 4, 10 Mela 3, 2.

modico flexu in O. versus. *Modicum flexum* Beckerus accipit illum, quo Rhenus in Occidentem vertitur Brigantiam inter et Basileam. Dilthejus rectius cogitat de flexu, qui fit apud Arenacum. *Versus*, quia deest copula ante *modico*, Ernestio et Broterio aliisque habetur pro praepositione pleonastice posita: rectius alii participium esse censent. Nam copula ante *modico* plane non necessaria est, si cum Dilthejo *flexum* intelligis: sin cum Beckero, vix omitti copula potest. Ed. Monac. omittit vocabulum *versus.* cf. Hist. 2, 83. *versum in Italiam mare;* 1, 76. *versae in Orientem provinciae.*

Danubius. cf. Plin. 4, 12.

molli et clementer edito. Opp. *inaccesso ac praecipiti.* Ita *molle* dicitur id quod non est arduum aut molestum. cf. Plin. epp. 9, 7. *haec unum sinum molli curvamine amplectitur, illa editissimo dorso duos dirimit.* Cod. Hummel. teste Sellingio pro *et* exhibet *ac clem.*

Abnobae. In hoc nomine libri scripti et editi insigniter variant. *Arbonae* codd. MSS. Vaticc. 1518. et 4498. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Paris. — *Arbone* MS. Tur. — *Arnobae* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. edd. Norimb. Rhen. (1519.) — *Arnobe* MS. Stuttgart. — *Anribae* MS. Bamberg. teste Lipsio. — *Arnibae* MS. Arundel. — *Abnobae* primum repertum est in margine edit. 1497. e coniectura Hermolai Barbari: in contextu ita habent edd. Benedict. 1507., Rhenan. 1533. (tanquam e cod. Artolphi), Ald. sqq. Confirmarunt eam scripturam monimenta annis 1778. et 1784. in silva illa reperta hac inscriptione: *Deanae Abnobae.* cf. Oberlin. ad h. l. et Gerbert. in Historia silvae nigrae Tom. I. p. 7. et Tom. II. p. 243. Favet etiam tertia inscriptio, quam Tutelius descripsit in Seebodii Arch. ann. 1826. p. 153. Eadem est recepta scriptura apud Plin. N. H. 4, 24., quanquam et ibi veteres libri variant. Sunt tamen qui dubitent, an contra codd. MSS. et editiones veteres *Abnobae* sit admittendum. cf. Seebodii Biblioth. crit. ann. 1819. p. 298. et ann. 1828. nr. 8. Molter. in Ersch. et Gruber. Encycl. Vol. I. p. 145.

plures. Ed. Paris. *pluris.*

sex meatibus. Herodot. 4, 47. recenset quinque ostia; Plin. N. H. 4, 12. sex; Strabo 7., p. 469. et Mela 2, 1. 76. septem.

erumpat. Sic MSS. Vaticc. Stuttgart. Hummel. edd. Paris. Norimb. Vienn. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ad Pichenam, qui edidit *erumpit*, idque exstat in edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat. Rhenan. (1519.). Uter modus sit praeferendus varie disputant interpretes. Passovius humani quid passus est, dum scripsit *donec* cum coniunctivo contra Taciti morem esse. Quae vera sit huius particulae ratio disces e notatis ad An. 2, 6. sub vv. *donec Oceano misceatur.* Dis-

II. Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos; quia nec terra olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant: et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navi-

putavit de hac re etiam vir doctus in Ephemer. lit. Ienens. 1825. nr. 94. p. 267. et alius in Supplement. 1829. nr. 91.

septimum enim. Particula *enim* in MS. Stuttgart. edd. Norimb. et Paris. non apparet.

Cap. 2. *Ipsos Germanos.* Vocabulum *ipsos* transitum facit a sermone de Germanorum terra ad ipsos. Sic Agric. c. 13. *ipsi Britanni* etc.

minimeque. Ed. Paris. negligit copulam. — Mox eadem pro *adventibus* exhibet *adventu*, quod nuper placuit Walchio. At ceteri libri tuentur vulgatum et possunt esse adventus alii alio tempore facti. *Adventus* accipe de accessu peregrinorum hominum, qui sedem fixerint in Germania (*Einwanderung und Niederlassung*): *hospitia* de accessu peregrinantium et hospitum nomine inrepentium.

nec ...: et ... De hac formula cf. Ramshorn. Gr. §. 179. p. 527. Passov. ad h. l. et Beier. ad Cicer. Off. 1, 21. p. 169.

advehebantur. Ed. Paris. *advehebant*, quod ex usu rariore ferri posse censet Hessius (Var. Lectt. et Observv. in Tac. Germ. Com. I. p. 2.). cf. Vechner. Hellenol. p. 68. Ellendt. ad Cic. Brut. 97. Moser. ad Cic. de re publ. 3, 9. p. 356. Cic. de N. D. 1, 28. ibique interpretes. Ceterum *advehebantur* de classibus proprie dictum ad verbum *terra* *ἀναλόγως* intelligitur. cf. not. ad An. 2, 20.

adversus Oceanus. Sic libri veteres consensu. Quaerunt viri docti praeeunte Acidalio, an non melius sit *aversus* h. e. qui quasi a nobis sese avertit. Lipsius coniecit *obversus;* vulgatum tamen retinuit atque explicuit: „quasi mari Italico et Tyrrheno oppositus." Pichena: „quasi vestigiis nostris oppositus, ut antipodes." cf. Cicer. Somn. Scip. c. 6. *qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim etiam adversos stare nobis.* Nimirum *obliqui* (Graecis *περίοικοι*) adpellantur, qui in eodem latitudinis geographicae gradu dimidio circulo a se distant adeoque anni tempestates nobiscum easdem, horas oppositas habent; *aversi* (*ἄντοικοι* s. *ἄντωμοι*), qui eodem quidem meridiano, sed alterius hemisphaerii subiecti nobiscum easdem horas, sed oppositas anni tempestates habent; *adversi* denique (*ἀντίποδες*), qui ita terrae insistunt, ut vestigia sibi sint opposita. cf. *Frid. Blau, Comment. de ambitu terrae, ab Eratosthene et Posidonio diversis numeris definito.* Nordhus. 1830. p. 5. 8. Adde Cic. Q. Acad. 2, 39. *Dicitis etiam esse e regione nobis, e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodes vocatis.* Iam quia *adversus Oceanus* hoc loco hyperbolice dicitur (nam revera *adversus* Oceanus ille non est), Tacitus praemittit verba: *utque sic dixerim.* Probant mecum Pichenae interpretationem Strombeckius, Passovius, Orellius, Hessius aliique. Alii vocabulum *adversus* explicant de incommodis et periculis navigationis (*widerstrebend, unwirthlich*, Luden *Gesch. d. t. V.* Tom. I. p. 12. cf. Seebod. Bibl. crit. 1825.

bus aditur. quis porro praeter periculum horridi et ignoti maris Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret? informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae et annalium genus est) Tuisconem deum terra editum.

p. 196. — Becker. l. l. p. 27. et Seebod. Bibl. cr. 1828. p. 42. *der die Schifffahrt aus unserm Meere hindernde, uns entgegenströmende Ocean.* Et ita fere Wernsdorfius apud Hess. Var. L. etc. II. p. 2. cf. Liv. 28, 30. *Quinqueremem satis credens deprensam rapido in freto, in adversum aestum reciprocari non posse* etc. Sed tum minime apparet, cur scriptor addiderit verba: *utque sic dixerim.* Immo oppositum illud: *ab orbe nostro* satis indicat vocabulum *adversus* de alio quasi orbe esse intelligendum. Sunt etiam qui Acidalii coniecturae faveant: et Thiersch. in *Act. Phil. Monac.* T. III. fasc. 3. p. 460. sq. locum ita transponit: *et immensus ultra, utque sic dixerim aversus ab orbe nostro Oceanus raris navibus aditur.* Quam transpositionem esse inutilem docuit Grotefendus apud Hess. Var. L. et O. I. p. 3. Adiicio eam molestam atque mendacem esse. Nam populi circum illum Oceanum habitantes non carebant navibus naviculisque, quis maria sua adirent. Igitur non omnino raris navibus adiri Oceanus ille dici poterat: sed ab orbe Romano rarae illuc naves meabant.

nisi si. cf. not. ad An. 2, 63. sub vv. *ne si quando insolescerent.* MSS. Tur. Hummel. Stuttg. *nisi sibi* ex inscitia librariorum, qui quid sibi vellet *si* nescirent.

genus est. Sic MS. Stuttgart. edd. Paris. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *genus sit* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Rhen. (1519.). Utrumque recte dici potuit, sed diversa ratione. *Sit* est coniectantis, *est* pro certo adfirmantis. Seebodius verbum *est* uncinis inclusit ut spurium. cf. Bibl. crit. 1819. p. 298. Hessius contra illum id verbum defendit animadvertitque Tacitum in sententiis interpretandi causa adiectis saepius usurpare verbum substantivum. Scilicet usurpatur in iis sententiis, quis potissimum id agitur aliquid esse vel non esse, uti hic (*vorhanden ist*). cf. Hist. 2, 80. *ubi illis consultare mos est.*

Tuisconem. Sic MSS. Tur. Stuttg. Hummel. (in margine, t. Selling.) edd. Norimb. Paris. Monac. Vienn. Rhag. Rom., idque suadente Conringio in locum receperunt Ernest. Oberlin. Passov. Dilthej. Walch. — *Tuistonem* ferunt MS. Vatic. 1518. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Alc. Rhenan. (1519. et 1533.) Ald. sqq., idque retinuerunt inter recentiores Dithmarus, Broterius, Hessius, Hackius. — *Thuistonem* scribunt Bipont. et Seebod. absque veterum librorum auctoritate. — *Tristonem* MS. Vatic. 1862. (in margine *Tuisman*). — *Bistonem* MSS. Vatic. 1498. et Farnesianus Lipsii. - *vistonem* cod. Hummel. in contextu. — Wachterus coniectabat *Tutisconem*; Cluverius *Tuitonem*; Gebauerus in Vest. iur. Germ. ant. p. 926. *Tutiscottem deum, terra editum ei* (vel *et*) *filium Mannum.* Derivat illud a *thuid* gens et *cott* deus, ut sit gentis deus. Luden (*Gesch. d. t. V.* Tom. I. p. 597.) *Tuisconem* habet pro adiectivo, *Mannum* pro substantivo, suspicaturque a Tacito e voce Germanica *Tuisco Mann* (*de düdsko Mann = der deutsche Mann*) duos conditores gentis *Tuisconem* et *Mannum* esse fictos. Sed trepidat crisis in tali re.

et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tris filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur. quidam ut in licentia vetustatis,

et filium. Edd. Norimb. et Rom. *ei filium.* (et) MS. Stuttg. *ei filium.* MS. Arundel. *eius filium.* Ed. Paris. *editum. Cui* etc.

Mannum. Sic cod. Hummel. in margine, in textu *Marnum.*

conditoresque. Sic edd. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *conditorisque* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Rom. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pogg. Norimb. — *conditoremque* (rem) MSS. Arundel. Hummel. — *conditoriosque* MS. Stuttgart.

e quorum nominibus. De locutione cf. Iustin. 15, 48. Cicer. Lael. c. 8. Sallust. Iug. c. 78.

Ingaevones. MS. Stuttg. *Ingaenones.* Ed. Micyll. *Vigaeuones*, in margine † *Ingaeuones.* — *Ingevones* edd. Paris. et Viteb.

Herminones. Sic MSS. Tur. Stuttg. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Beroald. Alc. Rhen. (1519. et 1533.) Ald. Lips. sqq. et nuper Passov. Hess. Walch. Pugnant pro hac scriptura von der Hagen. *Irmin.* p. 27. et Grotefend. apud Hess. Var. Lectt. I. p. 5. — *Hermiones* MSS. Vaticc. edd. Rom. Norimb. Rhag. Ernest. Oberlin. Bekker. al. Fallitur igitur Hessius, qui in Var. Lectt. I. p. 4. adfirmat *Hermiones* praeter edd. Rom. et Norimb. in veteribus libris non exstare. Ernestii oculos fefellit scriptura ed. Put. *Hermĩones*, ut traderet ibi esse *Hermiones:* verum illud legendum est *Herminones.* Broterius coniecit legendum esse *Hermivones*, quasi terminatio sit a *wohnen.* Consentit Bredovius ad h. l. Apud Plin. N. H. 4, 14. leguntur *Hermiones*, quanquam et ibi libri variant. Mela 3, 3. *Hermones* vocat.

Istaevones. MS. Stuttg. *istae-* (v) *nones.* Ed. Paris. *Istevones.* — Iam hoc satis certum est ex ipso Taciti loco filiorum Manni nomina hisce vocabulis subesse, quae secundum Conringii coniecturam fuere *Iugaef*, *Istaef* (Iustaef, Gustaf) et *Hermin*, secundum Mone, *Gesch. d. nord. Heidenth.* II. p. 5., *Inga*, *Hermin*, *Ista.* Grotefendo apud Hess. Var. Lectt. II. p. 3. *Ingaevones* sunt *Ingauer* h. e. Autochthones (a voc. *gawa*, *gewe*); *Istaevones* a *stawa*, *stewe* (nostrum *Staab*) pro *Idstaevones* (ut *Sygambri* pro *Südgambri*), *Bundesverwandte; Herminones freie und von einander unabhängige Völker.* Alio modo idem vir doctus haec nomina explicuerat apud Hess. Var. Lect. I. p. 5. Ricklefsius ad h. l. „*Ingaevonen* Küstenbewohner, von *Aigen* Meer und *wohnen; Hermionen* Hochländer von *Ar* Berg, Stein oder *her* hoch, und *Istaevonen* Niederländer von *ist* niedrig."

quidam ut in licentia vet. Sic MSS. Vaticc. 1862. et 2964. Arundel. Stuttg. (teste Hessio) edd. Rom. Norimb. Paris. et nuper Passov. Hess. Dilthej. — *quidam autem licentia* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. sqq. et nuper Ernest. Broter. Oberlin. Bekker. alii. Sed Tacitus rarius utitur particula *autem* et semper in strictiore oppositione (cf. An. 3, 53. 73. 4, 28. 6, 5. al.), nunquam in recensendis variis sententiis iuxta positis, uti hic. At particulam *ut* huic loco eximie convenire docent exempla. Hist. 1, 4. *ut erga principem novum et absentem.* Agr. c. 11. *ut inter barbaros.* Neque tamen *ut* ita positum coartat aut circumscribit sententiam, quemadmodum

plures deo ortos pluresque gentis adpellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios adfirmant: eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum; quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc

visum est Hessio, sed reddit rationem estque pro *utpote*. Egit etiam de h. l. I. C. Schoberus in Comment. de Tacit. Germ. c. 2. §. 5—7. 1827. 4. Is non satis recte *ut* per *quasi*, *velut* explicat.

deo ortos. Bipontini frustra coniecerunt: *de eo* (Manno) *ortos*. Idem legitur in cod. Hummel. contextu; sed ab eadem manu in margine exaratum est *deo*.

Marsos, *Gambrivios*, *Suevos*, *Vandalios*. *Marsi* dicti sunt a voce *Marsch*, terra uliginosa, ut *Dithmarsen*, *Stormarsen*. *Gambriviorum* nomen Wachterus deducit a *gam* vir et *brig* pons, pro quo Longolius vult *bruch*, locus palustris. *Vandalios* alii derivant a *wandeln*, alii a *Wand* seu *Wend* h. e. litus. Pro *Marsos*, *Gambrivios* MS. Stuttgart. (teste Hessio) fert *marsossi gambri v os*, ut vera scriptura videatur fuisse *Marsos*, *Sigambros*. Utrum ibi sit *Vandalios* an *Wandalios* discerni nequit. Sed *Vandalios* ferunt MS. Tur. edd. Spir. Kath. Paris. Beroald. Alciat. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et nuper Hessius, Bekkerus, alii. — *Vandalos* MS. Arundel. edd. Put. M. et V. Monac. Vienn. Rhen. (1519.) Passov. Dilthej. Walch. — *Vandilios* edd. Norimb. et Rom. — *Vandileos* Hummel. in margine. — Pro *Suevos* ed. Paris. habet *Suetios*, ed. Spir. *Suenos*. — Ceterum de populis Germaniae vid. Plin. N. H. 4, 14.

Germaniae. Hoc vocabulum, explosa Strabonis opinione (qui 7., p. 290. derivat a voce Latina *germanus*), alii factum volunt a *Wehr* (*guerre*) vel a *Ger* (hasta) et *man*, ut intelligas *Kriegsmänner*; alii deducunt a voce *Ehre* sive *Here*; alii alia opinantur. Verisimillima est explicatio, quam primo loco posui. Nam e seqq. satis patet terrorem nomini inesse.

nuper. cf. not. ad c. 1. Opponitur antiquitati. Nam *Germaniae* vocabulum inde a Iulii Caesaris temporibus in usu fuit apud Romanos. Locus in Fastis Capitol. ad ann. U. C. 531. apud Gruter. I., p. 297. multis suspectus est; pro *Germanis*, quod ibi exstat, *Genomanis* legendum esse censent secundum Polyb. 2, 17. cf. Rühs p. 93 sqq., contra quem pro *Germanis* disputat Dilthejus ad h. l.

additum. Lipsius coniecit *auditum*. Frustra et male. Nam *nomen additum* opponitur *nomini adsumpto*. Hoc est quod quis sibi ipse indit, illud quod ab aliis alicui inditur, idque valet de nomine Germanorum, quod genti ob metum additum esse Noster dicit.

expulerint. Longolius animadverterat ideo Tacitum uti coniunctivo, quod hoc pro vero habeat. Hessius illum refellit additque sic scripsisse Tacitum ob orationem obliquam. Sed obliqua etiam oratio patitur indicativum in eiusmodi locis, si res ipsa certa est. cf. not. ad An. 2, 26. Sed hic recte ponitur coniunctivus, quia res pendet e narratione adfirmantium neque aliunde de eius veritate constat.

ac nunc . . . tunc. Sic suadente Lipsio Pichena reposuit e MS. Bamberg., cum quo consentiunt MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Rom. Pogg. — *ac tunc . . . nunc* edd. Norimb. et Kapp. anno 1788. — *nunc . . . nunc* (omissa *ac*) edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ante Pi-

Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore

chenam, et postea Longol., Seebod., Teubert. — *ac nunc* . . . *nunc* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.). — Pichenam imitati sunt Passov. Hess. Bekker. Walch. al. Recte. Nam *Advatuca*, quae Caesari B. G. 2, 4. est Germanorum civitas, Ptolemaeo 2, 9. dicitur *Tungrorum*, ut ita qui apud Caesarem Germani, Ptolemaeo sint Tungri. Ad verba *nunc Tungri* e sqq. intellige *vocentur*. Similis locus est c. 36. *Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur*.

vocati sint. Sic codd. MSS. Vatic. 4498. Stuttgart. aliique, edd. Spir. Puteol. sqq. — *vocati sunt* ceteri codd. MSS. Vaticc. edd. Rhag. Paris. Alciat. Ceterum tempus *vocati sint* indicat Tungros transgressos demum nomen Germanorum accepisse, neque vero attulisse e regione Transrhenana. Hoc esset *vocarentur*.

ita nationis nomen, non gentis. Sic codd. MSS. et veteres editiones recentioresque usque ad Bipontinos et Oberlinum unanimi consensu, et nuper Passovius, Hessius, Walchius al. — Bipontini, Oberlinus, et qui eos sequuntur, legunt: *ita nationis nomen in nomen gentis*. Frustra et nulla emendationis necessitate. Tacitus cum emphasi dicit *non gentis:* nam id potissimum vult docere nomen Germanorum ab initio non gentis, sed nationis fuisse. Brevius scribit pro: *ita nomen, quod nationis nomen fuerit, non gentis, evaluisse* etc. More suo resecat, quae intelligi poterant. Verbum *evaluisse* absolute ponitur et satis habet quo referatur; pertinet enim ad *ut*. Sic infr. c. 28. *ut quaeque gens evaluerat*. Quintilian. 9, 3, 13. et 8, 6, 33. et Spalding. ad Quint. 10, 2, 10. — De usu particulae *ita*, qui hic valeat, vide Ramshorn. Gr. §. 203. p. 673. 1). Est nostrum *demnach*. Sunt vero qui *ita* non satis recte explicent *adeo, tantopere*. cf. Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 361. et Hess. ad h. l.

evaluisse. MS. Stuttgart. *coaluisse*.

ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur. Sic codd. MSS. et veteres editiones omnes, nisi quod in nonnullis post *mox* additur *et* (Vaticc. 1518. et 4498. Arund. Stuttg. Hummel. edd. Paris. Vienn.), in aliis *etiam* (Vat. 1862.). — In MS. Bamberg omittitur vocabulum *Germani*, adprobante Lipsio, qui locum explicuit in hunc modum: „Factum, ut omnes, qui Rhenum accolerent, nomen ab ista victrice natione invenirent, ob metum scilicet recentem Gallorum, qui quoties de transgressis vel adventu Transrhenanae nationis audirent, aiebant trepidi adventare Germanos: at isti proprie Germani novum nomen invenirent a se ipsis, discriminandi nimirum causa, et dicerent se Tungros." Vulgatam scripturam ita retineri posse censebat, ut legatur: *a re ipsa invento*. Cluverius emendabat: *primum victores a victis ob metum* (Germani), *mox a se ipsis invento nomine* (Tungri) *vocarentur*. Harlaeus: *Gallos expulerint, hinc Germani vocati sint* etc. Tum: *omnes primum a victis ob metum, mox a re ipsa inv. n. G. v.* I. Fr. Gronovius: *a victrice*, intell. natione. dein cum cod. Bamberg. idem omittit *Germani:* verba *invento nomine* refert ad Suevorum, Cattorum, Sigambrorum, Cheruscorum etc. nomina. Leibnitius: *primum a victo*. Dithmarus: *primum a victis*, quod Bredovius et Weikertus ediderunt. Frid. Wilken. in Annal. lit. Heidelb. sect. philol. 1808. Part. I. p. 75. *mox*

ob metum, mox a seipsis invento nomine Germani vocarentur.

a seipsis, invecto nomine, G. v. Moebius in Athenaeo fasc. I. p. 160. *ut omnes, primum a victo, re ob metum, mox a seipsis invento nomine G. v.* Vir doctus in Ephemer. lit. Ien. 1818. mense Novembr. *vicino ore* (ob celticam originem nominis Germanorum). Huschkius in Seebod. Bibl. crit. 1821. p. 409 sq. *a fictore;* alius ibidem *e victore.* Günther. in Ephemer. lit. Hal. 1821. Novembr. nr. 276. *apud ipsos.* Vir doctus in Ephemer. lit. Ien. 1818. Aug. *ut primum victores a Gallis ob metum, mox omnes a seipsis, invento n. G. v.* Demarées in Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 185 sq. *Ita nationis nomen evaluisse paulatim, ut omnes, primum a victore ob metum invento nomine, G. v.* Alia de hoc loco disputata sunt in Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 360. et 634. ibid. 1825. p. 197. ibid. 1824. p. 233. ibid. 1830. nr. 70. — in Seebod. Archiv. an. 1824. p. 809. ib. 1825. p. 97. 332. 780. et in Ephem. scholast. 1830. II. nr. 125. itemque a Sellingio in *Observv. critt. in Taciti Germaniam.* August. Vindelic. 1830 editis, p. 3—8. Sed vix cuiquam gratum erit conquiri omnia omnium commenta super hoc loco effusa. Nam hic locus quasi scopus fuit, quem multi telis suis peterent non sine vario errore. Hodie plerique cum Boxhornio, Conringio et Walchio vulgatam scripturam defendunt: in explicando loco diversas partes sequuntur. Et Walchius quidem in Emendationibus Livianis p. 79. verborum sententiam talem constituit: „Ita unius populi nomen, non autem gentis universae nomen paullatim hominum usu vim obtinuisse; ita ut Germaniae incolae primum secundum victores Tungros ab iis, qui sibi metuebant ab illis, mox a semetipsis invento nomine Germani appellarentur." Igitur verba *a victore* putat dicta, ut Graecorum *ἀπό τινος ὀνομάζεσθαι.* cf. Cicer. de Off. 3, 33. *ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati.* Obstat huic interpretationi, quod in membris invicem oppositis: *a victore . . . . a seipsis* diversa praepositioni *a* tribuitur significatio, quod fieri nequit. Adfirmat quidem Passovius in Bibl. crit. 1822. p. 177. verba *a seipsis* non esse opposita prioribus: oppositionem potius esse in *primum* et *mox.* At luce clarior est oppositio illa, qua sese excipiunt *a victore* et *a seipsis.* Quare alii *a* in *a victore* accipiunt pro *ὑπό* (cf. Grotefend. in Bibl. crit. 1822. p. 361. sqq.) hac sententia: „primum Tungri (victor) nomen Germanorum, quod ipsi nacti erant, transtulere ad Transrhenanos omnes ob metum Gallis iniiciendum, mox ipsi Transrhenani inventum nomen accepere et Germanos se vocaverunt." Verum ita locus nondum sanus est: non enim apparet, quomodo Tungri nomen Germanorum ad Transrhenanos transtulisse possint dici. Quid multa? Veram loci explicandi rationem nemo adhuc invenit. Male omnes sententiam detorquent, dum prave accipiunt verbum *invento,* quod est neque *erfunden* nec *vorgefunden* nec denique *aufgefunden.* Immo *invenire nomen* dicimur ab aliquo vel ab aliqua re, si quis auctor vel si qua res causa est, ut id nomen nobis adiiciatur. cf. Sueton. Tib. c. 3. *Drusus hostium duce Drauso cominus trucidato sibi posterisque suis cognomen invenit.* Aptissime igitur Drusus dicetur nomen invenisse a Drauso. Similiter dicimur *mortem invenire* (cf. Tac. An. 1, 61.), ut sit *mori ab aliqua re.* Igitur *nomen a victore ob metum* Germanis *inventum* erit: nomen Germanis additum e nomine victoribus ob metum addito: contra nomen Germanis *a seipsis inventum* est: no-

III. Fuisse apud eos et Herculem memorant primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem baritum vocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim trepidantve, prout sonuit acies. nec

men Germanis ipsis auctoribus additum h. e. quod instinctu suo adsumpserunt. Germanice: *So wäre der Name eines Stammes, nicht des Volkes Name, allmälig herrschend geworden, daſs alle mit einem zuerst vom Sieger aus Furcht stammenden, bald von ihnen selbst angenommenen Namen Germanen genannt wurden.*

Cap. 3. *Herculem.* Nimirum quidquid ubique magnificum, in claritatem nomenque Herculis veteres referebant. cf. Noster infr. c. 34. et c. 9. An. 2, 12. Cogita igitur de deo Germanorum patrio, quem Romani similem Herculi intellexerunt numine et cultu, eodemque nomine adpellaverunt. Ricklefsius tamen ad An. 2, 12. Herculis nomen refert ad antiquum vocabulum *Heark*, lucus. Ad hunc locum idem interpres cogitat de *her* fortis et *Cul* clava (*Keule*).

memorant. Quaerunt interpretes, quinam memorantes sint intelligendi, Romani an Germani? Sed verba *apud eos* satis indicant, ad Germanos *memorant* non esse referendum: incertam potius famam Tacitus ita exprimit. — Lipsius ante *ituri* punctum posuerat. Veterem verioremque distinguendi rationem Pichena reduxit consentientibus Cluverio et Conringio.

canunt. cf. An. 2, 88. *caniturque adhuc barbaras apud gentes.*

baritum. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. et nuper Passov. Hess. al. — *barritum* edd. Ernest. Oberlin. Bekker. al. et ita Ammian. 16, 30. 26, 7. 31, 7. et Veget. 3, 18. cf. Adelung. Hist. ant. Germ. p. 388., qui ut etymon adfert *baren, schreien.* Burmann. ad Anthol. 5, 145. id vocabulum derivat a *barrire*, elephantorum voce. — *barditum* MSS. Vatic. Farnes. Arundel. (secundum Ernestium. at Burmann. l. l. inde adfert *blandicum*) Stuttg. (teste Hessio) edd. Rom. Norimb. Lips. sqq. et nuper Hackius. Etenim Festus scribit: *bardus gallice cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit.* Sed *bardos*, Gallicum genus, apud Germanos fuisse non proditur. Quare scripturam *barditum* merito censebimus ex inscitia et abusu ortam.

accendunt animos. Ed. Paris. *accensus animus*, quod Hessio videtur accipi posse pro *accensus est*, ἀοϱίστως. Sed in consensu ceterorum librorum illud rectius innumeris libri Parisini vitiis adnumerabimus.

futuraeque pugnae fortunam. Bredovius malebat *futuramque pugnae fortunam.* Passovius recte animadvertit ante pugnam Germanos baritum cecinisse.

ipso cantu. MS. Stuttg. *ipsi c.*

terrent enim trepidantve. cf. An. 1, 25. *pavebant terrebantque.*

prout sonuit acies. Simili locutione Hist. 4, 18. *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.* Passovius cum edd. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. interpunxit: *prout sonuit, acies.* Nemo postea imitatus est. Nam genuinam loci sententiam ista virgula prorsus tur-

tam voces illae quam virtutis concentus videntur. adfectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque. aram quin etiam Ulixi con-

bat. *Prout sonuit acies* h. e. prout baritus, quem dicunt, sive cantus ille virorum in acie positorum ante pugnam sonuit, terrent trepidantve: etenim si timide atque ignave sonuit, trepidant; sin fortiter et strenue, terrent.

nec tam voces illae ... videntur. Sic edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Vienn. Pogg. Alc. Rhenan. (1519.). Consentiunt MSS. Tur. Stuttgart. edd. Rom. Paris. Norimb., nisi quod scribunt *ille*, uti solent, pro *illae*. Broterius testatur eadem inesse MSStis et veteribus editionibus. An simul intelligat libros Vaticanos non diserte addit. Ed. Beroald. fert *vocis* pro *voces*. Rhenanus sine libris anno 1533. edidit: *nec tam vocis ille . . . videtur*, quae duraverunt ad Pichenam, qui veterem scripturam restituit. Inter recentiores Bipont. Oberlin. Bekker. aliique revocarunt Rhenani emendationem. Lünemannus: *voces illae ... concentus videtur.* Weisius: *nec tam vocis ille . . . videatur.* Seebod. Passov. Hess. aliique maluerunt vetera. Recte. Non enim erat causa mutandi. Sententia loci est: si quis audit cantum illum, non multorum virorum voces audire sibi videtur, sed unum sonum concentumque accipit, ut ita unius virtutis in omnibus vigentis sonus concentusque videatur. Contra An. 1, 31. *multa seditionis ora vocesque.*

virtutis concentus. MSS. Bamberg. et Arundel. *mentis concentus*, quae scriptura eximie placet Colero. Provocat ad Homeri locum Il. γ', 8.: *οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.*

scutis. Edd. Spir. et Kath. *stutis.*

repercussu. MS. Stuttg. *reper-*
u
cussa.

fabuloso. H. e. in fabulis celebrato. cf. Horat. Odar. 1, 27, 8. *fabulosus Hydaspes.*

adisse. Edd. Mon. Gronovv. (1672.) Iac. Gronov. Bipont. *adiisse.*

Asciburgiumque. Ed. Vienn. *Ascipurgiumque.* Ed. Paris. *Astiburgiumque.* Sed cf. Hist. 4, 33.

hodieque. Sic MSS. Stuttg. Hummel. edd. Rom. Paris. Norimb. Vienn. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *hodie* (sine *que*) MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. Beroald. Mon. Rhenan. (1519.) et inter recentiores Seebod. Passov. Hess. aliique. Hessius in Var. Lectt. I. p. 7. nunc *hodieque* praeferendum censet. Praetulit etiam Bekkerus. cf. An. 1, 65. Liv. 1, 26. 5, 27. Sueton. Tib. c. 14. Claud. c. 19. Galb. c. 1. Tit. c. 2. *Hodie* omisso *que* hoc loco supervacaneum est. — Pro *incolitur* in cod. Hummel. scriptum est *incolatur.*

nominatumque. MSS. Vaticc. 1518. et 1862. Farnes. edd. Lips. et Broter. addunt *Ἀσκιπύργιον.* Parum inde discrepat cod. Venet., quem Pertzius inspexit (cf. eius *Italien. Reise* p. 45.) et qui habet *Ἀσκίπυρπον.* — MS. Vatic. 2964.

secratam adiecto Laertae patris nomine eodem loco olim repertam, monimentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Rae-

ACRIIIYPΓIOƝ. — Vatic. 2964. et ed. Alciat. *ἀκρινίπριον.* — Ed. Norimb. *Acriniprion.* — MS. Arundel. *ἀστυτεάγιον.* — Edd. Rhenan. (1533.) Ald. Micyll. e Rhenani coniectura *ἀστυπύργιον.* — Edd. Viteberg. et Melanth. *Ὀδυσσιπύργιον.* — Alii libri post *nominatumque* habent lacunam, ut cod. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. Ber. Paris. Rhen. 1519. (teste Hessio) Passov. Bipont. Hess. alii. — Alii sine lacuna pergunt, ut MS. Tur. edd. Pichen. Bernegg. sqq. — Grotefendus apud Hess. in Var. Lectt. I. p. 8. coniecit lacunam explendam esse verbis: *prius Ἀκρισιπύργιον*, ab Acrisio Ulyssis avo. Hagenbuchius vult *Ἀσκιπύργον*, ab Ascanio. Vide etiam quae vir doctus disputavit in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 198.

aram . . Ulixi consecratam. Plurimi dativum dicunt positum pro *ab Ulixe*, ut Ernest. Passov. Hess. aliique. Namque et Graeci et Latini frequenter usurpant eam constructionem dativi cum verbis passivis, ut, si e sermonis Germanici ratione iudices, idem fere exprimatur, quod est in *ab* cum ablativo. Sed manet dativo ubique sua indoles, eaque vis, ut indicet rem vel personam, in qua cernitur effectus. Sic infra c. 16. (*nullas Germanorum populis urbes habitari*) verbum *habitari* sensu suo est *habitationis causa esse*, ut ita dativus exprimat eos, in quorum usum habitentur urbes. Cap. 34. (*Romanis classibus navigatos*) verbum *navigatos* significat *navigatione expertos*, *cognitos*, post quae quaeritur, cui? An. 11, 29. (*Callistus iam mihi circa necem Caesaris narratus*) non quaeritur, a quo Callistus ille sit narratus, utrum a Tacito an ab alio quodam, sed id potissimum agitur Callistum iam narratum esse, et quia iam narratus sit, Tacito illum non superesse narrandum. Narratus igitur fuit Tacito. Quare non adfirmaverim in verbis *aram — Ulixi consecratam* dativum esse pro *ab* cum ablativo: immo dativus est pro dativo. Iam *ara Ulixi — consecrata* haud dubie potest intelligi ara, quam Ulixes alicui consecravit, ut ita Ulixi consecrata esset: sed loci contextus aliam sententiam monstrat. Namque Tacitus minime erat traditurus Ulixem aram illam quondam consecrasse alicui, sed repertam esse aram Ulixis h. e. aram Ulixis nomini inscriptam: et ara in tali loco non significat locum sacris faciundis consecratam (*Altar*, uti vulgo interpretantur), sed monimentum in memoriam hominis aut rei positum. cf. not. ad An. 14, 31. Hic cogitandum erit de lapide Ulixis nomini inscripto. An ipse Ulixes aram consecraverit, Tacitus neque docet neque voluit aut potuit docere.

monimentaque. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Norimb. cf. not. ad An. 3, 23. 72. 4, 7. 11, 10. Vulgo *monumentaque.* Ceterum *monimenta et tumulos* intellige monimenta (h. e. lapides memoriae hominum inscriptos) in tumulis positos vel tumulos cum monimentis. Roth. p. 42. vocabulum *tumulos* ἐξηγητικῶς additum putat: *Denkmäler, nemlich Grabhügel.* Sed tumuli non sunt monimenta, nec possunt ἐξηγητικῶς hic addi nisi eo quem dixi modo, ut intelligas monimenta circa tumulos.

Graecis litteris. Lipsius ad h. l. „litteris fortasse, vix credo lingua.“ cf. Caes. B. G. 1, 29. *in castris Helvetiorum tabulae repertae sunt litteris Graecis confectae*; 6, 14. *Neque fas esse exi-*

tiaeque adhuc exstare. quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

IV. Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos

stimant (Druidae Gallorum) *ea* (carmina) *litteris mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis utantur litteris.* Strabo 4., p. 181. Grimm, de Runis Germ. p. 33. Mone T. II. p. 10. Fr. Schlegel *Vorles.* I. p. 222. Dahlmann. *histor. Forschungen.* I. p. 172.

quae neque. Ed. Paris. *qui neque.*

confirmare. Codex Pircheimeri *adfirmare*, quod si admittas vox *argumentis* haud dubie melius aberit: at verbo *confirmare* bene convenit *argumentis.* Haec e Livii praefatione sumpta cum Ernestio et Hessio minime adfirmaverim. Sunt locutiones, quae saepius eodem modo repetuntur, nec adeo inopem dictionis Nostrum fuisse puto, ut, si qua dicenda essent, reputaverit aut evolverit, quomodo Livius dixisset.

Cap. 4. *aliis aliarum nationum connubiis.* Lipsius aliique vocem *aliis* redundare putant. Quare Pichena tentabat: *nullis alienigenarum nationum.* Sed Passovius ad h. l. postquam uberius docuit ab hoc loco aliena esse, quae viri docti disputaverint de usu pleonastico vocabuli *ἄλλος*, *alius*, ut Heindorf. ad Plat. Gorg. 64. p. 91. et ad Phaedon. 137. p. 234. aliique, ipse Taciti verba e structura in ipsa periodo mutata explicat. Auctorem fuisse dicturum: *nullis aliis nisi popularibus connubiis mixtos*, eaque tanto facilius licuisse variare, quanto usitatior sit apud veteres luxuries quaedam in geminando adiectivo *alius.* Vir doctus in Supplem. Ephem. lit. Ien. 1829. nr. 91. putat *aliarum nationum* explicandi causa addi verbis *aliis connubiis* (*durch keine andern, ich meine, mit andern Nationen geschlossenen Ehen*). Longolius interpretatus est: *durchaus durch keine andere*, quae non insunt. Sed nisi fallor, tanta ingeniorum contentione non opus erat, ut locus iusta interpretatione ornaretur e vulgari consuetudine dictus. *Alia aliarum nationum connubia* sunt connubia, quae alia natio cum alia invicem init, igitur connubia invicem externa et peregrina. Verba *aliis aliarum nationum* unam efficiunt notionem et voci *connubiis* adduntur pro adiectivo. Nihil igitur huc pertinent exempla, quae adferuntur e Plin. N. H. 34, 4. *effigiemque hominum et aliorum animalium;* aut ex Ovid. Metam. 10, 309. *floresque alios;* aut e Plaut. Amphitr. Prol. 34. *iuste ab iustis iuste*, et ibidem Act. I. sc. 1, 122. *optimo optime optimam.* Immo cf. Cic. Off. 1, 32. *virtutum in alia alius mavult excellere.* Id. Or. 11. *aliud aliis videtur optimum.* Terent Phorm. 2, 2, 29. *aliis aliunde est periculum.* Plura vide apud Ramshorn. Gr. §. 197. p. 638. Ceterum Walchius in editione huius libelli vocabulum *aliis* delevit.

infectos. Passovius ad h. l. animadvertit verbis *inficere*, *vitiare*, *corrumpere*, *venenare* et graecis *μιαίνειν*, *μολύνειν*, *φθείρειν* non adhaerere notionem rei in peius mutatae, sed mixtae tantum et non iam sincerae. cf. Iliad. δ, 141. Pors. ad Eurip. Orest. 909. Schaefer. ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 131. Tacit. Germ. c. 23. Interprett. ad Virgil. Georg. 2, 466. et

propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam coelo solove adsueverunt.

Persii 2, 64. Flor. 2, 1. Sed *infectos* hoc loco haud dubie plus dicit quam *mixtos*. cf. Becker. ad h. l.

propriam. MS. Bamberg. *perpetuam*, quod placebat Colero et Conringio; displicebat I. Fr. Gronovio. MS. Arundel. *propterea*, quod probant Bipontini. Sed varietas orta est e compendio scripturae *ppā*, quod exstat in ed. Spir.

sinceram. cf. Hist. 4, 64. *sincerus . . . populus*. Dial. de Orat. c. 28. *sincera . . . natura*. Suet. Oct. c. 40. *sincerum . . . populum*.

tantum sui similem. Ernestium offendebat *tantum*, malebat *totam*; non video quo tandem iure. *Tantum sui*, non aliorum, *similem* dicit gentem iusta locutione. Ed. Paris. pro *tantum* exhibet *tamen* e vulgari vitio, quod debetur compendio scripturae *tm̄*.

gentem. MS. Stuttg. *gentium*. — Idem liber mox *tum* pro *unde*, *toto* pro *tanto*.

idem omnibus: truces etc. Ita locum distinxerunt Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ad Passovium, qui ex MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Ber. Monac. Vienn. reddidit *idem: omnibus* etc. — Ed Paris. *idem. Omnibus* etc. — Edd. Rhenan. (1519.) Alciat. *idem, omnibus* etc. — Bekkerus, Walchius aliique recte revocarunt Rhenani interpunctionem, eandemque in cod. Hummel. esse testatur Selling. Observv. in Germ. (1830.) p. 9. Nam mancum est prius membrum e Passovii distinctione, et inutile *omnibus* in altero, quod simpliciter describit habitum corporum, postquam ante dictum est eundem esse omnibus. Iuven. Sat. 13, 164. de iisdem: *caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem et madido torquentem cornua ciro?* [*Nempe quod haec illis natura est omnibus una.*]

magna corpora et tantum etc. MSS. Bamberg. et Arundel. omittunt vocabula *magna* atque *et*. Ed. Paris. *magna opera*. Acidalius volebat *sed* pro *et*. Sed cf. not. ad An. 1, 13. De re cf. An. 2, 14. *iam corpus, ut visu torvum et ad brevem impetum validum* etc. An. 1, 64. *procera membra*. Hist. 5, 18. *immensa corpora*.

laboris atque operum. Hessius non de bello cogitandum esse censet, ad cuius pericula subeunda molestiasque ferendas prompti paratique semper fuerint Germani secundum c. 14. et 15. Caes. B. G. 6, 21. Mela 3, 3. At sermo nunc est de opere ac labore castrorum muniendorum (cf. An. 1, 20.), quae Germani aspernabantur, quanquam prompti ad proelia.

minimeque sitim aestumque. cf. Hist. 2, 32. et 93.

tolerare. MS. Stuttgart. *tollerare*, quae huius verbi scriptura frequentissima est in veteribus libris, uti animadvertimus multis locis Annalium et Historiarum.

frigora. Ed. Vienn. *frigora vero*.

coelo solove. Perizonius malebat *soloque*. Vulgatum Passovius

V. Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda: humidior, qua Gallias: ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit: satis ferax: frugiferarum arborum impatiens: pecorum fecunda, sed plerumque improcera.

bene defendit. Etenim *coelo solove* distinctive ponitur, ut coelo ad frigora, *solo* ad inediam respiciat et ita utrumque vocabulum ad praecedentia (*frigora atque inediam*) vicissim valeat. Illud *ve* Taciti interpretibus saepius displicuit. cf. not. ad An. 3, 57.

adsueverunt. Ed. Norimb. *assueverint*. Heinsius totum locum refingebat in hunc modum: *minimeque sitim aestumque tolerare, frigoraque et inediam, ni coelo solove assueverint.*

Cap. 5. *Terra etsi.* MS. Stuttgart. *terra enim.*

aliquando. MS. Bamberg. teste Lipsio: *aliquando specie aret.* Suspicatur ille an *variet?* Bipontini *aret* explicant per *arefit*. Ceterum *aliquanto* Noster scribit, non *aliquantum*, quia hoc vocabulo indicatur modulus, quo terra specie differat. Ernestius interpretatur *non parum*, alii *non multum*. Neutrum inest. Scriptor simpliciter dicit aliquod discrimen esse, neque tamen, parvum aut magnum.

silvis horrida. cf. Plin. N. H. 16, 2.

ventosior. Lipsius probantibus Cluverio et Conringio coniiciebat *verticosior*. Hartmannus (Observv. in Tac. Germ. P. I., p. 9. P. III., p. 17.) *ventosior* cum Lipsio interpretatur de siccitate. Emmerling. (Comment. de locc. nonn. in Tac. Germ. p. 12.) cum Colero illud accipit de silvarum ac montium copia. Sed neque siccitatis nec silvarum notio inest. Scriptor potius vult, Germaniam accipias esse humidam et ventosam in universum, humidiorem tamen, qua Gallias, ventosiorem, qua Noricum ac Pannoniam aspiciat. cf. An. 2, 23.

qua Noricum ac P. MS. Arundel. *qua Noricum, qua Pannoniam.*

satis ferax. Cluverius et Conringius malebant *sati*. At Virgil. Georg. 2, 222. *ferax oleo*. Plin. ep. 4, 15. *ferax bonis artibus*. Contra Noster An. 4, 72. *belluarum feraces saltus*. Sed differt aliquanto utraque constructio. *Satorum ferax* est *an Saaten fruchtbar*, *ferax satis — für Saaten fruchtbar:* illud significat copiam satorum ibi adesse, hoc vult satis prosperandis terram esse idoneam. Hackius male interpretatur *ziemlich* (satis) *fruchtbar*. Ed. Paris. *vatis ferax*. De re cf. Caes. B. G. 6, 19. et 24.

sed plerumque improcera. Lipsius malebat *pleraque*, quod ediderunt Bredovius et Weikertus. Conringius suspicabatur excidisse *haec* ante *improcera*. Wolfius vero ad An. 1, 10. docuit terram ipsam permutato attributo dici improceram ob improcera corpora pecudum. Defendunt Wolfii explicationem Passovius, Hessius et vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1828. nr. 42. Sed exempla quae adferunt, ab hoc loco sunt aliena. Nam *incuriosum* aliquem *famae, discriminis* (Hist. 1, 49. 3, 56.), *improvidum futuri* (Hist. 1, 88.), *immodicum laetitiae* (An. 15, 23.) etc. dici posse, quis unquam dubitavit, postquam Rhenanus Thesaurum suum constructionum, locutionum et vocum edidit? At aliud est terram improceram dici ob improcera corpora pecudum, quod

ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis. numero gaudent. eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati dii negaverint dubito. nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere. quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde

ut probaretur, adscribenda alia erant exempla, ut Cic. N. D. 2, 39. *fontium gelidas perennitates;* Liv. 1, 1. *maiora initia rerum;* Tacit. Germ. c. 9. *sagulo leves*, et similia. Ita *terra pecorum fecunda, sed plerumque improcera.* Audacius sane dictum, sed non praeter latinitatis usum. Alii relicta Wolfii via aliam quaesiverunt. Dilthejus *improcera* accipit pro neutro plur. refertque ad *pecora*, intellecto verbo *sunt*. Sellingio (Observv. critt. in C. Cornel. Tacit. Agricolam. 1826. p. 10.) *improcera* est accusandi casus: ex adiectivo *fecunda* ille verbum transitivum elicit, unde accusativus pendeat. Taxavit eam sententiam Hess. in Var. Lectt. I., p. 9. — De re cf. An. 4, 72. *modica domi armenta sunt.*

suus honor. Hunc plerique accipiunt de nitore et pinguedine. At Plin. N. H. 17, 4. laudat pascua Germaniae. Quare non est credibile armenta ibi nitore et pinguedine caruisse, neque aliunde quidquam de macrioribus Germaniae armentis constat. Sed patet etiam e contextu Tacitum nunc loqui de re armentis propria. Quare rectius vocabula *aut gloria frontis* ἐπεξηγητικῶς addita censebis. Idem placuisse video Sellingio l. ad cap. 2. extr. laudato. p. 9. sq. Particulam *aut* ob praecedentem negationem recte sic poni, non est quod doceam. Vir doctus in Ephem. lit. Halens. 1822. p. 239. scripsit hic esse ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 48. Non adversabor. De voce *honor* cf. Statius Silv. 1, 2, 113. Silius Ital. 4, 757. Virgil. Georg. 2, 494. Horat. ep. 11, 9.

eaeque solae. Ed. Monac. *eaque*, haud male. Edd. Vienn. Paris. post *solae* addunt *his* (h. e. *iis*) *gratissimae.*

propitii an irati Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. edd. Spir. sqq. — *propitiine an irati* MSS. Hummel. Stuttgart. Vaticc. 1862. et 2964. edd. Norimb. Vienn. Paris. Potest disputari pro utraque scriptura. Vide Ramshorn. Gr. §. 174. 3. p. 500. et Herzog. ad Sallust. Catil. c. 52. *bonisne an malis moribus vivamus.* cf. An. 2, 42. *sponte an fato;* 13, 12. *fato quodam an quia* etc.; 6, 44. *iret contra an bellum cunctatione tractaret;* 6, 45. *contemptu ambitionis an per senectutem;* 4, 20. 40. 54. Ab altera parte stant exempla An. 6, 2. *semperne eosdem an subinde alios?* 6, 22. *fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur;* 3, 1. *silentione an voce aliqua* etc. De sententia cf. Cic. pro Caelio 17.

nec tamen. MS. Arundel. *nec inde.* — Mox *aurum argentumve.*

scrutatus est? cf. An. 11, 20.

haud perinde. Sic MS. Stuttg. edd. Rom. Paris. Beroald. Alciat. Rhen. sqq. et fortasse MSS. Vaticc. Nam Broterius edidit *perinde* sine ulla variae scripturae mentione. — *haud proinde* MS. Tur. edd. Spir. Put. M. et V. aliaeque veteres. Hoc reduxit Passovius: receperunt sequentes editores praeter Bekkerum, qui tenuit *perinde*. Recte, ut mihi videtur. cf. An. 14, 21. *nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos aut populo* etc.; c. 58. *Plauto parari necem non perinde occultum fuit;* 15, 43.

adficiuntur. est videre apud illos argentea vasa legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quae humo finguntur: quanquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio ha-

quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur; 16, 29. *quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset.* Vid. not. ad An. 3, 17. Iam variam interpretes ineunt loci explicationem. Alii aliunde petunt membrum comparationis. Pichena intelligit: „acque possessionem atque usum auri argentive parvi pendere solitos," ut ita, quod vix erit admittendum, *haud perinde adficiuntur* idem sit quod *perinde haud adficiuntur.* I. Fr. Gronovius durius locum supplet ita: „haud perinde ac nos Romani et omnes fere nationes aliae." Sic et Bredovius et nuper Iacobsius in: *Klio der Römer.* p. 219. Longolius: „non tam cupidi sunt possidendi auri argentive quam in rectos usus convertendi: igitur aliter usu, aliter possessione adficiuntur." Hartmannus in Observv. in Tac. Germ. I., p. 15. „Germani possessione et usu nobilium metallorum non omnes eodem modo adficiuntur: aliter Rheno propiores, aliter a ripa Rheni remotiores." Rectissime Orellius voculam *perinde* explicat ex usu loquendi, qui obtinet apud Sueton. Tib. c. 52. *itaque ne mortuo quidem perinde adfectus est.* Galb. c. 13. *quare adventus eius non perinde gratus fuit.* Ita et Tacit. infr. c. 34. *haud perinde memoratae.* Hist. 2, 84. *haud perinde obstinante;* 4, 62. *deformitas haud perinde notabilis.* Ibi *perinde* est *verhältnifsmäfsig* h. e. quantum rei convenit: igitur *haud perinde* i. q. non admodum. Nam latet membrum comparationis in ipsa sententia: quippe morte propinqui solemus adfici: ergo *ne mortuo quidem perinde adfectus* intelligitur qui non adfectus est, uti solent homines adfici, vel uti par est. Licet igitur alii negaverint *perinde* simpliciter poni pro *valde* (cf. Seebod. Bibl. crit. 1821. p. 85.), nihil tamen impedit, quo minus e contextu ita explicetur. Thiersch. in Act. Phil. Mon. T. III. fasc. 3. p. 466. *haud proinde* vel *perinde* interpretatur *οὐχ οὕτως, οὐ τόσον*

adficiuntur. Ed. Monac. *efficiuntur.*

est videre. cf. Ramshorn. Gr. §. 168. A. p. 422.

muneri. MS. Hummel. et ed. Paris. *numeri*, facillimo vitio.

vilitate. Edd. Paris. Vienn. Alc. Rhenan. (1519.) *utilitate.* Ceteri libri vulgatum tuentur, et falsi sunt Passovius et Hessius, qui tradiderunt Lipsium quoque *utilitate* edidisse. Heinsius volebat: *in alia utilitatis.* Perizonius censebat particulam *quam* esse expungendam. Frustra. *non in alia* h. e. non in meliore, h. e. pari. cf. not. ad An. 3, 68.

proximi. Ed. Paris. teste Hessio *proximi Oceano* (non *proximo Oceano*, uti prodidit Passovius p. XVI.): quam scripturam commendat vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1828. nr. 42. Sed vix credibile est mercatores Romanos tum ab Oceano Germaniam adiisse: nunc vero sermonem esse de commercio inter Romanos et Germanos exercito satis patet e seqq.: *formasque . . . eligunt.* *Proximi* igitur intelliguntur Rheno vel Romanis. cf. infr. c. 17. *proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus;* c. 23. *proximi ripae et vinum mercantur.*

bent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur nulla adfectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

VI. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. hastas vel ipsorum vocabulo frameas ge-

simplicius et antiquius. cf. not. ad An. 1, 10. sub v. *gravius.*

veterem et diu notam. Nam posterioribus temporibus moneta argentea aere corruptior habebatur. cf. Plin. N. H. 33, 3. et 9.

serratos. H. e. denarios, quorum exterior ora in serrae modum est incisa. Vid. Eckhel. D. NN. Vett. in prolegom. ad num. fam. §. 16. — MS. Bamberg. teste Lipsio *servatos.*

bigatosque. Qui dicuntur e nota, quam ferebant. cf. Plin. N. H. 33, 3.

argentum quoque. Ed. Norimb. omittit *quoque.*

adfectione. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Put. Paris. Beroald. Rhen. (1519.) Lips. Pichen. sqq. — *affectatione* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. (?) edd. Rom. Norimb. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. et nuper Seebod. In numeris codd. Vaticc. apud Broterium error est. Nam altero loco, ubi posuimus 2964., ille repetit numerum 4498. Quum Vaticc. 1862. et 2964. plurimis locis consentiant, pro 4498. altero loco posui 2964. cum signo (?). Ceterum infr. c. 28. eadem exstat scripturae varietas.

facilior usui. Lipsii posteriores editiones *faciliori usui*, incertum e libris an ex ingenio. Pichena e vett. libris restituit *facilior*, quod etiam Lipsius edidit anno 1574.

Cap. 6. *superest.* cf. infr. c. 26, *superest ager.* Hist. 1, 51. *viri arma . . . supererant;* ib. c. 83. *utraque egregie supersunt.* Eadem vi id verbum ponitur apud Sueton. Tit. c. 1. Plin. ep. 1, 10. 9, 7. Terent. Phorm. 2, 1, 10.

ex genere telorum. cf. An. 2, 14.

maioribus lanceis. Interpretes Tacito obiiciunt locos An. 1, 64. *ingentes hastas*, et An. 2, 14. *enormis hastas*, et ib. c. 21. *praelongas hastas:* quae cum ibi ut vulgare quid Germanis tribuantur, sunt qui putent Tacitum successu temporis melius de rebus Germanorum edoctum in Annalium libris de hac re rectius statuisse quam in libello de Germania. Sed *lanceae* usu et forma videntur diversae fuisse ab *hastis:* nam quamvis *hastas* praelongas, enormes, ingentes Noster Germanis tribuat, *lanceas* maiores inter eorum arma nunquam memorat. Et quia lanceae nunc coniunguntur cum gladiis, haud temere coniicies lanceam fuisse telum, quo cominus pugnarent (*ein Stoſsgewehr*).

frameas. De framea in museo Schoepfliniano apud Argentoratenses adservata vid. Oberlin. ad h. l. Hasce frameas idem esse telum, quod Tacitus in Annalium libris hastarum vocabulo Germanis tribuit, inde satis patet, quod nunc frameas interpretatur per *hastas.*

runt, angusto et brevi ferro sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent. et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in immensum vibrant nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricae: vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros in morem nostrum docentur. in rectum, aut uno flexu dextros agunt ita coniuncto orbe, ut

vel cominus vel eminus pugnent. An. 1, 64. *hastae ingentes ad vulnera facienda quamvis procul.*

plura singuli. Sic MSS. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Puteol. aliaeque veteres et inter recentiores Ernest. Broter. sqq. — *pluraque singuli* cod. Hummel. (teste Sellingio) edd. Paris. Norimb. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. Additum *que*, quanquam non ineptum, inutile saltem est.

vibrant. Heinsius malebat *librant.* cf. An. 1, 64. Hist. 2, 22. 3, 27. Nam *vibrare* plerumque est concutere manu, non emittere. Sed emissionis notionem ab illo verbo non esse alienam docet locus Virgil. Aen. 8, 524. *vibratus ab aethere fulgor.*

nudi. cf. Tacit. Hist. 2, 22. *cohortes Germanorum, cantu truci et more patrio nudis corporibus.* Caes. B. G. 4, 1. *neque vestitus praeter pellis habeant quidquam;* ib. 6, 21. *pellibus aut parvis rhenorum tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Dio 38, 45. ἐκεῖνοι δὲ δὴ γυμνοὶ τὸ πλεῖστόν εἰσι. (Caesar de Germanis loquens). cf. Gebauer. Vestig. p. 364. sqq.

lectissimis coloribus distinguunt. MS. Hummel. *distinguuntur.* Pro *lectissimis* Iacobsius in: *Klio der Römer.* p. 220. vult *laetissimis.* Sed cf. Sueton. Vit. c. 13. *lectissimorum piscium.* Tacit. Hist. 3, 47. *lectissimas liburnicarum.* Agric. c. 18. *lectissimos auxiliarium.* Inest huic vocabulo notio praecipui studii, diligentioris curae in coloribus usurpandis. De re cf. An. 2, 14. *fucatas colore tabulas.*

paucis loricae. An. l. l. *non loricam Germano, non galeam.*

galea. Sic MS. Tur. edd. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *galeae* MSS. Vaticc. Stuttg. cum Hummel. (*galee*) et edd. ante Rhenanum. Adhaesit littera *e* e sequenti vocabulo. Ceterum *cassis de lamina est, galea de corio.* cf. Isidorus Orig. 18, 14.

variare. Sic MS. Stuttg. edd. Put. M. et V. Beroald. Monac. Vienn. Alc. Rhen. sqq. — *varietate* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Rom. Norimb. Pogg. — De MSS. Vaticc. Broterius ita tacet, ut cum vulgato videantur consentire. Passovius in praef. p. XVIII. coniecit *variegare*, quod Hessio displicet, quia *variegare* tantum apud Ausonium et Appuleium reperiatur. At Ausonium et Appuleium id verbum repperisse primos nolim putare: quanquam Passovii emendatione nihil efficitur. *Variare gyros* est varios gyros agere, gyro nunc in dextrum, nunc in laevum equos agere. De re cf. Virgil. Georg. 3, 182. sqq.

flexu. Ed. Paris. *fluxu.* MS. Stuttgart. *fluxu.* (e superscr.) — Idem liber cum cod. Hummel. *cuncto* pro *coniuncto*, quod vitium originem

nemo posterior sit. In universum aestimanti plus penes peditem roboris: eoque mixti proeliantur apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus. centeni ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum flagitium. nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas. multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

VII. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas: et

traxit e compendio *ɔiūcto*. Intellige: Germanis equitibus, ut convertantur, non uti gyro, sed uno flexu equos dextros agere (*in einer Schwenkung machen sie rechtsum*), eumque orbem describi ita coniunctis, ut quanquam in flexu rectum ordinem omnes teneant. Quod est difficillimum.

aestimanti. De constructione loci cf. not. ad An. 11, 3.

eoque mixti proeliantur. cf. Caes. B. G. 1, 48.

apta et congruente. Synonyma. cf. Roth. p. 15.

definitur. MS. Tur. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Mon. Rhenan. (1519.) *diffinitur*. Ed. Kath. *difinitur*.

centeni. Ed. Norimb. *centim*. Ed. Rom. *centum*.

primo. MSS. Stuttg. et Hummel. *primum*. cf. Ramshorn. Gr. §. 177. p. 509. *). Eandem varietatem vidimus An. 16, 3.

componitur. MS. Stuttg. *componunt*.

cedere loco. cf. An. 2, 11. *Cherusci fugam simulantes*.

consilii quam formidinis arbitrantur. Ed. Monac. *magis consilii quam* etc. Male. cf. not. ad An. 3, 17. Nam sententia est: *arbitrantur consilii, non formidinis*. Addito *magis* diceres: *et consilii et formidinis arbitrantur, sed magis consilii*. Igitur de ellipsi in eiusmodi locis minime est cogitandum.

scutum reliquisse. cf. Lex Salica Tit. 33, 5.

concilium. Edd. Norimb. et Rom. *consilium*. Eadem varietas est infr. c. 13. et Hist. 4, 56. cf. Drakenb. ad Sil. Ital. 11., 71. Gronov. ad Liv. 44, 2, 5. Burmann. ad Ovid. Metam. 1, 167. Hic merito praefertur vulgatum, quia sermo est de loco consultationis, de conventu, et *consilium inire* aliud significat. Pro *inire* in cod. Hummel. legitur *adire*.

Cap. 7. *aut libera*. Sic edd. Paris. Norimb. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *ac libera* MSS. Tur. Stuttgart. Arundel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. (haec in margine „alias *aut*") Rhen. (1519.). De MSS. Vaticc. Broterius tacet, addita nota: „Bene Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus *ac libera*." Et disiunctiva dicendi ratio ob nega-

duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum: non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non ca-

tionem haud dubie poscit *aut.* cf. Ramshorn, Gramm. §. 180. p. 532. Not. 1. — Ceterum *infinitum* est: sine modo, *liberum*: sine vinculo. Quare recte potest dici *infinita aut libera.* Vid. not. ad An. 1, 8. — De re cf. Caes. B. G. 5, 27.

et duces .... praesunt. Ante Ernestium haec dividebantur ita: *et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui: si ante aciem agant, admiratione praesunt.* Ille colon fecit post *imperio*, ut locus legeretur: *et duces exemplo potius, quam imperio; si prompti .... agant, admiratione praesunt.* Alii ediderunt: *et duces, exemplo potius quam imperio, si prompti ... praesunt.* Explicant: *et duces, exemplo magis quam imperio duces, ... admiratione praesunt.* Nos cum Bekkero et suadente Woltmanno veterem interpunctionem revocavimus, quae est in edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Lips. Pichen. Gruteri. — Germanice: *und die Heerführer gebieten mehr durch ihr Beispiel als durch Befehl, und sind sie ... durch Bewunderung.*

con

conspicui. MS. Stuttg. *perspicui.* In Hummel. cod. pro *si conspicui* scriptum est *ac conspicui.*

vincire. MS. Stuttg. *vincere.* Ed. Kath. *vivere.*

neque animadvertere. At Caes. B. G. 6, 23. *Cum bellum civitas aut inlatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deligunlur.*

ne verberare quidem. Sic MSS. Arundel. Stuttg. Hummel. edd. Ernest. Brot. Oberl. Bekker. — *neque verberare quidem* MS. Tur. itemque editiones veteres et recentiores usque ad Ernestium, et nuper Hess. alii. — *nec verberare quidem* edd. Paris. Passov. Diltheji. Sed licet *neque ... quidem* vel *nec ... quidem* in se nihil habeat, quod latinitati repugnet (cf. not. ad An. 4, 35.), hunc tamen locum ita languidum efficit triplex illud *neque*, ut merito sequamur codicem Arundelianum, cuius asyndeton est efficacius.

non quasi in p. MS. Vatic. 2964. *nec quasi.*

deo imperante. MS. Arundel. *deo inspirante*, quae scriptura Passovio memorabilis videtur.

effigiesque ... ferunt. cf. Hist. 4, 22. Plurimi *effigiesque et signa* interpretantur ut ἓν διὰ δυοῖν, *signa effigiata.* At vocabulum *signa*, si ponitur pro imaginibus vel statuis, per se intelliguntur signa effigiata: quare hoc significatu additum *effigies* ingratum adfert pleonasmum. *Signa* hic potius sunt *Symbole*, uti recte Hackius est interpretatus: *effigies et signa* intellige effigies, quae sunt signorum loco. Nam Germani effigies istas gerebant pro signis militaribus. Pro *et signa* in cod. Hummel. exstat *ac signa.*

sus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates, et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare, aut exigere plagas pavent. cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

familiae. MS. Vatic. 2964. *familia.*

pignora. cf. An. 12, 2. 15, 36. 57. et alibi. Quintil. 6, 1, 24. — De re cf. Hist. 4, 18. *matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet.* Adde Caes. B. G. 1, 51. extr.

feminarum ululatus. Sic MS. Stuttg. edd. Paris. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *ululatus feminarum* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Rhenan. (1519.).

audiri. Hessius intelligit *est*, ut c. 5. *est videre.* Vix credo. Est potius nunc infinitivus ille historicus, qui sexcenties apud Tacitum reperitur, pro *audiuntur.*

vulnera ferunt. cf. An. 1, 19. *desideria militum ad Caesarem ferenda.*

numerare. MS. Arundel. *mirari.*

aut exigere. Particula *aut* exstat in MSS. Arundel. Stuttg. Vaticc. 2964. et 1862. edd. Norimb. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *nec* MS. Tur. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Rhenan. (1519.). — *et* MSS. Vaticc. 1518. et 4498. cf. initio huius capitis notata sub vv. *aut libera.* — *exigere* MSS. Vaticc. 2964. 1862. 1518. et 4498. (Farnes. Lipsii) Stuttg. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. Norimb. Paris. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) Micyll. Ernest. Brot. Oberlin. Passov. sqq. — *exsugere* (sive *exugere*) cod. MS. Arundel. (non *exigere*, ut prodidit Passovius et cum eo vir doctus in *Leipz. Lit. Zeit.* 1827. Nr. 47. p. 371.) edd. Rhenan. (1533.) Ald. Lips. sqq. ad Ernestium et postea edd. Bipont. aliique, quae scriptura fontem habuit loc. Homer. Iliad. δ', 218. *αἷμ' ἐκμυζήσας.* Sed *exigere* est numerare et expendere atque comparare vulnera inter se cum laude eius, qui maiora et honestiora tulerit.

cibosque et hortamina. Colerus *hortamina* interpretabatur de potu vini. Adversatus est I. Fr. Gronovius, qui alio significatu verbum *gestant* refert ad *cibos*, alio ad *hortamina*, ut *hortamina gestare* dictum sit quemadmodum *ferre salutem.* Plaut. Poen. 3, 3, 7. Alii per zeugma locum explicant. Rectius fortasse *cibosque et hortamina* accipies dicta pro *cibosque cum hortaminibus*, de quo dicendi generi vide not. ad Hist. 1, 11. sub vv. *Africa ac legiones* etc. Hist. 4, 18. ipsae coniuges parvique liberi dicuntur *hortamenta victoriae.* Nostro autem loco matres et coniuges ferunt pugnantibus *hortamina* h. e. verba et quaecunque alia ad pugnam adhortantia. Trillerus in Observv. p. 196. coniecit *hordei* vel *hordeacea vina.* MS. Stuttg. pro *cibosque* in contextu habet *aliique*, in margine *cibosque.* Librario *alimentaque* obversatum suspicatur Hessius.

pugnantibus. Ed. Vienn. *bellantibus.*

VIII. Memoriae proditur, quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant: nec aut consilia earum aspernantur aut responsa negligunt. vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam. sed et

Cap. 8. *inclinatas iam et l.* cf. An. 1, 64. *nox demum inclinantis tum legiones adversae pugnae exemit.*

constantia precum. Quis excitant viros pugnantes, ut vires intendant et in pugnam redeant.

obiectu. Intellige ipsas pectora fugientibus suis obiicere, ut retineant et se potius occidi iubeant.

pectorum. Edd. Spir. et Kath. *peccatorum.*

cominus. Ed. Paris. *comminus,* quae scriptura in veteribus libris non est rara. Vid. Grotefend. Gram. T. II. § 191. De re cf. Caes. B. G. 1, 51. *passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.*

captivitate. Ab hac voce in MS. Tur. est lacuna, quae patet usque ad c. 16. *Solent et subterraneos.*

impatientius. Ed. Monac. *impatientibus*, lapsu operarum.

puellae quoque nobiles. Heinsius et Huëtius (apud Broterium) malebant *nubiles.* Sed cur non *nobiles.* cf. infr. c. 13. *insignis nobilitas.* De re cf. Sueton. Octav. c. 21. *a quibusdam vero novum genus obsidum, feminas, exigere tentaverit, quod negligere marium pignora sentiebat.*

inesse quin etiam sanctum aliquid . . . . negligunt. Caes. B. G. 1, 50. *Quum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset, necne* etc.

vidimus. Fuere qui e verbo *vidimus* et e loco Plin. 7, 17. colligerent Tacitum in Germania adfuisse. Alii verbum *vidimus* accipiunt de Veleda captiva et Romam deducta. cf. Statius Silv. 1, 4, 89. *non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem captivaeque preces Veledae.* Eam a popularibus suis in conditionem pacis Romanis proditam Passovius colligit e loco Hist. 5, 25. cf. Moeser. Hist. Osnabr. 1., p. 164. Alii denique iique rectissime *vidimus* simpliciter interpretantur de re, quae cadit in alicuius aetatem. Ita sententia erit: nos, qui nunc vivimus, meminimus sub divo Vespasiano fuisse Veledam: quibus verbis egregie opponuntur sequentia: *sed et olim* etc.

Veledam. Sic MSS. Vaticc. 1862. et 4498. Stuttg. edd. Spir. Kath. Paris. Ryck. Ern. Brot. sqq. cf. not. ad Hist. 4, 61. — *Velledam* edd. Put. Monac. Norimb. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii. — *Voledam* MS. Vatic. 2964. *Valedam* Vatic. 1518. Satis verisimilis est sententia eorum, qui hoc vocabulum derivant a *Wola*, *Völa:* quod significat *Wahrsagerin.* cf. *Rhein. Mus.* II. *Iahrg.* 3. *Heft.*

olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione nec tanquam facerent deas.

IX. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Sue-

p. 360. Mox verba: *habitam. sed et olim Auriniam et compluris*, in MS. Vatic. 2964. non leguntur.

Auriniam. Sic MSS. Vatic. 1518. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. sqq. — *Alberniam* MS. Vatic. 1862. — *Albriniam* Vatic. 4498. — Lipsius in MS. Farnes. vidit *Fluriniam* (supra adscriptum *Albriniam*), unde coniecit *Aluriniam*, auctore Iornand. in reb. Goth. c. 24., qui habet *Aliorunas*. Lipsii coniectura placuit Seebodio. Rectius alii in scriptura Farnes. existimant latere vulgatam levi depravatione corruptam. — Xiphil. 67, 5. memoratur *Γάννα παρθένος, μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν Κελτικῇ θειάζουσα.*

compluris. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Paris. Beroald. Alc. Viteb. Melanth. Broter. Bekker. — *complureis* edd. Rhen. 1519. (test. Hessio) et 1533. (de qua Hessius est falsus) Ald. Micyll. Lips. Pich. Grut. sqq. ad Ernestium. Sed haec forma Tacito non est usitata, uti ad Annalium libros docuimus aliquoties. — *complures* pleraeque edd. recentiores. — Malui veterem formam, qua Noster delectatur.

nec tanquam facerent deas. Beckerus (*Anmerkungen und Excurse*, p. 60) et vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 199. dubitant, an locus sanus sit. Malunt *sed* pro *nec*, quia Hist. 4, 61. Tacitus scribit: *vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrentur deas.* Sed *arbitrari deas* et *facere* diversum est: illud fit ex animi persuasione, hoc adulatione. Perstringit Tacitus morem Romanae adulationis, qua principes defuncti fierent divi. Verbo *facerent* in hoc enuntiato praecipuam tribui vim minime contortum est, ut videtur Beckero: nam ideo id verbum anteponitur.

Cap. 9. *Deorum.* Tenendum est Tacito Germanorum deos ob similitudinem numinum dici nominibus Romanis. A Nostro prorsus diversus est Caes. B. G. 6, 21.

Mercurium. cf. An. 13, 57. Caes. B. G. 6, 17. iisdem verbis de Gallis: *Deum maxime Mercurium colunt.* Germanorum Mercurium viri docti *Wodano* adsimulant. cf. Paul. Warnefrid. de reb. Langob. 1, 10. Passov. ad h. l. et Rühs. p. 274.

humanis quoque hostiis. Ed. Paris. *huius quoque hostiis*, quod vitium compendio scripturae debetur. De re cf. An. 1, 61. 13, 57.

Herculem. cf. supr. c. 2. et An. 2, 12.

ac Martem. Edd. Norimb. Vienn. *et Martem.* De Marte Germanorum cf. An. 13, 57. Hist. 4, 64. Alii intelligunt numen *Thor* sive *Thoron* (cf. Niebuhr. Röm. Gesch. I., p. 94.); alii belli deum apud Germanos exhibent *Tyr.* (cf. Rühs. p. 285.).

concessis animalibus. Ed. Vienn. *concisis animalibus.* Concessa animalia sunt, quis litare fas est. Sic An. 14, 21. *aures studiis honestis et voluptatibus concessis impartiri.* Opponuntur humanis hostiis, quae sunt dirum nefas. At de Gothis Iornandes c. 5. *Martem semper asperrima placavere cultura: nam victimae eius mortes fuere captorum.*

vorum et Isidi sacrificat. Unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant, deorúmque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

X. Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. sortium consuetudo simplex. virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam

Isidi. Hanc quoque deam cum numine quodam Germanorum male hic confundi omnes consentiunt: cogitant de numine lunae. cf. Caes. B. G. 6, 21. et Dilthej. ad h. l.

sacrificat. Ed. Vienn. *sacrificant*, quod cum Passovio in pluribus libris legi vellem.

advectam. Sic edd. Norimb. Beroald. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. De MSS. Vaticc. aliisque ita tacent, ut idem inesse videatur. — *adiectam* edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Rhen. 1519. (in margine *advectam*). Liburnae figura docebat *advectam* religionem, non solum quia liburna res peregrina, uti videtur Grotefendio apud Hessium Var. LL. I., p. 15., sed etiam quia liburna est navis: nam inde colligebatur Isidis numen mari venisse ad Germanos, eoque spectat verbum *advectam*. cf. not. ad An. 12, 27. et Hist. 4, 84.

nec cohibere parietibus deos. Templorum igitur mentio infr. c. 40. et An. 1, 51. de loco inaugurato vel sacro nemore erit capienda. Quod An. l. l. templum Tanfanae dicitur solo aequatum a Romanis, accipe de moenibus circum locum sacrum ductis.

lucos ac nemora. cf. An. 2, 12. 4, 73. Hist. 4, 14.

adsimulare. De huius verbi scriptura cf. not. ad An. 1, 28. Hic Ernest. Brot. Oberl. Bekker. al. rescripsere *adsimulare.* Edd. vett. ferunt *assimilare*, quod retinent Passov. Hess. Dilthej. Walch. alii.

sola reverentia. Ed. Paris. *solum.* Sed vid. Ramshorn. Gr. § 151. p. 297. Tacit. Hist. 5, 5. de Iudaeis: *mente sola unumque numen intelligunt.* Ibid. 2, 78. *nec simulacrum deo aut templum: sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam.*

sortesque. Ed. Paris. *fortesque*, vulgari confusione. cf. not. ad Hist. 4, 1 et 26. Drakenb. ad Sil. Ital. 15, 105. Brouckh. ad Tib. 1, 6, 34. Heyn. ad Virg. Ecl. 9, 5.

Cap. 10. *ut qui maxime.* cf. Ramshorn. Gr. § 156. p. 318. d). Ed. Paris. male *utique maxime.* Adamus Bremensis, qui hunc Taciti locum exscripsit, pro *ut qui* exhibet *quam;* mox *eventuum* pro *auspiciorum*, *motus* pro *monitus.* cf. Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 199.

decisam. MS. Longol. ed. Norimb. *descisam*, pervulgari confusione.

in surculos. Vitio typogr. ed. Ald. *in surculo.*

notis quibusdam. Intellige signa prohibentia aut permittentia, non runas, ut quibusdam videtur.

discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliae, precatus deos coelumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt,

temere ac fortuito. Synonyma. cf. Roth. p. 16. MS. Hummel. pro *temere* exhibet *tenent.* MS. Stuttg. *temere* habet inductum et superscriptum *tenent.* — Pro *fortuito* edd Rom. Norimb. ferunt *fortuitu,* quod receperunt Seebod. Passov. Hess. alii. Sed *fortuito* est in MSS. Stuttgart. Hummel. aliisque et edd. Spir. Kath. Paris. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. et nihilo peius est quam *fortuitu.* cf. An. 2, 77. Ceterum de forma *fortuitu* cf. Gernhard. ad Cic. de Off. 1, 29. Goerenz. ad Cic. de Fin. 5, 11.

spargunt. MS. Stuttg. *spergunt.*

consuletur. Sic edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) Viteb. Ernest. Brot. Oberl. al. De MSS. Vaticc. aliisque ita tacent, ut idem inesse videatur. MS. Stuttg. ed. Rom. *consoletur.* Rhenanus anno 1533. tacite edidit *consulatur*, idque retinuerunt sequentes editores usque ad Ernestium, eumque subiunctivum loco nuper reddiderunt Bekkerus, Lünemannus, consentientibus Grotefendio apud Hessium in Var. LL. I., p. 17. et Günthero ad h. l. Alienus tamen ab hoc loco est iste modus. Nam formula: *si publice consulatur* rem exhibet, quasi fieri tantum possit, et ita ut scriptor non adfirmet revera publice consuli. cf. c. 14. *si civitas .... torpeat.* Agr. c. 24. *spatium eius si Britanniae comparetur* etc. Nunc autem res in facto posita memoratur. Quare scribendum erat *si publice consulitur*, minime *consulatur:* et *consulitur* nuper edidit Walchius. Sed scriptor non simpliciter narrat, quod fieri solet: refertur potius illud verbum ad consilium seu propositum, quod subest. Quare rectissime ponitur *consuletur.* cf. not. ad An. 1, 36. sub v. *concedentur.* Passov. ad h. l. et Matth. Gr. Gr. § 498. p. 694. Quod Lünemannus ad h. l. animadvertit, vocibus *si ... sin* vim inesse geminatae particulae *sive*, falsum est. Eadem nunc earum vocum vis est, qua ponuntur in sequentibus: *si prohibuerunt . . . sin permissum*, et cap. 11. *si displicuit*, *sin placuit.* cf. Ramshorn. Gr. §. 190. not. 3. — Muretus frustra coniecit *consultatur*, quod nuper defendit Barkerus ad h. l. Quod Passovius adfirmat, verbum *consultare* Tacito non usurpari de rebus sacris, idonea ratione destituitur. Nam si mox *consultatio* legitur de eadem re, cur displiceat *consultare*, non video. cf. An. 2, 30. *ut consultaverit Libo*, sc. magos, mathematicos.

precatus. De hoc participii praeteriti usu cf. Ramshorn. Gr. §. 171. p. 455. Not. 1. Vid. et not. ad An. 2, 8., ubi eodem modo ponitur *precatus.*

ter singulos tollit. Orellius in Symbol. p. 13. „*Ter singulos* nihil aliud est quam tres surculos tollit non simul quidem, sed unum post alterum, unde quadruplex augurium venire poterat: nam aut omnes vel aiebant vel prohibebant; aut duos aientes, unum prohibentem; aut denique unum aientem, duos prohibentes tollebat." Idem Gebauerum (Vest. iur. Germ. p. 1003.) in omni hoc more exponendo nimis argutari arguit. *Ter sortes tollere* nec Romanis fuit ignotum. cf. Tibull. 1, 3, 10.

si prohibuerunt. Ed. Paris. *si prohiberunt.* Ed. Seebod. *si prohibuerint.* Male.

nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti: quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. nec ulli auspicio maior fides non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

XI. De minoribus rebus principes consultant; de maioribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum

sin permissum. Edd. Alc. Rhen. (1519.) *sin praemissum*; hoc ortum est e vitio *premissum*, quod exstat in ed. Beroaldi.

etiam hic notum. Ed. Paris. *et hic notum.*

pressos. Iac. Fr. Gronovius tentabat *prensos.* Frustra. cf. Ovid. Met. 1, 124. *pressique iugo gemuere iuvenci.* Ibid. 12, 77., et alibi.

rex vel princeps. H. e. rex in iis populis, qui regnabantur: in aliis, ubi rex non esset, unus principum.

hinnitusque. In edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Rhen. (1519.) copula *que* non legitur.

sed apud proceres. MSS. Stuttg. Hummel. edd. Paris. Norimb. omittunt *sed,* quae omissio non displicet Passovio, nec Seebodio (Bibl. crit. 1819. p. 302.). Et sane omittitur *sed* apud Nostrum saepenumero (cf. not. ad An. 4, 35.), at hic durius. cf. Ramshorn. Gr. p. 535. et 536. Hess. Var. LL. I., p. 17.

conscios. Int. *deorum.* cf. Tibull. 1, 9, 3. *conscia fibra deorum.*

est et alia. MS. Stuttg. *est et aliud genus, alia.* Verba *aliud genus* sunt glossema.

bellum est. MS. Arundel. *bellum gerunt.*

cum electo. MS. Arund. *cum aliquo electo.*

popularium. Ed. Paris. *populorum.*

patriis. Ed. Monac. *patris.*

pro praeiudicio. MS. Vatic. 4498. *pro iudicio.* Sed cf. Caes. B. C. 2, 32. *Pompeius enim nullo proelio pulsus vestri facti praeiudicio demotus Italia excessit.* Sueton. Iul. c. 23. *Quaestor eius in praeiudicium aliquot criminibus arreptus est.* Cicer. Verr. 3, 65.

CAP. 11. *principes consultant.* Ed. Monac. *princeps consultat.* Sed

penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur. nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt. nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi

intelligendi sunt *primores gentis.* cf. Hist. 4, 14. Sic *principes Galliae* apud Sueton. Tib. c. 9.

pertractentur. Sic veteres libri omnes. Muretus, Acidalius, Grotius aliique malebant *praetractentur*, quod post Conringium placuit Strombeckio, Bredovio, Weikerto. Sed Passovius recte animadvertit huic coniecturae obstare voces *ea quoque:* neque alibi verbum *praetractare* legitur. Apud Sueton. Oct. c. 35. est *ante tractare.* Noster de Orat. c. 1. *quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi.* — Pro *principes* cod. Hummel. exhibet *principem.*

incidit. Sic MSS. Vaticc. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.) Viteb. — *inciderit* MS. Stuttg. edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. Lips. sqq. Sed hic non est necessitas subiunctivi. Narrat scriptor Germanos certis diebus coire, excipit vero casum fortuitum et subitum, additque haec e sua persona. Sin scribis: *inciderit*, sententia est constitutum fuisse certis diebus coire, nisi quid fortuitum et subitum inciderit. Restituo igitur veterem scripturam. Consentiunt mecum Bartels in specim. nov. edit. et Hess. in Var. LL. I, p. 17.

cum aut inchoatur luna, aut impletur. Ed. Rhen. 1533. *incohatur.* cf. not. ad Hist. 4, 41. et 44. et alibi. De re vid. Caes. B. G. 1, 50. Plin. N. H. 16, 44. 24, 4.

auspicatissimum. Sic edd. Rom. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. Recte. cf. Quintil. 10, 1. *auspicatissimum exordium.* Iustin. 18, 5. *incrementa urbis toto orbe auspicatissimae.* Plin. epp. 10, 28. *cum mihi contigerit, quod erat auspicatissimum, natalem tuum in provincia celebrare.* Ne igitur admittas *auspicacissimum*, quod probante Passovio exhibent edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Pogg. Rhag. Hessius bene animadvertit terminationem *ax* alienum ab hoc loco inferre significatum. MS. Longol. *auspicissimum*, media syllaba omissa, e quo vitio *auspicacissimum* videtur originem traxisse.

initium. MS. Stuttg. *iudicium*, sed supra adscriptum *inicium.*

noctium. Ed. Paris. *noctum.* Mox ed. Mon. *computent.*

sic constituunt, sic condicunt. Sensu forensi, intell. *diem.* cf. I. Fr. Gronov. in Observv. 1, 1. Corte ad Sallust. Iug. 66. Beier ad Cic. Off. 1, 10.

nox ducere diem videtur. Caes. B. G. 6, 18. de Gallis: *ob eam caussam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt: dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.*

nec ut iussi. Sic MSS. Vatic. 1862. et 1518. Hummel. Stuttg. edd. Paris. Vienn. Ernest. Brot. Oberl. Hess. Bekker. al. et ita volebat Conringius. — *nec ut iussu* MS. Arundel. edd. Passov. Dilthej. et ita vult Graevius in Dictat. apud Hess. Var. LL. II., p. 11. — *nec iniussi* MS. Vatic. 2964. Longol. edd. Norimb. Rom. — *nec iussi* MS. Vatic. 4498. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Mo-

conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. ut turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia,

nac. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium. — *nec iussu* MS. Bamberg. Iam scriptura *nec iniussi* ab hoc loco aliena est. *Nec iussi* vel *nec iussu* h. e. illos non convenire, etiamsi iussi fuerint. *Nec ut iussi* vel *nec ut iussu* h. e. non conveniunt, ut convenire solent iussi vel ut convenire decet iussos. Hoc loco optime convenit. Ceterum ne cum Beckero putes Germanos consulto aliquot dierum morae indulsisse, ne viderentur adesse iussu: immo ex libertate vitium illud erat, ut negligentia non praesto adessent, quia nemo erat, qui eos coerceret. cf. An. 1, 50. *ac ne pax quidem nisi languida et soluta.* Vid. ibi not.

coeuntium. MS. Longol. ed. Norimb. *coetium*, quod est compendium scripturae, omissa lineola supra adscribenda. Ed. Rom. *coetuum*, uti volebat Longolius: sed hoc quoque e compendio scripturae ortum puta.

d

absumitur. MS. Stuttg. *absumitur.*

ut turbae placuit. E coniectura I. Fr. Gronovii recentiorum quidam et nuper Bekkerus ediderunt *ut turba placuit* h. e. postquam satis frequenter convenisse sibi visi sunt. De qua vocabuli usu cf. Liv. 33, 31. 39, 30. Vellei. 2, 112. Senec. ep. 42. Quare noluerim cum Passovio et Hessio adfirmare ita vim inferri linguae latinae. At nititur *turbae* consensu veterum librorum et optimam sententiam fundit. Ne tamen locum accipias de initio consultationum, quod a turba, non a magistratibus, uti apud Romanos, pendeat: sermo potius est de ordine considentium, ut ita permixti, nec certo ordine (ut Romani per tribus aut centurias classesque) consedisse videantur. Quare exquisite Noster posuit vocabulum *turbae.*

considunt. MS. Arundel. *conveniunt.*

quibus tum. MSS. Vaticc. 1862. et 2964. Longol. edd. Paris. Norimb. *quibus tamen*, quod in locum recepit Longolius. nam semper fuisse sacerdotibus ius coercendi. cf. c. 7. Sed minime in universum ibi sacerdotibus tribuitur ius animadvertendi, vinciendi, verberandi, ut potius de disciplina militari tantum ille locus valeat. Iam alius locus nominatur, ubi sacerdotibus liceat coercere. Ceterum *tum* et *tamen* ob compendium scripturae in vett. libris saepenumero permutari vidimus ad An. 13, 42. 14, 27. Hist. 4, 23. et alibi. Seebodius edidit *quibus etiam coercendi ius.* Frustra.

coercendi. MS. Stuttg. *cohercendi*, quod genus scribendi saepius adnotavimus in libris Annalium et Historiarum. Mox Hessius ex ed. Paris. attulit: *rex et - etas - deus - autoritate - suadentur magis quam iubentur.* — Verba *prout aetas cuique* referas ad vocabulum *princeps*, non ad *rex*, qui, ubi erat, sua auctoritate haud dubie audiebatur.

fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt. honoratissimum adsensus genus est armis laudare.

XII. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude iniecta insuper crate mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. sed et levioribus delictis pro modo poenarum equorum pecorumque numero convicti

fremitu aspernantur. cf. Hist. 3, 10.

armis laudare. cf. Hist. 5, 17. *ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta* etc.

Cap. 12. *accusare quoque.* In margine codicis Stuttg. adnotatum est: *alii quemque.*

discrimen capitis intendere. cf. An. 5, 4. *exitium domui eius intendi.* Similia sunt apud Sueton. Domit. c. 8. Vit. c. 7. Cicer. pro Mil. c. 14. Liv. 9, 26. Locutio translata est ab arcu in alicuius perniciem intento.

ex delicto. Edd. Kath. Monac. *ex dilecto*, vitiose. — Pro *suspendunt* ed. Rhen. (1533.) vitio typogr. *supendunt.*

corpore infames. Ob impudicitiam dicuntur. cf. An. 1, 73. Cicer. Verr. 4, 9. Quintil. 4, 2, 79. Quod flagitium ne caderet in Germanos, feram illam et horridam gentem, Lipsius emendabat: *torpore infames;* Gebauerus: *corpore informes*, quod teste Hessio exstat in MS. Stuttg. Anton intelligit homines, qui corpus mutilaverint, ne belli labores obirent. Ricklefsius *corpore infames* vult esse, qui tergo vulnera tulerint. Vix credo. At satis verisimile est a Romanis Gallisque infamem Venerem ad singulos Germanos transiisse, satisque gloriae in Germanos inde redundat, quod impudica corpora non tolerarent atrocique poena adficerent.

sed et levioribus delictis. Longolius ad ablativum intelligit praepositionem *in.* Hessius animadvertit cum nudo etiam ablativo iungi verbum *convictus.* cf. Sueton. Ner. c. 31. At hinc verbum *convicti* remotius est interpositisque vocabulis prorsus disiunctum, quam ut inde possit pendere ablativus. Sunt potius h. l. ablativi absoluti, ut sententia sit: sed et leviora si quando sunt delicta.

pro modo poenarum. Sic vett. libri omnes. Ex Acidalii coniectura Ernestius, Broterius, Oberlinus, Bredovius, Seebodius, Bekkerus aliique ediderunt: *pro modo poena: equorum* etc. Passovius, Hessius aliique rectius retinent veterem scripturam, quae non solum veterum codicum auctoritate nititur, sed etiam in se nihil habet, quod displicere possit. Germanice: *Aber auch im Fall leichterer Vergehen werden nach dem Satze der Strafen mit einer Anzahl von Pferden und kleinem Vieh die Ueberwiesenen in Anspruch genommen.* Poenas intellige, quae ex lege aut consuetudine recepta singulis delictis constitutae sunt. cf. c. 21. *certo armentorum ac pecorum numero.*

convicti. Absolute ponitur. Sueton. Domit. c. 8. *repetitam et convictam.* Ceterum *convictus rei* ali-

multantur. pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas adsunt.

quis dicitur, ut constet de genere criminis; *convictus in aliqua re*, ubi quaeritur de occasione, qua est convictus (cf. not. ad An. 15, 44. Ernest. Clav. Cic. h. v.); *convictus aliqua re*, ut intelligas causam convictionis.

multantur. De huius verbi scriptura cf. not. ad An. 1, 77. 6, 9. 13, 28. 14, 17. Hoc loco *multantur* et mox *multae* edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Rhen. (1519.) Lips. Pich. alii. — *mulctantur* et dein *multae* edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. — *multantur* et paulo post *mulctae* ed. Paris. teste Hessio, qui tamen de ed. Rhen. 1533. falsus est. Passovius, Dilthejus et Walchius praeferunt *mulctantur* et *mulctae*.

qui .... reddunt. MSS. Bamb. et Arundel. *qui vita per pagos vicosque excellunt*. Unde Colerus volebat: *qui vita excellunt, qui iura per pagos vicosque reddunt*. Sed illud *qui vita excellunt* fortasse interpretamentum est vocabuli *principes*. Ex Ernestii coniectura Bipontini, Oberlinus, Bekkerus al. ediderunt *reddant*. Passovius, Hessius, Dilthejus al. rectius veterem scripturam retinent. Nam sententia loci non est: eligi principes eo consilio, ut iura reddant, sed principes, qui iura reddunt, (res certa ac nota), eligi in iisdem conciliis. Discrimen utriusque dictionis in promptu est. cf. Ramshorn. Gr. § 193. extr. p. 609. De re vid. Caes. B. G. 6, 23. *In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt*.

centeni. Numeri centenarii in veterum Germanorum institutis usum arguunt Leges Alemann. Tit. 36. leg. 1. *Conventus secundum consuetudinem antiquam fiat in omni Centena coram Comite aut suo Misso et coram Centenario*. cf. leg. 2. et Capitular. Carol. M. 4, 26. Manent etiam vestigia in *hundred courts* Anglorum. Sunt tamen qui hic Tacitum voce Germanica deceptum *centenos* dedisse putent pro *Zentner*, quod derivandum erat a *zehn*. Vid. Longol. ad h. l. Berneggerus cogitat et ipse de iudiciis, quae dicebantur *Zehngerichte*, quorum praesides *Zentgrafen* (sic Anton), assessores *Zentschöpfen*: vocem vero deducit a numero centenario. Barth. in Hist. Germ. T. II. p. 419. *Zent* s. *Send* interpretatur turbam, multitudinem congregatam. Gebauer. p. 594. vocabulum *centeni* putat esse glossema, vel substituendum *duodeni*. Kirchmaierus mavult *certi singulis* etc.; alii *septeni singulis*. Quae Orellius ad h. l. adnotavit, digna mihi videntur quae adscribantur: „Bis vel ter in codice Gothlandico vocantur Gothico sermone iudices isti *hunderis menn in sama hunderi* (Guta-Lagh. c. 38, 6), ubi antiqua versio habet: *dy dingis manne in deme selbin dinge*. Ibid. c. 41, 1. „*Rathmenn sculu retta a hunderis thingum*." *Ratmane sullin richten uf den hunderes dynghen*. Alibi Gothica lex eos *thingsmenn* ipsumque pagum *thing* appellat. Infelix, si quae alia, est nupera Minolae coniectura (*Beyträge zur Uebersicht der röm. deutsch. Gesch.*, Köln. 1818.) *centenis singulis ex plebe comites adsunt* legentis et interpretantis: centenis civibus aut familiis praefuisse comitem, eo scilicet significatu quo medium aevum hoc vocabulum usurpabat, *(Graf)*, eiusque nomen fuisse *Hundreder*. Sed evinci nequit Tacitum Germanicam

XIII. Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. tum eum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae honos: ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem

vocem *Graf* vel *Hundreder* comitem redditurum fuisse, quum iudicis, praetoris aut simili aliquo dignitatis nomine uti posset, praetereaque ipsum verbum *adsunt* pro *praesunt* misere langueret. At hoc quoque ex Raetorum institutis optime dilucidari potest, *princeps* quippe respondet *Landamano* quem dicunt, *comites* senatoribus ac iuratis (*Rathsherren und Geschworenen*), qui in iudiciis omnique consilio illi adsunt."

consilium simul et auctoritas. II. e. ut suppeditent consilium augeantque principis auctoritatem.

Cap. 13. *moris.* cf. Ramshorn. Gr. § 108. 3. not. 1. p. 184.

probaverit. MS. Stuttg. *probaverat.* De verbi significatu cf. not. ad An. 1, 58. Ernestius frustra coniecit: *quam civitati se maturum probaverit.* Broterius: *quam civitati se suffecturum probaverit.* De more suo Tacitus omittit accusativum pronominis ad *suffecturum.* cf. not. ad An. 4, 52. Germanice: *ehe der Staat das billigende Urtheil gefällt, er werde genügen.*

tum eum in ipso concilio. Sic MS. Arund. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. (1519.) Viteb. Melanth. — *tum in ipso concilio* MS. Stuttg. edd. Paris. Rhen. (1533.) Ald. sqq. Nimirum ob sequens *iuvenem* addita vox *eum* displicuit. Sed Passovius recte vidit *eum* defendi posse, ut locus explicetur ita: „qui antea in puerorum numero habebatur, eum scuto frameaque ornatum *iuvenem* agnoscunt et pronuntiant." Namque Tacitus non frustra vocabulum *iuvenem* cum verbo *ornant* arte coniunxit: nempe *scuto frameaque iuvenem ornare* nihil aliud est quam: scuto frameaque ornare, ut iam sit pro iuvene. Apte cum hac sententia coniunguntur sequentia: *haec apud illos toga* etc. Etenim toga Romani ornabant iuvenem, qui modo fuerat in pueris: ita Germani scuto frameaque. — MS. Longol. edd. Rom. Norimb. ferunt: *cum in ipso concilio.* Pro *concilio* edd. Monac. et teste Ernestio recentiores quaedam exhibent *consilio*, vulgari confusione. cf. not. ad c. 6. et Hist. 4, 56.

vel pater. MS. Longol. edd. Rom. Norimb. *vel ipsi*, quod Passovio videtur haud spernendum. Sed *pater* et *propinquus* apte discernuntur. Vocabulum *ipsi* facile potuit oriri e compendio scripturae: nam et *pater* et *ipsi* in MSS. per compendium saepe scribuntur.

propinquus. Ed. Norimb. *propinquis.*

ornant. MS. Arundel. *exornant.*

haec apud illos toga. MS. Longol. ed. Norimb. *nec apud illos toga*, quod vitium traxit originem e scriptura: *Hec.*

principis dignationem. Ed. Monac. *principum.* Ed. Kath. *principiis.* MS. Arundel. *dignitatem.* Vulgatam scripturam esse veram nemo dubitat. Interpretando in diversas partes abeunt. Orellius *dignationem* ac-

etiam adulescentulis adsignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur. Nec rubor inter co-

apud Liv. 10, 7. *eos nos iam — esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris quam acceperimus.* Sueton. Cal. c. 24. *reliquas sorores nec cupiditate tanta nec dignatione dilexit.* Iustin. 28, 4. *Cleomenes diu in summa dignatione regis vixit.* Explicat: „ubi iuvenis ortus ex plebe, vel ex proceribus quoque, haud tamen insigni nobilitate aut eximio aliquo merito conspicuis scuto frameaque ornatus fuerat, non ideo statim a principe robustioribus ac iam pridem probatis aggregabatur, sed tali honore tantummodo post egregium aliquod facinus patratum affici solebat: quum vero adolescentulus, qui modo posuerat tirocinium, nobilitate aut magnis patrum meritis sese commendaret, princeps nulla iam mora interposita dignabatur eum recipere inter ceteros comites quamvis robustiores." Cum Orellio facit Beckerus. Obstat huic interpretationi verbum *adsignant*, quod vix in tali loco usurpari poterit pro *adferunt*, *comparant.* Inest potius *destinandi* notio, ut cogites de re non statim tributa, sed in posterum tribuenda. Accedit quod toto loco non sermo est de uno principe, sed de principibus. Tacitus si vellet, quod vult Orellius, scripsisset *principis sui*, nec *principis dignationem*, sed *dignationem principis.* Denique *dignationis* vocabulum in hac serie nimis vagum est. Nam per se intelligitur ob insignem nobilitatem et magna patrum merita debuisse adulescentulis conciliari dignationem cum aliorum tum principis. Quare cum Broterio, Passovio aliisque *dignationem* rectius accipies sensu passivo, qui dicitur. cf. An. 4, 16. *dignatio sacerdotum* (*Priesterehre*, non *Würde*, dignitas, quae est internum aliquid, quod in se habent viri; *dignatio* est externum illud, quod circumdatur dignitati. cf. not. ad An. 1, 34. sub v. *veneratione*). An. 3, 75. *dignatio magistratus.* Hist. 1, 19. *dignatio Caesaris;* 1, 52. *imperatoris dignatio;* 3, 80. *dignatio viri.* Liv. 2, 16, 5. *venire in principum dignationem.* Vid. ib. Drakenb., et Baumgarten-Crus. ad Sueton. Caes. c. 4. Nimirum duo Tacitus apud Germanos distinguit virorum ordines, *principes* et *non principes:* hos ipse dicit *omnes.* cf. c. 11. Principes eligi docuit c. 12. Nunc refert *dignationem principis* (*Fürstenehre*, non ipsum principatum) etiam adulescentulis adsignari ob insignem nobilitatem aut magna patrum merita. Hi principes, ut ita dicam, iuventutis praerogativa quadam utebantur, ut ceteris robustioribus ac iam pridem probatis statim adgregarentur eumque gradum tenerent, quem alii post egregium aliquod facinus tantum attingere poterant.

ceteris robustioribus. Ernestius et Broterius e Lipsii, Freinshemii, Conringii opinione contra veterum librorum auctoritatem scripserunt *ceteri robustioribus.* Probavit et Gebauerus in Diatrib. de Comitatu Princ. Germ. 1754. p. 99. Bipontini et Oberlinus sqq. bene restituerunt *ceteris.* Nam totum locum male intellexerant, qui mutatione opus esse putarunt.

adgregantur. Lipsius pro varia scriptura e vet. libro adfert *adgregant*, quod ipsi Taciti et veterum phrasim olere videbatur. At non omnia ubique sunt bona. Hic certe non *adgregant*, quasi e voluntate adolescentium res pependerit, sed *adgregantur*, h. e. res solebat fieri e recepta consuetudine et constitutione civitatis. — Hactenus de principum dignatione: iam scriptor transit ad comitatum, quem ne ipsum quidem sine dignatione fuisse memorat, dum pergit:

nec rubor inter comites aspici. Ernestius suspicabatur Tacitum

mites aspici: gradus quin etiam et ipse comitatus habet iudicio eius, quem sectantur: magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus; et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires: magno semper electorum iuvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.

XIV. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare.

cipit sensu transitivo, quo legitur scripsisse *rubori* et ultimam litteram a proximo vocabulo absumptam. A mutatione bene abstinuit. cf. not. ad An. 12, 40. sub vv. *ut maior laus compositi.* Ovid. Art. Am. 3, 203. *Nec pudor est oculos tenui signare favilla.* Ibid. v. 167. *Nec rubor est emisse palam.* Liv. 40, 27. De comitatu cf. Caes. B. G. 3, 22. 6, 15. 23. 7, 40.

quin etiam et. Sic edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *et* omittitur in edd. Spir. Kath. Put. Paris. Monac. Vienn. Beroald. Rhen. (1519.), nec satis apparet qua necessitate ea copula adsit. Infra c. 14. legitur *quinimmo et*, ad quem locum provocat Hessius: sed ibi *et* coniungit *pigrum* et *iners.*

principum. Ed. Vienn. et cod. Hummel. (in margine) *principium.* Sic et ed. Paris. hac distinctione: *principium. Cui primus* etc. Eadem distinctio est in edd. Spir. et Put., sed scriptum est *principum.*

magno semper electorum. MS. Arundel. edd. Rom. Norimb. *magno semper et electorum*, quod non spernit Ernestius. Passovio illud multo deterius vulgato nec e more Taciti videtur. De more Taciti vide An. 1, 55. *initio veris et repentino incursu.* An. 2, 39. *per idoneos et secreti eius socios.* Ita et huic loco satis convenit illud *et*, verumque vidisse Ernestium arbitror, qui suspicatur fuisse *et lectorum.* cf. c. 5. *lectissimi colores.* Hist. 3, 47. *lectissimae liburnicarum.* Ceterum Sellingius l. l. p. 10. locum ita distinguendum censebat, ut punctum post *comites* tolleretur, et verba *haec dignitas, hae vires* cum praecedentibus coniungerentur.

cuique. Hoc in MS. Vatic. 2964. et ed. Norimb. non legitur.

expetuntur enim. Unus Hessius edidit *expetuntur etiam*: putabam lapsu operarum; sed in Varr. LL. specimine primo item repetiit *etiam.* Ceterum intellige principes magno et decoro comitatu gaudentes expeti legationibus, quas exteri ad eos mittant.

Cap. 14. *adaequare.* Sic MSS. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Rom. Paris. Vienn. Norimb. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. cf. An. 1, 32. *numerum adaequarent.* An. 15, 19. *longa patrum vota repente adaequaret.* Caes. B. G. 5, 8. *longarum navium cursum adaequarunt*; 6, 12. *quos quod adaequare apud Caesarem gratia intelligebatur.*—*aequare* edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Pogg. Rhag. Monac. Beroald. Rhen. (1519.) cf. An. 1, 9. *quo Valerium Corv. et C. Marium simul aequaverat.* Utrumque igitur recte dici potest.

iam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est. principes pro victoria pugnant; comites pro principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescant. magnumque comitatum non

superstitem principi suo. MS. Hummel. *superstite principe suo*, lineola in voc. *superstite* inducta: quae scriptura it contra apertam loci sententiam.

praecipuum sacramentum est. Sic MSS. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Rom. Norimb. Paris. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *principum sacramentum* liber scriptus Lipsii (fortasse cod. Bamb.) edd. Spir. Kath. Put. Monac. Rhenan. (1519.) Viteb. Melanth., quod Ernestius defendi posse censebat exemplis Hist. 1, 76. *sacramentum Othonis*; 2, 55. *sacramentum Vitellii.* Addo An. 1, 42. *sacramentum eius detrectabunt.* Passovius recte animadvertit secundum haec exempla nunc debuisse scribi: *sacramentum principis*, non *principum*, et impeditam inconcinnamque exoriri structuram. Quod verba germanice interpretantur: *ist vorzüglicher Schwur* (Stromb.), vel *ist vorzügliche Huldigung* (Ricklefs.), vel *ist heiligster Eidschwur* (Walch.), non aptum est. Immo verba haec opponuntur superioribus: *infame in omnem vitam ac probrosum*, ut dicant, quomodo illud sit infame ac probrosum, ita hoc esse praecipuum sacramentum (*so gelte diefs für ehrenvolle Erfüllung der für den Fürsten übernommenen Verbindlichkeit.* Nam vocabulo *praecipuum* id inest quod dicimus *ehrenvoll*, *rühmlich*, innuitque haud raro id, quod potissimum est ac plurimum valet. cf. Hist. 4, 4. *isque praecipuus illi dies.* An. 15, 17. *praecipua servati civis corona*).

adulescentium. Sic An. 1, 46, 4, 17. Hist. 2, 62. Quare ne audias edd. Paris. Norimb., quae ferunt *adolescentum*. De hac forma cf. Ramshorn. Gr. p. 46. Schneider. Gr. T. I. P. 2. p. 246. Ruddim. Instit. P. I. p. 98. De ed. Put. Passovius falsus est: nam in utraque legitur *adolescentium*.

ultro. MS. Longol. ed. Norimb. *ultra*, vulgari confusione.

et facilius inter ancipitia clarescant. Sic edd. Spir. Kath. Paris. Pogg. Bipont. Oberl. Bredov. Seebod. Passov. Hess. Walch. — *et ut facilius ... clarescant* edd. Put. M. et V. Rhag. Beroald. Monac. Vienn. Alc. Rhenan. (1519.) Viteb. Melanth. — *et facilius . . . clarescunt* MSS. Stuttg. Hummel. Longol. edd. Rom. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et inter recentiores Ernest. Broter. Bekk. al. At diversa est membrorum ratio. Prius: *quia et ingrata genti quies* enuntiat rem in facto positam: quare ibi intelligas *est.* Posterius: *et quia facilius i. a. clarescant* dicit rem non aeque in facto positam, sed quae tantum fieri potest (*und weil sie leichter . . . berühmt werden können*). cf. c. 36. *quia inter impotentes et validos falso quiescas.* Qui libri interponunt *ut*, eo non sunt inepti: namque pro ratione (*quia*) enuntiant consilium. Attamen censeo Tacitum, si illo loco interposuisset *ut*, fuisse scriptum: *et quia .... et ut ...* Iam

nisi vi belloque tueare. exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. nam epulae et, quanquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia munificentiae per bella et raptus. Nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri. pigrum quinimmo et iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.

vero *quia* anteponitur, ut ad utrumque membrum pertineat.

tueare. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Stuttg. Arundel. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Pogg. Beroald. Alc. Monac. Vienn. Rhenan. (1519.) Pich. Bernegg. sqq. Ernest. Brot. Longol. Bredov. Seebod. Passov. Hess. Bekker. Walch. — *tuare* ed. Rom. — *tueantur* MS. Vatic. 2964., liber scriptus Lipsii (fortasse Bamberg.) edd. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. Micyll. Lips. Grut. Bipont. Oberl. alii. — *tuentur* MS. Vatic. 1862. idque Micyllus ut coniecturam suam posuit in margine. Satis apparet *tuentur* et *tueantur* esse facta per inscitiam, quae similitudinem huius membri cum praecedentibus vellet. *Tueare* et optimorum librorum auctoritate et praestantia sua nititur. cf. An. 6, 8. *adsequare;* 3, 54. *coerceas.* Hist. 1, 1. *adverseris.* — Ceterum ex edd. Spir. Put. aliisque punctum reposui ante *magnumque.* Non enim arte cum praecedentibus haec cohaerent, et saepissime *que* novam incipit sententiam.

liberalitate. MS. Stuttg. *libertate*, vulgari confusione. In Hummel. pro *principis* legitur *principes* ex librarii oscitantia.

nam epulae et, quanquam incompti, largi tamen apparatus. Sic MSS. Stuttg. Hummel. Longol. Arundel. (de MSS. Vaticc. Broterius ita tacet, ut videantur consentire) edd. Spir. (de qua Passovius alsus est) Kath. Rom. Paris. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. Micyll. Lips. Grut. Pich. sqq. et nuper Bekker. — *nam epulae et convictus quanquam* etc. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) Monac. Vienn. Bipont. Passov. Hess. al. Vocabulum *apparatus* iubent accipi pro genitivo, ad quem pertineant adiectiva *incompti* et *largi.* Beckerus *incompti* refert ad *convictus* et *largi* ad *apparatus.* At vocabulum *convictus* prorsus supervacaneum est inrepsitque per inscitiam eorum, qui aliquid deesse post *et* nec apte procedere verba *et quanquam* sqq. putarent. Passovium quoque offendunt *apparatus* tam nude positi: nescit quinam sint. At satis lucis habent e voce *epulae*, et de epularum apparatibus dixit etiam Sueton. Vit. c. 10. et 13., ubi aeque nude ponuntur *apparatus.* Particula *et* vi explicandi utitur, ut saepissime. Intellige epulas large quanquam incompte apparatas. Walchius edidit: *nam epulae quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt.* Sed subreptam copulam merito reposcimus.

cedunt. Edd. Spir. et Kath. *cedunt*, pervulgari vitio.

vocare. cf. not. ad Hist. 4, 80.

hostes. MSS. Arundel. Hummel. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Vienn. Hess. Günther. *hostem.* Parum refert.

quod possis sanguine. Ed. Paris. *quae possis sanguine*, idque

XV. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt dediti somno ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. gaudent praecipue finitimarum gentium do-

Hessio videtur haud spernendum. Sed nunc sermo est de certa quadam re, nempe de ea quae arando terram et exspectando annum adquiritur. Quare aptius ponitur *quod*. *Quae* spectat in universum.

CAP. 15. *Quotiens.* MS. Stuttg. *quoniam quociens.*

non multum. Sic veteres libri omnes. At Caesar. B. G. 6, 21. *Vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consumitur.* Et 4, 1. de Suevis: *multum sunt in venationibus.* Quibus verbis deceptus Lipsius negationem *non* apud Tacitum expungendam censuit. Adsentiunt Conringius, Cluverius, Perizonius, Ernestius, Sellingius aliique. Expunxerunt Bipontini, Oberlinus, Bekkerus, alii. Rectius negationem defendunt et retinent Longolius, Passovius, Hessius. Nam qui dediti somno ciboque plus vitae per otium transigunt quam aliud agendo, multum venationibus operae dare apte dici nequeunt. Nec sequentia huius loci verba Lipsii emendationi patrocinantur. Ceterum Tacitus non in universum Germanos dicit *non multum* venatibus indulgere, sed comparando scribit: *non multum ... plus* —, h. e. venatibus etiam temporis aliquid transigunt, nec vero tam multum quam per otium. *Non multum* ex oppositione vocabuli *plus* significat partem minorem. Germanici: *einen kleineren Theil ihrer Zeit verleben sie auf der Jagd, den gröſseren im Müſsiggehen.* Accuratiorem haud dubie notitiam Germanorum Tacito quam Caesari adsignabimus.

agrorum. Ed. Spir. vitiose *agiorum.* Eadem et edd. Put. punctum ponunt post *agens.*

ipsi hebent, mira diversitate etc. Sic MS. Stuttg. Farnes. edd. Roman. Norimb. Lips. sqq. — *ipsi habent mira diversitate* etc. edd. Spir. Kath. Rhag., aperto vitio. Sed inde emendandi studio orta est scriptura: *ipsi habent miram diversitatem* etc., quam ferunt MSS. Hummel. Longol. edd. Put. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Lipsium. Ed. Paris. praefert *habitant mira diversitate* etc.

iidem. Ed. Norimb. *iisdem.*

oderint. Edd. Paris. Vienn. *oderunt.*

ultro ac viritim ... subvenit. Sic libri veteres. Genitivi *armentorum* et *frugum* sunt partitivi pendentque e voce *id*, quae ante *quod* omittitur. Hist. 2, 44. *superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit.* cf. Ramshorn. Gr. § 104. not. 2. p. 169. Frustra igitur viri docti operam posuerunt in sanando loco, qui sanus est. Et Rhenanus quidem, qui in ed. Norimb. (cod. Artolphi) pro *ac vi-*

nis, quae non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae torquesque. iam et pecuniam accipere docuimus.

XVI. Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est: ne pati quidem inter se iunctas sedes.

ritim vidit *ac uirium* s. *ecuirium*, coniectabat legendum esse: *equitium*. Sed Ernestius *ac iurium* ibi legi prodidit. Ita et MS. Longol. Lipsius volebat: *ultro ac viritim X conferre*, ut legeres *decimam* vel *decimas*. Colerus verba *vel armentorum vel frugum* ut e glossemate orta eiiciebat. Cluverius adiiciebat *aliquid* probante Conringio. Bipontini fecere: *ultro auctarium*.

acceptum. Ed. Paris. *exceptum*.

sed publice mittuntur. Sic edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *sed et publice mittuntur* MSS. Arundel. Stuttg. edd. Paris. Rom. Norimb. Monac. Rhenan. (1519.) et nuper Seebod. al. Particulam *et* vel *etiam* in tali loco omitti posse vidimus An. 1, 77. 3, 62. et 65. 4, 71. et alibi. Nimirum omisso *et* maior vis cadit in vocabulum *publice*.

iam et pecuniam accipere docuimus. cf. Hist. 4, 76. *Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere. pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, maiora apud Romanos* etc.

Cap. 16. *populis*. Ed. Vienn. *populos*. Ed. Paris. *nullos ... populos*. Quod Tacitus nullas Germanorum populis urbes habitari prodidit, sunt qui ei fidem denegent. Obiiciunt *Mattium* Cattorum caput An. 1, 56., Marcomanorum *regiam* An. 2, 62. atque *πόλεις* a Ptolemaeo recensitas. cf. Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 202. Becker. in *Anmerkungen und Excurse* etc., p. 84. sqq. At incassum disserunt. Nam quis unquam sibi persuadebit Mattium illud aut regiam Marcomanorum aut *πόλεις* Ptolemaeo memoratas talia fuisse loca, quae sensu Romano *urbes* potuerint nuncupari. *Urbium* vocabulum quo significatu a Tacito usurpetur, satis docent loci An. 2, 47. 53. 12, 13. Hist. 5, 2. 8. 11. aliique. Intelliguntur grandiores illae sedes muris circumdatae, portis instructae, aedificatione insignes. Evolvas quaeso locos omnes, quibus apud Tacitum sermo est de urbibus, et dein iudices, an eius generis sedes, quae Tacito urbes dicuntur, sint quaerendae apud Germaniae incolas. Si illo tempore urbes ibi fuissent, haud dubie non deessent urbes oppugnatae, obsessae, captae in bellis, quae Romani cum Germaniae populis gesserunt, vel in quas Germani acie pulsi se receperint. Immo deserebant sedes suas inque silvas aut conterminorum fines digrediebantur propinquante hoste. Caesar etiam in commentariis nunquam loquitur de urbibus Germanorum, sed tantum de oppidis, nonnunquam de castellis. cf. Caes. B. G. 2, 29. 4, 19. 6, 10. Urbes, quae Tacito audiunt, difficilius occupantur, incenduntur, vastantur, quam factum est Mattio et regiae Marcomanorum l. l. Ne igitur opinemur Tacitum in re, quam dicit satis notam esse et quam profecto nescire nequibat, tam crassum in errorem abiisse, qualem ei imputant nostri homines. Ceterum vide quae de hac re disputarunt Frid. Schlegel. in Praelect. de hist. recent. p. 37. F. C. H. Kruse in: *Archiv für alte Geogr. u. Gesch.* fasc. II. p. 1—59. Vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1823. nr. 9. p. 857. sqq.

colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive inscitia aedificandi. ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt: et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

locant. Edd. Paris. et Norimb. *longant.*

non in nostrum morem. MS. Arundel. *non nostro more.* Sed cf. An. 1, 17. *in modum servorum;* 1, 44. *in hunc modum exercuit;* 1, 58. *in hunc modum fuere.*

suam quisque. MS. Stuttg. *Nā quisque.*

inscitia. Ed. Norimb. *institia.*

ne caementorum quidem. Edd. Viteb. Melanth. *nec . . . quidem.* Ed. Norimb. *scaementorum.*

aut tegularum. Ed. Rhenan. (1533.) *aut ant tegularum* vitio operarum, unde Aldus fecit *aut ante tegularum.*

inlinunt. MS. Arundel. *illiniunt.*

ac splendente. Edd. Spir. Kath. Put. Monac. Beroald. Alc. Rhen. (1519.). De edit. Rhenan. (1533.) Hessius, de ed. Ald. Passovius falsi sunt. Nam ibi est *ac splendente,* quod item exstat in MS. Stuttg., si Hessii silentio fides est habenda.

lineamenta. Edd. Spir. Put. Paris. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. cum Lipsii prima et MSS. Stuttg. Farnes. *liniamenta.*

imitetur. Edd. Rhenan. (1533.) Ald. Gryph. Micyll. *invitet*, fortasse e vitio typographico. Nam Rhenanus tacite sic edidit. Lipsius e cod. Farnesiano anno 1574. restituit *imitetur*, quae est scriptura librorum ante Rhenanum editorum.

aperire. Ed. Spir. *operire.*

onerant. MSS. Bamberg. Arundel. *operiunt.* MS. Stuttgart. *ornant.*

locis. Ed. Melanth. *loca.*

aperta populatur. Eadem locutio est An. 1, 56. MSS. Longol. et Vatic. 2964. edd. Norimb. Rom. *aperta populatio.*

ignorantur. Ed. Norimb. *ignoranter.*

XVII. Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. locupletissimi veste distinguuntur non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit.

Cap. 17. *Tegumen.* Alibi Noster constanter scribit *tegimen.* cf. An. 2, 21. Hist. 2, 20.

sagum. cf. Mela 3, 3. *viri sagis velantur* etc.

si desit. Ed. Paris. *si ea desit.*

spina. Lipsius malebat *pinna*, sive e pisce sive e ligno vel alia materia. Sed cf. Virgil. Aen. 3, 594. *consertum tegumen spinis.* Ovid. Met. 14, 166. *spinis conserto tegmine nullis.*

cetera intecti. cf. Hist. 2, 22. *more patrio nudis corporibus.*

fluitante. Ed. Vienn. *fluitantem.*

artus. MS. Longol. edd. Rom. Norimb. *arctus.* Ed. Viteb. ante *singulos* omittit *et.*

ferarum pelles. cf. not. ad An. 2, 13. Caes. B. G. 4, 1. 6, 21.

proximi .... cultus. Male locum intellexerant, qui aliqua emendatione eum indigere putarunt. Muretus, Acidalius aliique malebant: *proximi ripae exquisitius, ulteriores negligenter.* Immo proximi ripae, quibus per commercia est cultus provincialibus Romanisque similis, negligenter utuntur pellibus; quippe in alium cultum versis non superest cura veteris vestitus. Ulteriores autem, quibus nullus per commercia cultus, exquisitius utuntur pellibus et curiosiores sunt in eo usu, in quo existimatio quaedam est apud ipsos, ut ita nobiliores ditioresque praestantiorem habeant vestitum. Egregie haec illustrantur per locum, qui exstat in personati Wilibaldi Alexis *Herbstreise durch Scandinavien* Tom. II. p. 32.: *Bei den nördlichen Lappen ist das Fell (des Rennthiers) der einzige Stoff zu ihren Kleidern und eben so zu den Decken ihrer Zelte. Gegen die Gränzen zu wissen sie den Werth der Häute zu gut als Handelsartikel zu schätzen, um nicht zu beiderlei Bedarf sich wohlfeilere Stoffe einzutauschen.*

ut quibus. Haec in ed. Monac. non leguntur.

maculis pellibusque. Ἓν διὰ δυοῖν. cf. infr. c. 28. *a similitudine et inertia Gallorum separantur;* c. 23. *oblectationi oculisque ceciderunt.* Vir doctus in Ephem. lit. Lips. 1827. Nr. 47. copulam mavult accipi ἐπεξηγητικῶς positam. Sed id eodem redit: nam in formula quae dicitur ἓν διὰ δυοῖν copula semper ea vi fungitur, ut ἐπεξηγητικῶς adiungat alterum vocabulum.

quas exterior Oceanus . . . gignit. Ne unice cogites de belluis marinis aut piscibus, id quod Lipsio Barthioque accidisse videmus, sed exteriorem Oceanum ignotumque mare metonymice accipias etiam de insulis Oceani orisque.

Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos: sed et proxima pars pectoris patet.

XVIII. Quanquam severa illic matrimonia: nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope

nec alius. Ed. Paris. *nec aliis.*

lineis amictibus. Plin. N. H. 19, 1. *Vela texunt . . . et Transrhenani hostes: nec pulchriorem aliam vestem eorum feminae novere.*

eosque purpura. Ed. Vienn. *eosque et purpura.* Ne *purpuram* intelligas quae proprie dicitur, sed de rubro colore in universum accipias. cf. Plin. N. H. 16, 18. 21, 26. Vitruv. 7, 14.

ac lacertos. MS. Tur. et ed. Monac. *et lacertos.*

Cap. 18. *Quanquam.* Varie locum distinguunt. Plurimi novum caput auctore Berneggero incipiunt a vocabulo *quanquam* atque interpungunt: *patet. Quanquam* etc. et sic MS. Tur. edd. Kath. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. nuper Passov. Hess. aliique. Et Passovius quidem particulam *quanquam* absolute positam adfirmat, cuius usus exempla ipse praebeat Tacitus An. 2, 1. 2, 34. At, pace viri doctissimi dixerim, aliena ab hoc loco sunt illa exempla, nec quidquam iis inest, quo *quanquam* absolute dictum arguas. Alii novum caput incipiunt a verbis: *Sed et proxima . . . patet: quanquam* etc. Eandem distinctionem praeferunt edd. Spir. Put. Beroald. al. Sed Passovius recte animadvertit ita artius coniuncta distrahi. Alii verba *quanquam . . . matrimonia* ad caput praecedens trahunt novique capitis initium faciunt a verbis: *Nec ullam* etc., quod Hessius in Varr. Lectt. II., p. 14. vult fieri a verbis: *Dotem non uxor* etc., quanquam is falsus est de edd. Spir. et Puteol. Nam ibi non est comma, sed colon ante *quanquam.* Commatis illi libri non utuntur. Bekkerus edidit: *patet, quanquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris.* De initio capitis ego non pugno. Nam in capita Taciti contextum distinxit Gruterus (qui nunc novum caput incipit a *nec ullam*), potuissetque aliam instituere rationem, si ita lubuisset. Sed ipso loci argumento id satis certum est verba: *quanquam ... matrimonia* spectare ad sequentia, nec posse divelli a verbis *nec ullam* etc. Hoc non impedit, quo minus *quanquam* respiciat ad praecedentia. Nam res cohaerent sic: Feminae apud Germanos in vestitu eodem cum viris modo utuntur, ut ex parte tantum corpus velent nudaeque sint brachia et lacertos: sed et proxima pars pectoris patet. Ne tamen libidinosi quid aut obsceni in ea nuditate esse suspiceris licentiamque apud Germanos obtinere putes, scriptor pergit: *Quanquam* etc.; quae quidem particula prorsus ut Graecis usurpatur *καίτοι*, quod et ipsum, uti nunc *quanquam*, postponitur novamque incipit sententiam. cf. Hermann. ad Viger. adnot. 333. Novam plane de hoc loco sententiam nuper tulit Beckerus in *Anmerkungen und Excurse*, p. 99. Is statuit verba *quanquam s. i. matrimonia* efficere protasin: apodosin incipere a *nec ullam* etc. Interpretatur: *Obwohl die Ehen dort sehr strenge sind, so mögten doch ihre*

soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes et propinqui ac munera probant. munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur. atque invicem ipsa armorum aliquid viro adfert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes

Sitten in keiner Hinsicht mehr zu loben seyn. Sed haec nemini persuadebit.

laudaveris. MS. Stuttg. *laudaveris verim.*

nuptiis ambiuntur. H. e. ambiuntur accipere nuptias. cf. Hist. 4, 51. *tantis sociorum auxiliis ambiri.* An. 2, 43. *donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere.* Ambitus partes ne cum Weikerto tribuas ipsis virginibus, sed parentibus vel propinquis cum Hessio. cf. Caes. B. G. 1, 53. *duae fuerunt Ariovisti uxores* etc.

uxor marito. Voc. *uxor* in edd. Rom. Norimb. non legitur: a MSS. Bamb. et Arundel. abest *marito.* Apud Romanos uxor marito offerebat dotem. cf. Heinecc. Antiq. 2, 8. De Gallorum more vid. Caes. B. G. 6, 19. Dithmarus ad h. l. docet donationem hanc ob nuptias diversam esse ab eo quod dicitur *Morgengabe*, quam donationem maritus post primam noctem offerebat.

delicias muliebres .... comatur. MS. Stuttg. *muliebres cultus .... ornatur.*

et frenatum equum et scutum. Ed. Paris. *et frenatum equum: equum et scutum.*

in haec munera. Praepositio *in* conditionem significat, sub qua etc., ut graecum *ἐπί* cum dativo iunctum.

viro adfert. Longolius adnotat: „alii *marito*, minus bene." Quod ubi sit nescitur. Nam libri veteres et recentiores constanter exhibent *viro.*

ipsa armorum. MS. Stuttg. *armorum ipsa.*

haec arcana sacra. Respicit Tacitus ad ritum confarreationis apud Romanos usurpatae (de qua cf. An. 4, 16.), et similis hic locus est illi quem legimus c. 13. *haec apud illos toga, hic primus iuventae honos.* Hessius *arcana sacra* mavult accipi de communione sacrorum, ad quae uxor, postquam per confarreationem in manum mariti convenerat, sacris paternis soluta admittebatur secundum Dionys. Halicarn. 2., p. 95. *γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν.* Sed non video, cur haec sacra communia mariti et uxoris dicantur *arcana.* Arcana sacra sunt, quae arcanam, mysticam habent vim, qualia sunt sacra, quibus fiunt nuptiae confarreatae. Ceterum ed. Paris. pro *haec arcana* fert *hic archana.*

extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat quae nurus accipiant, rursus quae ad nepotes referantur.

extraque. Ed. Vienn. omittit *que.*

ipsis incipientis matrimonii auspiciis. Ed. Paris. *ipsis incipientibus matrimonium auspiciis.*

hoc — hoc — hoc. MS. Stuttgart. *hec — hec — hec.*

data arma. MS. Longol. *parata arma.*

denuntiant. MS. Longol. edd. Rom. Paris. *renuntiant.* Ed. Norimb. *renunctiant.* Verbum *denuntiare*, ut sit praedicere, portendere, ἐπαγγέλλειν, σημαίνειν, saepius de prodigiis, auguriis legitur apud Suetonium, uti Caes. c. 81. Oct. c. 94. et 96. Tib. c. 59.

sic vivendum, sic pereundum. Ita codd. MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *sic viventes, sic parientes* MSS. Vatic. 2964. Longol. edd. Rom. Norimb. — *sic vivendum, sic pariendum* MSS. Vatic. 1862. Hummel. ed.

d

Paris. — *sic uineū sic pieū* MS. Stuttgart. Supra adscriptum est *periendum*, in margine *pariendum.* Ex hoc codice cognoscitur varietatem scripturae compendiis deberi. Colerus coniiciebat: *si vivendum, si pereundum.* Rhenanus: *sic viventes, sic parientes, accipere se quae liberis inviolata ac digna reddant.*

quae liberis inviolata ac digna reddat quae nurus accipiant, rursus quae ad nepotes referantur. Sic codd. MSS. Vaticc. Tur. aliique, edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. (1519.), nisi quod libri quidam, ut MS. Tur. et ed. Rom. pro *quae* ferunt *que* utroque loco. MS. Longol. pro *inviolata* exhibet *involuta*, ed. Norimb. *involata.* — Ed. Paris. pro *referantur* exhibet *deferantur*, quod Hessio magis placet. — MS. Stuttg. *inferantur.* In eodem libro desunt verba: *accipere se .... reddat*, et *quae* post *rursus.* Rhenanus anno 1533. edidit: *rursusque ad nepotes referant*, quem secuti sunt Ald. Micyll. Lips. Pichen. Bernegg. Gronovii, Longol. Ernest. Broter. Bipont. Oberlin. et nuper Bekkerus aliique. Sed nulla prorsus est necessitas, qua vett. librorum auctoritatem spernamus, quum omnia bene procedant. Nam voc. *digna*, quod Lipsium offendebat, satis aptum est, si coniungis cum *quae .... accipiant.* Etenim *digna sunt quae nurus accipiant*, si sunt inviolata. Copula *ac* igitur, ut saepe, habet vim explicandi. Plenius Noster dixisset: *inviolata liberis reddat, ut sint digna quae nurus accipiant.* Acidalius frustra transpositione loco medebatur: *quae liberis inviolata reddat, ac digna, quae nurus* etc. Patrocinantur tamen huic transpositioni Dan. Heinsius, Boxhornius, Conringius, Thierschius. Sed eadem sententia inest verbis non transpositis. Emmerlingius in Observv. putat Tacitum pressisse vestigia Livii 26, 50. *ut inviolatum et dignum me teque*

XIX. Ergo septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum inritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulte-

dari tibi donum posset. Sed diversa est utriusque loci ratio. — Altera quaestio est de vocabulo *rursus*, quod ante *quae* et ab initio membri positum aegre ferunt. Et Rhenanus quidem mutavit *rursusque*. Passovius distinxit: *accipiant rursus, quae ad nepotes referantur.* Nemo imitatus est: nam male se habet *rursus* in fine membri; optime membrum inchoat. Cum emphasi enim ponitur inservitque membris distinguendis. cf. An. 1, 80. *neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat;* 1, 25. *rursum viso Caesare trepidare;* 1, 29. *rursum idem Blaesus.* De vi et significatu huius particulae cf. not. ad An. 13, 14.

Cap. 19. *septa pudicitia agunt.* Sic MSS. Stuttg. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Rom. Ber. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Bipontinos, qui e MS. Arundel. edidere *septae pudicitia.* Obtemperarunt Oberlin. Passov. Hess. Walch. Selling. aliique. — Bekkerus maluit repetere *septa*, quod etiam MSS. Vaticc. fortasse inest. Nam Broterius edidit *septa*, nulla e codd. Vaticc. scripturae varietate memorata. Et *septa pudicitia* est ea ipsa quae nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum inritationibus corrumpitur, tuta, inexpugnabilis, inviolata, et tali pudicitia mulieres Germanorum egisse nunc Noster docet. — *septae pudicitia* sunt tutae pudicitia h. e. quas pudicitia sua defendit ab iniuria. cf. Liv. 3, 44. *postquam omnia pudore septa animadverterat.* Tac. An. 1, 5. *mari Oceano aut amnibus septum imperium.* Propert. 2, 18, 69. *nullo septa timore.* Hanc scripturam praecipue commendavit Passovius contendens alteram perversam praebere sententiam. At utramque bene se habere, illam vero maiore librorum auctoritate niti, melius etiam contextui convenire iam inter viros doctos constat.

litterarum secreta. Interpretes mire variant in explicanda huius loci sententia. Aliis *litterae* accipiuntur eo significatu, quo exprimunt nostrum *Buchstaben, Schrift; litterarum secreta* iidem interpretantur *Schreibekunst*, ut ita litterarum secreta opponantur simplici et ingenuae sermonis sinceritati, quia scriptura arcani quid et secreti prae se ferre videatur. cf. Adelung. hist. ant. Germ. p. 373. sq. Passovius ad h. l. Igitur usum scripturae abiudicari Germanis censent, genti scilicet, non principibus nonnullis arte Romanorum corruptis. Ita occurrunt iis qui obiiciunt epistolas, quas scripserunt Maroboduus An. 2, 63. Adgandestrius ib. c. 88., et adfirmant Germanos sine dubio scripturam calluisse. cf. Fr. Schlegel. Praelectt. p. 35. W. Grimm. de run. Germ. p. 32. sq. *Litterarum secreta* hic accipiuntur de litterarum usu ad communicanda secreta amatoria apud Romanos frequenti, de epistolis furtivis. cf. Ernest. Broter. Anton. Hess. Ricklefs. ad h. l. Luden. Hist. Germ. I. p. 550. 740. Dithmarus cogitat de notis clandestinis ac signis libidinosis super mensam digito madido factis et de omni arte, quam descripsit Ovid. Amor. 1, 4, 17 sqq. Heroid. ep. 16, 81. Alii alia opinantur. Hoc satis certum est Germanos nunc laudari in contumeliam Romanorum, apud quos, ut spectaculorum inlecebrae et conviviorum inritationes pudicitiae detrimentum adferebant, ita et viri pariter ac fe-

ria; quorum poena praesens et maritis permissa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. publicatae enim pudicitiae nulla venia. non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum

minae litteras inter auxilia rei amatoriae habebant. Ceterum vocem *secreta* noluerim referri ad litteras furtim datas (*heimlicher Briefwechsel*), quam potius ad secreta, quae litteris insunt. Nam ideo litteris amatores utuntur, ut secreta maneant nec divulgentur, quae ipsi mittunt.

poena praesens. MSS. Bamb. et Arundel. *poena parentibus,* quod praetulerunt Bipontini, quia durum videbatur tale iudicium soli marito commissum. Sed cf. Caes. B. G. 6, 19. de Gallis: *Viri in uxores sicut in liberos vitae necisque habent potestatem.* Varietas scripturae originem traxit e compendio *p͡ns*, quod exstat in MS. Stuttgart. et ed. Rhag. Ceteri libri consentiunt in *praesens.* cf. Hist. 2, 75. *praesens facinus.* Vid. ib. not.

accisis crinibus. cf. An. 1, 61. *accisae iam reliquiae.* MSS. Tur. Stuttg. *abscisis.* cf. Hist. 3, 74. et 78. — MS. Longol. *adcisam.* Ed. Norimb. *adcisis.*

verbere agit. MS. Arundel. *verberans agit.*

publicatae enim pudicitiae. Ed. Monac. *publicante* pro *publicatae.* MS. Stuttg. *rupte enim*, at in margine *publicate.* MS. Vatic. 2964. *impudicitiae.* Pro *enim* Lipsius malebat *etiam* adsentientibus Ernestio, Broterio aliisque. Non enim hoc aiunt ad adulteras referendum, sed ad eas quae iniuges vulgo tamen se vulgarent. Ernestius *enim* tolerat, ut transitum faciat. Sed alia est huius loci ratio. Dixit scriptor de severitate, qua puniuntur adulterae. Iam rationem addit eius severitatis, nempe publicatae pudicitiae nullam esse veniam. Hinc severitas illa maritorum in adulteras. Nam qui aspernantur ducere scortum, ii profecto non tolerabant scortum in matrimonio. Ita apte haec cohaerent.

invenerit. Sic edd. Rom. Paris. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ita fortasse et alii libri, de quibus silentium est. — *invenit* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Alc. (1519.) Viteb. Hoc facillime potuit oriri e compendio quo solet scribi terminatio *erit.* — *maritus invenitur* MS. Stuttg., idque fecit, qui subiectum verbi desideraret.

corrumpi saeculum vocatur. MS. Stuttg. *corrumpi se seculum* — Ed. Norimb. *vocantur.*

melius quidem adhuc. Intellige *faciunt.* cf. Ramshorn. Gr. §. 205. p. 684. Tac. An. 1, 43. *melius et amantius ille qui gladium offerebat.* Particulam *adhuc* pro *etiam* simili modo posuerunt Tacit. infr. c. 29. *adhuc . . . acrius;* Sueton. Ner. c. 10. *ut certiorem adhuc ostenderet;* Id. Tib. c. 17. *amplior adhuc cumulus;* Senec. ep. 49. init. *adhuc paulo minus;* Id. ep. 57. *adhuc tenuior;* Id. ep. 85. *adhuc viliorem.* Adde Quint. 1, 5, 22. 2, 4, 13. 2, 15, 28. Ruhnken. ad Muret. Vol. III. p. 198. Eodem modo usurpatur Graecorum ἔτι, Xenoph. Cyrop. 5, 4, 20. ἔτι ἐλάττων. Ibid. 3, 2, 18. ἔτι μᾶλλον. Bredovius et vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 205. *adhuc* interpretantur

virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur. sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

XX. In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. inter eadem pecora, in eadem humo

„usque ad hoc tempus," ut insit suspicio mox eam rem apud Germanos mutatum iri, sicuti bona et pulchra omnia mutari in peius soleant. Quam suspicionem ab hoc loco alienam esse satis apparet. Vir doctus in Ephem lit. Ien. ann. 1818. p. 205. 206. locum emendat sic: *saeculum vocatur melius. Vidimus adhuc eas civitates* etc., quam crisin taxavit Hess. in Varr. Lectt. I., p. 24. — MS. Stuttg. *melius- v he que adhoc ex.*

et cum spe votoque uxoris semel transigitur. cf. Agr. c. 34. *transigite cum expeditionibus.* Hist. 3, 46. *et quod Cremonae interim transegimus.*

quomodo. MS. Stuttg. *quō* per compendium: in margine *cum.*

ne ulla cogitatio etc. Groslotius e vet. cod. malebat *nec — nec — nec.* Male: quanquam ed. Vienn. habet *nec longior.* Ricklefsius pro duplicato *tanquam* mavult *tam . . . . quam.* Sed haec coniectura alienum loco colorem induit.

finire. Ed. Norimb. *finuere.* E loci sententia *finire liberos* est: certo et statuto numero liberorum nullos amplius addere, nolle plures, ut potius conceptio evitetur vel partus denuo conceptus abigatur. cf. Iuvenal. Sat. 6, 595 sqq. *Tantum artes huius, tantum medicamica possunt, quae steriles facit atque homines in ventre necandos conducit.*

ex agnatis. cf. not. ad Hist. 5, 5. Hic Strombeckius praefert *ex gnatis.*

flagitium. Ed. Alciat. *fligitum,* vitio typographico.

Cap. 20. *miramur.* MS. Stuttgart. *mirantur.* Idem liber *ubere* pro *uberibus.* Iuvat de huius loci rebus relegere Gell. N. Att. 12, 1. et Tacit. dial. de Orat. c. 28. — MS. Arundel. *in haec corpora nutriuntur et crescunt.*

deliciis. Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *delitiis.* cf. Grotefend. Gr. T. II., § 177.

dignoscas. Ed. Rom. *noscas.* — MS. Tur. edd. Spir. Kath. Paris. Norimb. Vienn. *dinoscas.* Eandem formam optimi codd. ferunt apud. Sueton. Oth. c. 12. *ut nemo dinosceret*; eandem scripturae varietatem codd. Ovid. Metam. 13, 835. Iuvenal. Sat. 10, 2. De MSS. Vaticc. Broterius tacet. Simile est *adnoscere*, quod vidimus An. 6, 8. in edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

degunt: donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum Venus; eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur: eadem iuventa, similis proceritas: pares validaeque miscentur ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui ad patrem honor. quidam sanctiorem

donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. In MS. Stuttg. locus legitur ac distinguitur sic: *donec aetas seperet, ingenuos virtus agnoscat*, et eodem modo Thierschius in Act. Phil. Mon. T. III. fasc. 3. p. 464. verba distinguenda censuit. Sed *aetas* et *virtus* ut invicem opposita aptius singula membra incipiunt. Quae sit aetas intelligenda, quaere cap. 13. Ed. Viteb. *donec aetas seperet ingenuos, virtus agnoscatur.* Scriptura *seperet* exstat etiam in edd. Norimb. Vienn. Eandem saepius vidimus in cod. MS. Guelf., qui Annales et Historias complectitur.

inexhausta. Ed. Norimb. *inexauta.* De re cf. Caes. B. G. 6, 21. *Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires nervosque confirmari putant.* Mela 3, 3. *longissima apud eos pueritia est.*

festinantur. H. e. propere sive festinanter collocantur. cf. Roth. Quaest. Gram. in Seebodii libro: *Neues Archiv.* etc. 1830. p. 28.

pares validaeque miscentur. Sic libri veteres cum ed. Lips. prima et inter recentiores edd. Ernest. Broter. sqq. — *validique* edd. Lipsii posteriores, Pichen. Gruter. sqq. ad Ernestium et nuper Lünemannus, qui animadvertit et *sponsum sponsamque* per masculinum genus significari, et *reges* Latinis dici pro rege et regina, *fratres* pro fratre et sorore. At nunc non de utroque sexu sermo est, sed de virginibus tantummodo. Explicationis causa haec verbis praecedentibus (*nec virgines festinantur*) adponuntur, ut sententia sit: eadem iuventa, similis proceritas est, quando nubunt, nec maturius aut infra iustam proceritatem locantur, ut potius sint pares viris, quibus miscentur, et propterea validae. cf. Caroli M. Legg. §. 145. *Nullus praesumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare in dissimili aetate, sed coaetaneos et sibi consentientes.* Vid. Orellius ad h. l.

ad patrem. Sic libri veteres quantum constat omnes. Rhenanus anno 1533. pro *ad* tacite scripsit *apud*, quod inde propagatum est usque ad Passovium, qui veterem scripturam revocavit. Rhenani emendationem maluerunt Bekkerus aliique. Iam qui edunt *ad*, accipiunt pro *apud*, putantque variationis causa Tacitum in altero membro maluisse *ad* (cf. Passov. ad h. l.): quod multum a vero abest. Immo diverso sensu alterum membrum exprimitur. Sententia non est: avunculus et pater illos eodem honore prosequuntur; sed avunculus sororum filios eodem honore habet quo eos haberet, si pater eorum esset. Igitur *ad patrem* non exprimit rem in facto positam, ut *apud avunculum*, sed notionem tantum necessitudinis, quae est inter patrem et filium. Quare scriptura *apud patrem* tolerari nequit, quippe profecta ex inscitia verae loci sententiae. De praepositione *ad* cf. An. 1, 8. *sed iactantia gloriaque ad posteros;* ib. c. 40. *degenerem ad pericula;* ib. 6, 8. *ad Caesaris amicitiam validus.*

artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt: tanquam ii et animum firmius et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi: et nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior adfinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.

XXI. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. nec implacabi-

artioremque. Sic edd. Paris. Lips. Pichen. Gruter. sqq. et nuper Bekkeri. — Vulgo nunc edunt *arctioremque*, quod exstat in edd. Spir. Put. Beroald. Alciat. Rhen. sqq. ad Lipsium. Sed cf. not. ad An. 2, 66.

hunc nexum sanguinis. MS. *hunc* Stuttg. *habet sanguinisque.*

obsidibus. MS. Longol. *obsidiis*, quod damnant interpretes et adfirmant *obsidiis* esse *obsidione.* Sed Tacito An. 11, 10. *obsidio datus* est obses, nec abhorret illa metaphora a scribendi genere Taciti. Sic An. 12, 65. *coniugium* pro coniuge; 14, 39. 16, 2. *remigium* pro remigibus; 14, 6. *servitia* pro servis; Hist. 2, 45. *mors* pro mortuis; 4, 71. *delectus* pro delectis militibus; An. 2, 13. *matrimonia* pro uxoribus, aliaque id genus multa.

magis exigunt. MS. Arundel. *maxime exigunt.*

tanquam ii et animum etc. Sic edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *tanquam et ii animum* etc. edd. Alciat. Viteb. — *tanquam et in animum* etc. MSS. Tur. Longol. Hummel. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Norimb. Beroald. Rom. Rhag. Rhenan. (1519.). — *tanquam et animum* etc. ed. Vienn. De Vaticc. Broterius tacet. Saepissime *in* et *ii* confundi in vett. libris vidimus An. 1, 28. et Hist. 3, 82. Ita *in* et *hi* confunduntur Hist. 1, 76. Fortasse *hi* pro *ii* rectius se habebit nostro loco.

in possessione. Ed. Dithmar. *in successione*, quod nulla veterum librorum auctoritate nititur. De vocabulo *possessio* cf. not. ad An. 2, 5., unde intelligitur *possessionis* vocabulum idem hic efficere, quod Dithmarus volebat *successione* substituendo.

avunculi. Ed. Paris. *avonculi.*

quo maior. MSS. Stuttg. Hummel. et ed. Norimb. *tanto maior.*

gratiosior. Sic MSS. Vatic. 1518. Stuttg. (fortasse et Arundel.) edd. Rom. Norimb. Rhen. (1533.) Ald. sqq. Recte. cf. Sueton. Oth. c. 2. *libertinam aulicam gratiosam.* Plin. ep. 3, 20. *gratiosi praevalent.* Igitur *gratiosior senectus* est quae multum habet favorem. — *gratior* MSS. Vaticc. 2964. et 4498. Tur. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Monac. Vienn. Ber. Rhen. (1519.) (sed tamen haec in margine *gratiosior*) Viteb. Ante *gratior* ed. Paris. omittit *tanto.* cf. An. 2, 5. *quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior* etc.; 3, 43. *apud Aeduos maior moles exorta, quanto* etc.

nec ulla. Pro *nec* MS. Stuttg. exhibet *ne.*

Cap. 21. *Suscipere tam inimicitias.* MS. Tur. pro *tam* exhibet *tamen*, vulgari confusione.

seu propinqui. In ed. Paris. *seu* non legitur.

les durant. luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero recipitque satisfactionem universa domus: utiliter in publicum; quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem. Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur. pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes. proximam

utiliter. MS. Longol. et ed. Norimb. *utilitate.*

convictibus et hospitiis non alia gens. MS. Stuttgart. *convictibus hospitiis non alia gens et.* De re cf. Caes. 6, 23. Mela 3, 3. *tantum hospitibus boni, mitesque supplicibus.*

excipit. MS. Vatic. 2964. *recipit.*

defecere. Intell. epulae. cf. c. 24. *cum omnia defecerunt.* Lipsius e MS. Farnes. (cf. eiusd. ed. de anno 1574. p. 752.) edidit *defecerit.* Pichena restituit *defecere,* quod defenditur ceterorum librorum auctoritate. Bipontini maluere *defecerit* intellecto *hospes.*

qui modo . . . . comes. proximam etc. Ita locum interpungo ex ed. Spir., ut intellecto verbo substantivo verba *qui . . . . comes* efficiant apodosin. Sententia: *Cum defecere epulae, qui modo fuerat hospes, monstrat aliud hospitium alterumque eo comitatur.* Tacitus hic, uti solet, substantiva ponit pro verbis. cf. not. ad An. 1, 24. sub v. *ostentator.* Vulgo distinguunt: *Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non invitati adeunt.* Igitur verba *qui . . . comes* subiunguntur verbo *adeunt* inconcinna prorsus scriptura. Nemo enim unquam in hunc modum subiecto singularis numeri, nisi si nomen sit collectivum, addidit verbum numero plurali. Quare nonnulli locum germanice converterunt, quasi in latinis legeretur: *qui modo .... non invitatus adit.* Auxilia loco adfert Hessius in Varr. Lectt. I., p. 26., neque vero idonea. Ob verba *invitati adeunt* ad praecedentia intelligit *cum hospite:* nam hanc syllepsin, qua verbum pluralis numeri excipiant duo substantiva per praepos. *cum* coniuncta, dicit frequentem esse. Provocat ad Ruddim. institut. P. II. p. 79. et Rupert. ad Sil. Ital. 16, 244. Concedo. At hic non sunt duo substantiva per praepos. *cum* coniuncta nisi in opinione interpretis. Alii (ut Günther. et Teubert.) virgula post *comes* sublata legunt: *monstrator hospitii et comes proximam domum non invitati adeunt.* Nimirum *monstrator* ac *comes* ibi accipiuntur pro diversis subiectis, ut *comitem* ex interpretatione Guntheri intelligas eum, qui modo apud illum hospitem exceptus fuerat. Hauffius admissa eadem interpretatione pro *hospitii* ponit *hospiti.* Sed quo tandem iure ille, qui exceptus fuerat, comes alterius dicatur nemo docuit, licet satis pateat, mutato hospitio hunc neque illum fieri comitem. *Monstrator hospiti* dici posse nolo negare: at nunc non solum inutilis, sed etiam mala est ea mutatio. Non enim in universum cogitandus est monstrator hospiti accedens, sed monstrator hospitii. Maxime autem molesta est repetitio vocabuli: scilicet qui *hospes* fuerat, fit monstrator *hospiti.*

domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. Abeunti si quid poposcerit concedere moris: et poscendi invicem eadem facilitas. gaudent muneribus: sed nec data imputant nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis.

nec interest. Intellige: an non invitati sint.

quantum ad ius hospitis. cf. Hist. 5, 10. *quantum ad Iudaeos.* Ceterum *hospitis* habent MSS. Tur. Longol. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Rhag. aliaeque. Restituit Passovius. Nam Lipsius sqq. tacite ediderant *hospitii*, quod retinuerunt Bekkerus, Walchius, alii. Parum interesse censeo. Quod Passovius adfirmat nihil absurdius esse quam *ius hospitii* apud Germanos, falsus est. Nam si *ius hospitis* (*Gerechtsame des Gastes*, sic ille interpretatur) fuit, *ius hospitii* non potuit deesse.

poposcerit. Sic MSS. Arundel. Tur. Stuttg. Vaticc. 1518. 2964. et 4498. et editiones veteres. Rhenanus (1533.), Aldus sqq. tacite ediderunt *poposceris.* Ernestius veterem scripturam restituit. MS. Vatic. 1862. *poposcerunt.*

data imputant. MS. Stuttgart. *accusant*
data imputant.

victus inter hospites comis. *Bleterius (de la Bleterie)* cum haec verba ut spuria omisisset, aliis etiam interpretibus (Ernestio, Oberlino, Bredovio, Seebodio, Lünemanno, Iacobsio, Gutmanno, Walchio) suspecta sunt visa atque cancellis includenda vel eiicienda. Eiecit Hackius. Nimirum putant viri docti haec verba argumentum totius loci indicantia e margine in contextum inrepsisse. Alii transpositione loco consulunt. Thierschius in Act. Phil. Mon. T. III. fasc. 3. p. 462. ea collocat post *discernit*, ut sententia insit: „dum adsunt, comiter habentur; cum discedunt, donis adficiuntur." Ita et Fr. Heidekamp. in scriptione scholastica ann. 1823. p. 11. Alii vulgatam loci rationem varie defendunt. Passovius: „Si consideraveris, Tacitum hactenus de Germanorum hospitalitate erga ignotos loquutum esse, verbaque haec postrema ad eos pertinere, quos mutuum amicitiae foedus iunxerit (*inter hospites*), necessario addita tibi videbuntur." Sed prorsus aliena ab hoc loco est oppositio, quam ille statuit inter *ignotos* et *hospites.* Orellius: „Haec neutiquam supposititia esse, non tam ex rationibus a Passovio prolatis, quam ex manifesta oppositione liquet eorum, quae leguntur capite sequenti: *Crebrae, ut inter vinolentos, rixae* etc. Cum hospitibus igitur comiter conversabantur, nec rixas committebant; at longe aliter res se habebat, ubi nullo hospite praesente ipsi soli conviviis indulgerent. Ut autem magis elucesceret isthoc antitheton, non sine arte huc collocatum fuit." At tum inferius debebat collocari et apertius opponi verbis illis capitis proximi, ad quae vir doctissimus haec spectare putat. Alii cum Longolio vocabulum *comis* accipiunt pro *communis*, ut huic loco idem insit, quod dicit Caes. B. G. 6, 23. *hospitibus omnium domus patent victusque communicatur.* Sic vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 206., qui scribit: „*Die Bemerkung des T. victus inter hospites comis steht im Gegensatz mit der adparatis epulis, mit welchen*

XXII. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa. tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati. diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede de vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis et iungendis adfinita-

ein Jeder nach seinem Vermögen den Fremden und Unbekannten empfing, und es liegt darin eine hohe Humanität, wie in so vielem andern, was T. von den Germanen rühmt. Kam ein Gastfreund (hospes) *zum andern, so theilte dieser mit ihm brüderlich sein Mahl, das er gerade hatte bereiten lassen. Kam aber ein unbekannter Fremdling* (quicunque mortalium), *so wandte der Wirth alles, was er im Vermögen hatte, auf, auch das letzte, bis er selbst gezwungen war zu einem andern Wirthe zu gehen.*" Quam aliena et haec disputatio sit a totius loci contextu, non est quod uberius doceam. Alii alia protulerunt. Verum non video, quid hic tantopere ingenia potuerit vexare. Vocabulum *comis* satis indicat *victum* non esse intelligendum de cibo potuque, sed de vivendi ratione in universum (*das Leben zwischen Gastfreunden*). Hucusque enim scriptor docuerat quidem, quemcunque mortalium Germanis hospitaliter excipi, abeunti munera dari; nihil tamen dixerat de ipsa ratione, qua vivere, edere, bibere, conversari soleant hospites cum hospitibus. Quare satis apte nunc addit: *victus inter hospites comis.* Selling. l. l. p. 18. coniectura locum persanasse persuasum habet; scribendum putavit e Caes. B. G. 6, 23.: *victus inter hospites communis*, ut significetur eorum bonorum communio, quae ad vitam quotidianam necessaria sunt. Ingeniosius quam verius.

Cap. 22. *e somno.* MS. Longol. et ed. Norimb. *eñ* (h. e. enim) *somno* (secundum Passovium *sompno*).

in diem. Ed. Paris. *in dies*, et mox *levantur* pro *lavantur.*

calida. MS. Stuttg. *calida aqua.* Ed. Monac. *apud calida.*

ut apud. MS. Stuttg. *sicuti apud.*

separatae. Ed. Norimb. *seperatae*, quod vitium saepius vidimus in codice Guelferbytano, quo Annalium et Historiarum libri continentur.

ad convivia. MS. Stuttgart. *ac convivia.*

continuare potando. MS. Stuttgart. *continua$\overset{r}{\text{nd}}\overset{e}{\text{o}}$ potare.*

probrum. Ed. Norimb. *probum.*

vinolentos. Edd. Spir. Kath. Norimb. *vinulentos.* MS. Stuttg. *vin$\overset{v}{\text{o}}$lentos.*

transiguntur. MS. Stuttgart. *transigitur.*

sed et de reconciliandis invicem inimicis. Libri veteres in diversas abeunt partes. *et* male omittitur in MSS. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Alciat. Rhenan. (1519.). Servant MSS. Vaticc. edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *reconcilian-*

tibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant: tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris

dis exstat in MSS. Vaticc. Tur. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Paris. Rom. Norimb. Vienn. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *reconciliatis* MS. Arundel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Alciat. Rhenan. (1519.) (Ed. Alciat. in margine habet: „Sic lege: *sed et de reconciliandis invicem inimicis*). — *inimicis* exhibent MSS. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *inimicitiis* (sive *inimiciciis*) MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.). De Vaticc. Broterius in hoc vocabulo tacet. Scripturam *inimicitiis* fovent Passovius et Orellius. De eadem permutatione vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. p. 439.

adsciscendis principibus De dictione cf. An. 1, 10. 31. 60. 73. 2, 60. 4, 57. 5, 6.

plerumque. Ed. Paris. *plerique.*

ad simplices cogitationes. Varie interpretantur. Ernestius: „*simplices* i. e. faciles, lenes (sic Anton) refer ad ea, quae dixerat de inimicitiis ponendis, amicitiis, adfinitatibus iungendis, item de pace." Oberlinus: „nudas, non fucatas, forsan et minoris momenti." Hoc Dilthejo potissimum placet ob oppositum *magnas.* At nulla hic est oppositio inter utrumque adiectivum, sed inter verba *pateat* et *incalescat.* Bredovius: „non faciles, lenes, sed sincerae, apertae, in quibus nihil simulati aut dissimulati." Emmerlingius et Hessius probant Oberlini explicationem, quod dixit *nudas, non fucatas.* Recte, ut mihi videtur. Namque *simplices cogitationes* sunt quibus nihil alieni e prava cupidine aut dolo aut aliquo studio admiscetur. cf. not. ad An. 1, 69. Tuentur hanc interpretationem et sequentia.

nec callida. Groslotii codex vetus *aut callida*, quod placet Passovio ob exempla An. 3, 54. *neque mihi aut vobis usui;* 13, 39. *neque paci aut proelio paratum.* Adde An. 1, 49. *neque legatus aut tribunus moderator adfuit;* 2, 15. *nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant* etc. Ab altera parte stant exempla An. 1, 1. *neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit;* 1, 4. *non aetate neque rerum experientia tantae moli parem;* 1, 9. *quae neque parari possent neque haberi per bonas artes.* Adde 1, 19. 23. 25, 26. 41. 45. aliosque locos. Sed discrimen satis luculentum est inter utrumque genus dicendi, de quo cf. Ramshorn. Gr. §. 180. p. 532. not. 1. — Idem Passovius probat distinctionem editionis Vienn. *nec callida. Aperit* etc., quam aptam esse nego. Nam Tacitus iam non in eo est, ut gentem fuisse non astutam nec callidam doceat: sed eam aperuisse adhuc secreta pectoris, quippe non astutam neque callidam, ut ita haec verba explicationis causa interposita sint.

adhuc. Sic MSS. Tur. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. utraque Rhenan. sqq. — *ad hoc* MSS. Arundel. Longol. edd. Norimb. Alciat. Longol. — *ad haec* (sive *hec*) edd. Rom. Paris. Eadem confusio sexcenties in veteribus libris invenitur. cf. not. ad Hist. 2, 10. et 81. An. 13, 34. 12, 20. 14, 24.

licentia loci. ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur. et salva utriusque temporis ratio est: deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.

XXIII. Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus. proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera aut lac concretum sine apparatu, sine

licentia loci. Sic edd. Lipsii, non operarum vitio nec alia ex editione ignobili, ut nonnullis videtur, sed ex ingenio viri. cf. Lips. ed. de ann. 1574. p. 752. Lipsii emendationem retinuerunt Pichen. Gruter. sqq. ad Ernestium, qui reduxit *licentia ioci* e MSS. et edd. ante Lipsium. Inter recentiores Bipontini et Walchius sequuntur Lipsium, plerique maluerunt *ioci.* Sed de *ioco* nunc omnino non est sermo: immo de rebus seriis. Vocabulum *loci*, ut saepissime, dicitur pro occasione. Ceterum cf. c. 2. *licentia vetustatis.*

ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur. et salva utriusque temporis ratio est. Passovius auctoritate editionis Vienn. locum interpunxit: *ioci: ergo detecta et nuda omnium mens. Postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est:* etc. Imitati sunt Dilthejus, Iacobsius in: *Klio.* p. 228., Teubertus aliique. Sed verba *ergo .... mens* ita a sequentibus seiuncta valde frigent et supervacanea esse videntur, quia detectam et nudam omnium esse mentem in gente non astuta nec callida et secreta pectoris aperiente per se intelligitur. Iam vero omnium *mens* hic non in universum est animus, sed id quod quisque de re in deliberationem vocata sentit. Sententia: ergo postquam in prima deliberatione quisque mentem suam detexit et nudam ante omnium oculos posuit, haec omnium mens postera die retractatur. De loco: *salva utriusque temporis ratio est* fusius disputarunt I. Fr. Gronovius et Ernestius, neque tamen satis diserte. *Salvum* dicitur id, cui non fit iniuria. *Utriusque temporis ratio* ea est, ut alterum idoneum sit ad deliberandum, alterum ad constituendum. Igitur *salva utriusque temporis ratio est*, h. e. utroque tempore fit, quod uni aut alteri tempori convenit. Lipsius frustra coniectabat: *et sua utriusque t. r. e.*

Cap. 23. *hordeo.* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. Viteb. Melanth. Lips. Pichen. Gruter. sqq. ad Ernestium *ordeo.* cf. not. ad An. 11, 1. sub v. *hortus.* Ramshorn. Gr. §. 15. p. 15. Schneider. Gr. Tom. I. part. 1., p. 312.

corruptus. MS. Arundel. *corrupti.* De verbo cf. not. ad c. 4. sub v. *infectos.*

agrestia poma. Pomum non solum significat quod germanice dicimus *Apfel*, *Birn*, sed etiam illud genus, quod dicitur *Beeren* (*Erdbeeren*, *Himbeeren*, *Heidelbeeren*). cf. Tross. in Seebod. Bibl. crit. 1820. nr. 3. p. 343. sq. In sequentibus vulgo punctum ponunt post *concretum*, quod commodius abest.

recens fera. Haec non est cruda, sed nondum vieta aut laxa, qua delectabantur Romani. cf. inter-

blandimentis expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.

XXIV. Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem, quamvis audacis lasciviae pretium est, voluptas spectantium.

prett. ad Horat. Sat. 2, 8, 6. Sed Pomponius Mela 3, 3. de iisdem Germanis: *victu ita asperi incultique, ut cruda etiam carne vescantur aut recenti, aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovarunt.*

adversus sitim. MS. Stuttg. *et adversus sitim.*

vitiis. MS. Bamb. *vino*, quod probabant Colerus et Conringius. At ceteri libri omnes consentiunt in *vitiis*. Sententia loci est: si indulseris ebrietati suggerendo, quantum concupiscunt, tum facile vincentur, et ita quidem ut non minus illorum vitia quam nostra arma victoriam suppeditent. Quare non opus est, ut cum Ricklefsio et viro docto in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 207. post *quam* intelligas *difficile*, vel *facile* explices *vielleicht.* Uterque modus interpretandi ne tolerari quidem potest. Similis prorsus locus exstat Hist. 1, 69. *apud quos virtute quam pecunia res Romana melius stetit*, h. e. apud quos res Romana melius stetit, et ita quidem ut non pecunia, sed virtus meliorem statum efficeret.

Cap. 24. *ludicrum.* MS. Stuttg. *ludicium.*

artem paravit. Sic cod. Hummel. (teste Sellingio) edd. Norimb. Rom. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et nuper Bekker. Walch. alii. — *artem parat* MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) Viteberg. et inter recentiores Passov. Hess. alii. Quodsi consideras veterum librorum auctoritatem, *parat* praevalebit: sin sequeris, quod loco aptius sit, praestat *paravit*. Nam dicit scriptor de arte et decore, quae iam adsunt. Igitur dum inter gladios se .... iaciunt, ostendunt artem, quam exercitatio paravit, neque nunc demum parat.

decorem. Codd. quidam teste Longolio, nescio qui, *decorum.* Sed cf. Hist. 1, 71. *cuncta ad decorem imperii composita.* Vid. ibi not.

non in quaestum tamen aut mercedem. cf. not. ad An. 4, 62. sub vv. *in sordidam mercedem.* De figura, quae est in verbis, cf. Roth. p. 54., qui interpretatur: in quaestum, qui fit mercedis causa.

pretium est, voluptas spectantium. Comma post *est* ferunt edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. Bekkerus nuper sustulit probante Hessio in Varr. LL. 1., p. 27. Aptius illa distinctio retinetur, ut ante *voluptas* ex usu Taciti intelligas *nempe* vel simile quid. Nam si Tacitus simpliciter dixisset voluptatem spectantium esse pretium audacis lasciviae, more suo omisisset verbum *est.* Pro *spectantium* in cod. Hummel. scriptum est *expectantium.*

Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. victus voluntariam servitutem adit. quamvis iuvenior, quamvis robustior adligari se ac venire patitur. ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. servos conditionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

XXV. Ceteris servis, non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. frumenti modum dominus, aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit: et servus hactenus paret. cetera domus officia uxor ac

aleam (quod mirere). Sic MSS. Vatic. 4498. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Puteol. sqq. — *aleam quidem quod mirere* MS. Vatic. 2964. — *aleam quod miretur* MS. Vatic. 1518.

defecerunt. MS. Tur. edd. Bipont. Seebod. Bredov. *defecerint.* At scriptor non dicit aliquando omnia posse deficere, immo narrat rem in facto positam.

extremo ac novissimo. *Extremo iactu* h. e. in quo summum est periculum: is vero simul *novissimus* esse solet. Quare apte haec ut synonyma coniunguntur. cf. An. 4, 51. *extrema salus;* 1, 39. *vis extrema.*

iactu. Ed. Monac. *tactu.*

de libertate ac de corpore. Sic MSS. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Put. Monac. Vienn. Norimb. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. et nuper Passov. Hess. Walch. alii. — Lipsius pro *ac* tacite edidit *et*, quod retinuerunt Pichen. Gruter. sqq. ad Passovium et nuper Bekkerus, alii. Ceterum est hic figura, quam dicunt ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 88.

iuvenior. Sic MSS. Vaticc. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Paris. Rom. Norimb. et inter recentiores Longol. Bipont. Oberlin. Bredov. Seebod. Passov. Hess. Bekker. Walch. alii. — *iunior* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed in *iuvenior* est notio validiorum virium, quae huic loco eximie convenit (*jugendlicher*): *iunior* simpliciter significat minorem aetate, quod hic nullius est momenti.

Cap. 25. *Ceteris servis.* MS. Longol. omittit vocabulum *servis.*

ministeriis. MS. Vatic. 2964. *ministeriis suis.* — MS. Vatic. 1862. *ministris.*

penates. Ed. Paris. *penatis.*

modum. Edd. Put. V. Alciat. Rhenan. (1519.) *domum*, vitiose. Ed. Alc. in margine: *lege modum.*

ut colono. Ed. Paris. *aut colono.*

et servus. Ed. Norimb. *ut servus.*

paret. H. e. versatur in conditione parendi (*soweit ist er unterthan; bis dahin erstreckt sich seine Unterthanenpflicht*).

cetera domus officia . . . exsequuntur. Passovius ad h. l.

liberi exsequuntur. verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum. occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune est. Liberti non multum supra servos

„Quae hic *cetera* sint *officia*, plane non intelligo: *domus* enim non est domini, sed servi, qui, quod modo dixerat Tacitus, suos Penates regit. Necessitatem vero tributorum domino pendendorum nec inter *officia domus*, nec omnino inter *officia* poterat referre. *Cetera*, vi adverbii acceptum, a verbis *domus officia* separare, durius videtur, quamvis sensus loci tale quid exigat." Quare locum refingit atque emendat sic: *et servus hactenus paret, cetera liber. Domus officia uxor ac liberi exsequuntur.* Sed locum esse salvum viderunt alii. Servus hactenus paret, ut frumenti modum aut pecoris aut vestis, ut colonus, domino pendat. Quae cur non sint *officia*, vix intelligas. Sunt vero alia praeter haec officia domino praestanda, domus officia, ad quae Romani servorum opera utebantur, non Germani. Nam *cetera domus officia* (h. e. cetera officia, scilicet domus officia) *uxor ac liberi exsequuntur.* Accurate Tacitus scripsit *domus officia*, non *officia domus:* etenim illo verborum ordine *domus officia* opponuntur aliis officiis, hoc ordine *cetera officia domus* opposuisset aliis domus officiis, de quibus nunc non est sermo. Minime autem hic cogitandum est de *domo servi*, ad quam haec referuntur a viro docto in Ephem. lit. Ien. 1826. nr. 94. p. 269. De vocabulo *cetera* cf. Hist. 4, 56. *legatis tantum legionum interfectis ceterum vulgus ... facile accessurum* h. e. ceteros, scil. vulgares milites. Similiter Homer. Odyss. α', 133. ἔκτοθεν ἄλλων μνηστήρων. Ibid. ζ', 84. ἅμα τῆγε καὶ ἀμφίπολοι κίον ἄλλαι. cf. Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 200. Hessius in Varr. LL. I., p. 28. huic interpretationi frustra adversatur: ipse *cetera* adverbii loco accipit positum, deceptus loco An. 6, 42. *cetera degenerem.* At *cetera* ibi non est adverbium, sed accusativus qui vocatur graecus.

ac liberi. MS. Stuttgart. *et liberi.*

verberare etc. Ed. Norimb. *verberant servum, ac vinculis et opere coercere, rarum occidere solent.*

severitate. MS. Stuttg. *servitute.*

ut inimicum. Ed. Vienn. *ut in inimicum.*

nisi quod impune est. Sic MSS. Vaticc. Tur. Stuttg. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Monac. Vienn. Beroald. Rhen. (1519.) et nuper Bipontini. — Omittitur *est* in edd. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. Amat sane Tacitus negligere verbum substantivum, neque tamen omnino spernit, ubi praecipua eius verbi est vis. cf. An. 1, 3. *Nero solus e privignis erat;* ibid. *quanquam esset in domo T. filius iuvenis.* Hist. 2, 80. *quodque in re tali difficillimum est.* Vid. ibi not. Agr. c. 32. *aut nulla plerisque patria aut alia est;* ibid. *in hoc campo est.* Prorsus diversa a nostro loco sunt exempla c. 5. *est videre*, et Agr. c. 32. *est ulcisci.* Immo cf. Hist. 3, 5. *ceterum ut transmittere in Italiam impune et usui foret.* Sueton. Ner. c. 32. *ne impune esset studiosis iuris* etc. Tac. An. 12, 54. *et cuncta malefacta sibi impune ratus.*

liberti. Ernestius falsa sua opinione, quam ubique praeferebat,

sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate; exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur. ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXVI. Fenus agitare et in usuras extendere

deceptus hic quoque maluit *libertini*. Obtemperarunt nuper Oberlin. Bekker. aliique. — Passovius, Hessius, Walchius, alii rectius revocarunt *liberti*. cf. not. ad Hist. 1, 46. *Liberti* sunt homines a domino manumissi et hoc nomine utuntur, ut opponantur servis, uti h. l.: iidem vero *libertini* audiunt ex oppositione ingenuorum et pro ordine. cf. An. 13, 27. *si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum.* Mox: *privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur.* Ita et in fine huius capitis *libertini* opponuntur *ingenuis.*

aliquod momentum. MS. Arundel. *aliquid momenti.*

iis gentibus. Edd. Norimb. Paris. *his gentibus*, vulgari permutatione, cuius sexcenta vidimus exempla in Annalium et Historiarum libris. cf. not. ad An. 13, 1. 21. 14, 15. 15, 59. Hist. 3, 82. et alibi. — Ed. Vienn. *is gentibus* per contractionem.

regnantur. MSS. Vatic. 2964. et Hummel. *regnant.* Vaticc. 1518. et 4498. cum ceteris libris vulgatum retinent. cf. Hist. 1, 16. *ut in ceteris gentibus, quae regnantur.* Germ. c. 43. An. 13, 54.

impares. Hessius ex ed. Spir. attulit *impare.* Verum legitur ibi *impares*, ut in ceteris libris.

argumentum. Ed. Paris. *augmentum.* De dictione cf. Sueton. Cal. c. 16. *Decretum, ut dies, quo cepisset imperium, Parilia vocaretur, velut argumentum rursus conditae urbis.* Igitur uti praepotentes liberti sunt regni, ita libertatis argumentum sunt impares libertini.

Cap. 26. *Fenus agitare et in usuras extendere. Fenus* est pecunia mutuo data et in fundis aliorum collocata (*Kapitalien*). cf. An. 14, 55. *quae a me habes, horti et fenus et villae, casibus obnoxia sunt.* Ibid. c. 53. *tales hortos exstruit et per haec suburbana incedit et tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat?* Sueton. Caes. c. 27. *gratuito aut levi fenore obstrictis.* cf. not. ad An. 6, 16. 17. Iam *fenus agitare* in universum significat eam rationem, qua quis opes suas habet in pecunia apud aliquem collocata, neque in fundis propriis, h. e. rationem eorum qui dicuntur *Kapitalisten:* igitur *fenus agitare, Geschäfte machen mit Kapitalien.* Tum *in usuras extendere* h. e. pecunias fenore auctitare (cf. An. 6, 16.) vel pecunias ita mutuo dare, ut usurae nomine aliqua summae pars sorti quotannis accedat. De verbo *extendere* cf. Sueton. Cal. c. 38. *pretia . . . usque eo extendens.* Ita alterum membrum explicationis causa additur priori, cf. Iacob. Quaest. Lucian. p. 20. Nam *fenus agitare* non satis diserte dicit, quod scriptor sibi volebat, quia fenus potest esse gratuitum. At *in usuras extendere fenus* illud est fenebre quod dicitur malum. Plerique interpretes, quia *fenoris* vocabulo intrudunt usurae notionem, ut *fenus agitare* sit *Wucher treiben*, nesciunt quid sibi velint verba *et in usuras extendere;* quare haec accipiunt de anatocismo sive de

ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis in vices occu-

usuris usurarum. cf. Thierschius in Act. Phil. Mon. T. III. fasc. 3. p. 470. Hess. ad h. l. Sed si qua est verborum vis, *fenus in usuras extendere* non potest significare nisi quod diximus: pecunias fenore auctitare. Emmerlingius explicat: „fenus agitare et in usuras extensiores, grandiores collocare", ut ita scriptor notionem per adiectivum exprimendam peculiari quodam verbo, quo magis emineret, seiunctim exposuisse videatur. Probat Passovius. Sed verba non ferunt eam explicationem. Vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 208. censet de usuris usurarum hic non esse cogitandum: verba *fenus agitare* significare *ein häufiges Geldausleihen; in usuras extendere, für ein ausgeliehenes Kapital sich Zinsen bezahlen lassen.* Anton verba de fenore hinc aliena esse non satis recte ratus totum locum *fenus .... esset* deletum cupit. At de agri possidendi modo locuturus Tacitus apte praemittit quaestionem de fenore, quia opes solent esse sitae aut in possessione aut in fenore.

ignotum. Thiersch. l. l. hoc mutat in *ignominiosum*, quia, quod ignotum, neque servari neque non servari dici possit. Ita iam prius Lipsius et Salmasius verbum *servatur* sollicitaverant, ut mutarent in *spernitur* vel *spernatur* vel *aversantur.* Sane *servari* dicuntur quae more, usu, lege, pactione, promissione constituta sunt et manent. cf. An. 1, 52. *cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.* Sueton. Oct. c. 76. *ne Iudaeus quidem tam diligenter sabbatis ieiunium servat, quam ego hodie servavi.* Sed hoc loco verbum *servatur* non est premendum: ponitur, ut respiciat ad sequens *vetitum.* Scriptoris sententia est: si lege vetitum esset fenus agitare et in usuras extendere, non aeque ea lex posset servari quam nunc servatur, ubi nulla est, quippe ipsa res ignoretur. Igitur e contextu satis patet, quid ad verbum *servatur* sit intelligendum, nempe abstinentia a fenore agitando (*κατὰ τὸ σημαινόμενον*). Alii etiam eodem modo absolute ponunt id verbum. cf. Plin. ep. 10, 115. *necessarium existimavi consulere te, quid servandum putares.* Id. ep. 10, 37. *in futurum quid servari velis, rogo rescribas.*

quam si vetitum esset. In edit. Oberl. exciderat *quam:* idem vitium servarunt et alii.

in vices. Sic MSS Vaticc. 1862. et 2964. edd. Norimb. Rom. Bipont. Oberlin. Bekker. cf. Ovid. Metam. 12, 161. sq. *pugnam referunt hostisque suamque, Inque vices adita atque exhausta pericula saepe Commemorare iuvat.* Ibid. 4, 191. *inque vices illum .... Laedit amore pari.* Iuvenal. Sat. 6, 311. *inque vices equitant.* Rem explicat Caes. B. G. 6, 22. *neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus* (h. e. familiis) *cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum et quo loco visum est, agri attribuunt.* Igitur *pro numero cultorum* (h. e. non latius neque angustius), *ab universis* (h. e. non singulis, sed a coetibus, *Gemeinden*), *in vices* (h. e. nemo certum agri modum aut fines proprios habet, sed alio anno aliam agri portionem possidet, quem possidendi modum hodieque usurpant nostrates in publicis civitatum agris). Cum hac possidendi ratione fixas sedes, quae Germanis c. 46. tribuuntur, ut distinguantur a Sarmatis, satis bene conciliari posse quivis intelligit. Igitur alter locus alteri minime repugnat, quod videbatur Ricklefsio. — Vulgari vitio in libris quibusdam, ut MSS. Va-

pantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant: et superest ager. nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt,

tic. 1518. Tur. Stuttg. (a prima manu) edd. Spir. Kath., intercidit praepositio *in*, quam proxima syllaba, ut saepissime, absorpsit. Hinc emendandi studio factum est *vice*, quod exstat in MSS. Vatic. 4498. Stuttg. (a secunda manu) et Hummel. Receperat Longolius, e cuius editione nuper expulit Hessius, qui posuit *per vices*. Hoc enim ferunt edd. Put. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. et nuper Passov. Walch. Sed nihil auctoritatis huic scripturae adest a codd. MSS., nec intelligo quid melius sit *per vices* quam *in vices*. T. non dicit occupationem per vices factam, sed factam ab universis, verum in vices, h. e. in mutuam possessionem. — MS. Bamberg. praefert *vicis*, veterem formam accusativi. Receperunt Bredov. Seebod. Schüler. al. probante Eichhornio in *Deutsch. Rechtsgesch.* I., §. 13. Derivant a *vicus*. Sed universi vici quid sibi nunc velint non video. Num scriptor dicit agros ab omnibus vicis simul occupari et tum inter singulos vicos fieri partitionem secundum vicorum dignationem? Haec sunt contorta. Quod in nostra scriptura *universis* ponitur sine substantivo, displicet Weikerto. At sexcenties ita *universi* et *singuli* invicem sibi opponuntur sine substantivo. cf. Sueton. Galb. c. 10. Tib. c. 29. — Pichena probante Conringio conicit *per vicos;* vir doctus in Ephem. lit. Ien. 1818. mense Aug. *per vacuum;* quae si cui placebunt, non invidebo.

secundum dignationem. Intell. cuiusque viri, ut plus accipiant principes quam ceteri. Sunt qui *dignationem* malint intelligi agrorum. (*Schätzung*, *Würdigung* cf. Ricklefs. ad h. l. et Hackius.) Autumant Tacitum, si voluisset id vocabulum referri ad homines, dicturum fuisse *dignitatem.* Minime vero. cf. not. ad An. 1, 34. sub v. *veneratione*, et Hist. 1, 19., ubi legis *dignationem Caesaris.*

partiendi. Ed. Paris. *pariendi.*

praestant. MSS. Vaticc. 2964. et 4498. et Hummel. *praebent*, ex interpretamento. Idem verbum in MS. Vatic. 1518. super *praestant* adscriptum est. cf. Dial. de Or. c. 37. *splendor rerum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant.*

arva per annos mutant. H. e. agri non iidem quovis anno et continuo exercentur, sed altero anno requiescunt (*liegen brach*), ut vires prosperandis segetibus resumant. Hoc aliud est quam quod prius dixerat: agros in vices occupari.

labore contendunt. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Hummel. Longol. Stuttg. (fortasse et Arundel., si fides habenda silentio Vossii) edd. Paris. Norimb. Alciat. (in marg.) Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ad Passovium, qui edidit *laborare contendunt* e MSS. Vatic. 2964. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Rhag. Bonon. Beroald. Rhen. 1519. Alc. (in contextu) Viteb.: Passovium secuti sunt Hess. Dilthej. alii. — Bekkerus recte revocavit *labore*, quod non solum bonorum librorum auctoritate firmatur, sed etiam elegantius est. Etenim *contendere* est certare (*wetteifern*): igitur *cum ubertate et amplitudine soli labore contendere*, h. e. eum adhibere laborem, qui aequet ubertatem et amplitudinem soli (*mit der Fruchtbarkeit und dem weiten Umfange des Bodens durch fleifsige Bearbeitung wett-*

ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent. sola terrae seges imperatur. unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXVII. Funerum nulla ambitio. id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant. sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur. Sepulcrum caespes erigit. monimentorum ar-

eifern). Egregia sententia. *Laborare* loci sensum contorquet: ita enim exhibet rem, quasi ubertas et amplitudo soli etiam laborent. Non video, quo iure *laborare* a Dilthejo antiquior scriptura aut a Ricklefsio optimis codd. MSS. nixa dici potuerit.

ut pomaria. MS. Tur. *ne pomeria.*

separent. Sic MSS. Tur. Stuttg. (de Vaticc. et Arundel. ita tacent, ut videantur consentire) edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. (1519.) Pich. Bernegg. sqq. — *seperent* MSS. Hummel. Longol. edd. Rom. Norimb., quod vitium frequens in vett. libris originem traxit e compendio *sepēt*, quod exstat in ed. Spir. In MS. Hummel. ab eadem manu legitur *secent* margini additum. At Rhenanus deceptus adnotatione ex ed. Norimberg. excerpta, quam postmodo non poterat dignoscere, anno 1533. edidit *sepiant*, quod duravit usque ad Pichenam. Colerus malebat: *ut pomaria conserant, prata rigent, hortos sepiant.* Non enim aeque notas ait irrigationes hortorum ac pratorum. Eadem est sententia Diltheji. Falluntur. Nam hortos irrigare praecipua fuit cura apud Romanos. cf. Plin. epp. 5, 6. *dulces strepunt rivi, et qua manus duxit, sequuntur. his nunc illa viridia, nunc haec, interdum simul omnia lavantur.* Plin. N. H. 16, 42. 31, 6. Hinc *horti rigui* Ovid. Metam. 8, 647. 10, 190. 13, 797. De Romanorum cura circa prata vid. Plin. N. H. 18, 5. et Colum. 2, 17. Verbum *separare* eo spectat, quod prata, ut tuta sint a gregibus, fossis sunt distinguenda a ceteris pascuis.

et hortos. MSS. Longol. Hummel. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Vienn. ferunt *ut* pro *et.* — MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. *ortos* pro *hortos.* cf. not. ad An. 11, 1. et supra c. 23. sub v. *hordeo.*

imperatur. MS. Stuttg. *imponitur;* in margine *imperatur.*

in totidem. Intell. ac nos. Saepissime enim Tacitus alterum comparationis membrum reticet. cf. Hist. 2, 99. *longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species*, ubi intellige *quam ingredientis.*

ac vocabula. MS. Tur. *et vocabula.*

Cap. 27. *Funerum nulla ambitio.* Quae Tacitus refert de Germanorum funeribus, ut alia, iudicanda sunt e ritu Romanorum.

ut corpora. Sic edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *ut* non legitur in edd. Spir. Put. Beroald., et Passovius ex ed. Puteol. falso attulit *et corpora.*

sepulcrum caespes erigit. Senec. ep. 8. *Hanc* (domum) *utrum caespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nil interest.*

monimentorum arduum. Ed. Paris. *momentorum ardnum.*

duum et operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. feminis lugere honestum est; viris meminisse. Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint expediam.

XXVIII. Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Iulius tradit: eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos. quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia diversas? Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Hel-

operosum. Sic MS. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Vienn. Rom. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *peroperosum* MS. Tur. edd. Spir. Kath. edd. Put. M. et V. Monac. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.), idque placebat Heinsio. cf. not. ad An. 12, 26. sub vv. *per intempestiva.*

ut gravem. Edd. Beroald. Alc. Viteb. *et gravem*, operarum vitio.

ponunt. MS. Arundel. *deponunt.*

haec in commune de omnium. MS. Stuttg. *Hec in communi omni.* Ed. Paris. etiam *in communi.* cf. not. ad Hist. 1, 25., ubi eadem est scripturae varietas.

Cap. 28. *divus Iulius tradit.* cf. Caes. B. G. 6, 24.

diversas. Sic MSS. Tur. Bamberg. (test. Lipsio) edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. (1519.) Viteb. Passov. Hess. al. De MS. Farnesiano Passovius falsus est: nam Lipsius de eo libro tacet, neque tacuisset, si rescivisset ibi esse *diversas.* — *divisas* edd. Paris. Rom. Norimberg. Alciat. (in margine) Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ad Passovium, et nuper Bekker. et Walch. De MSS. Vaticc. Broterius tacet, dum edit *divisas.* Utrumque verbum loco esse aptum non dubito. cf. An. 2, 69. *diversum mare.* Vid. ib. not. Usitatius de tali re est *divisus*: quare hoc videtur speciem interpretamenti prae se ferre.

Hercyniam. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. sqq. — *Hirciniam* MS. Stuttg. — *Herciniam* edd. Viteb. Melanth. cf. not. ad An. 2, 45.

Moenum. Sic MSS. Farnes. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Norimb. Rom. Melanth. Lips. sqq. — *Menum* ed. Paris. — *Moenim* MS. Arundel. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. cf. Pompon. Mela 3, 5. — *Moenin* ed. Vienn. — *Moeni* edd. Spir. Put. M. et V. Mon. Beroald. Alc. Rhen. (1519.). — *Moemi* MS. Tur. ed. Kath. — De MSS. Vaticc. Broterius tacet. — Schwartz. in Act. Erudit. Lips. 1711. p. 27. emendabat *Oenum*, Longolius *Lemanum*, quia *Moenus* ab Helvetiis videtur alienus esse. Longolii coniectura Oberlino probabilis erat ob Caes. B. G. 1, 2. — Etiam viro docto

vetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, in-

in Seebod. Bibl. cr. 1825. p. 209. *Moeni* mentio hoc loco suspecta est. At bene vidit Dilthejus nunc esse sermonem de aevo dudum praeterito, nec frustra apud Ptolemaeum 2, 11. regionem silvae nigrae, quae dicatur, nominari Ἐλουηττίων ἔρημον.

Boii. Ed. Norimb. *Boi.* cf. Hist. 2, 61. Caes. B. G. 1, 29.

utraque. Ed. Put. V. *veraque*, lapsu operarum. De ed. Vienn. vereor ne Hessius falsus sit. Nam Passovius *veraque* non ex ed. Vienn., sed ex ed. Put. attulit.

Boiemi. Sic MSS. Vatic. 1518. Tur. edd. Spir. Kath. Put. Monac. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. et nuper Passov. Hess. Bekker. Walch. — *Boihemi* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. Longol. edd. Norimb. Bip. Oberl. aliae. — *Bohemi* MSS. Vatic. 4498. Hummel. (in margine) et ed. Paris. — *Bohiemi* MS. Stuttg. (*bohiemi*) ed. Rom. — MS. Bamberg. corrupte: *manet adhuc Boiis e munere nomen*, unde Lipsius fingebat: *manet adhuc Boiiasmi e re nomen*, vel *Boyasmum e re*, propter locum Strabon. 7, p. 290., ubi is Βουΐασμον regiam Marobodui nominat. — *Boiihemi* MS. Hummel. — *Boilemi* ed. Vienn.

significatque. MS. Hummel. *signatque*, quod etiam in MS. Stuttg. adscriptum est.

Aravisci ... Araviscis. Sic edd. Paris. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. Recte. Nam Ptolemaeo 2, 16. iidem dicuntur Ἀράβισκοι, Plinio N. H. 3, 28. *Eravisci.* — *Aranisci* .... *Araniscis* MS. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. 1519. — *Aramisci ... Araviscis* MS. Tur.

ab Osis ..., an Osi. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. sqq. — *a Boiis ... an Boii* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. ed. Longol. — *a Bois ... an Boi* MS. Longol. ed. Norimb. — *ab ois — an boi* cod. Hummel., sed *boi* in margine tantum. — *a boys ... an boy* MS. Stuttg., in margine vero *osi.* — *a Boiis ... an Osi* MS. Vatic. 4498. — *a Boiis ... an Osci* MS. Vatic. 1518. Nimirum littera *b* e praepositione transiit ad nomen, et cum *Bosi* essent ignoti, librarii maluerunt *Boios*, nationem cognitam. Infra c. 43. nemo variantem scripturam adnotavit.

Germanorum natione. Quia Tacitus infr. c. 43. scribit: *Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos*, Passovius non dubitavit, verba huius loci *Germanorum natione* ut aliunde obtrusa obelo notare uncisque includere: cui paruerunt Dilthejus et Hessius. Sed hunc obsequii poenituit in Varr. LL. I., p. 30. Teubertus vocabula suspecta delevit; Bekkerus et Walchius sine uncis servarunt. Recte. Cap. 43. Noster e lingua Osos arguit non esse Germanos origine: h. l. an sint, incertum dicit. Nam si *Osi* ab *Araviscis* in Germaniam transmigravere, *Osi* origine non sunt Germani. Nihilominus *Osi* nunc Germanorum natio erant dicendi, quia in Germania habitabant et a Romanis illo tempore inter Germanorum nationes numerabantur. Non igitur uterque locus ita diversus est, ut alter in detrimentum alterius valeat.

certum est: quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa adfectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. ne Ubii quidem, quanquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinen-

Treveri. Sic MS. Stuttg. edd. Spir. Kath. Lips. sqq. — *Treviri* edd. Put. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. ad Lipsium. Vid. An. 1, 41. 3, 42. 46. Hist. 1, 53. 3, 35. et alibi, ubi eadem invenitur scripturae varietas.

Nervii. Sic edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. cf. Caes. B. G. 2, 15. 16. Strabo 4. p. 194. — *Neruli* MSS. Tur. Stuttgart. Longol. Hummel. edd. Spir. Kath. Puteol.. M. et V. Paris. Norimb. Rom. Beroald. Alc. Rhen. (1519.). Sed *Neruli* alibi sunt. cf. Liv. 9, 20.

circa adfectationem. MSS. Hummel. Longol. *affectionem*, vulgari confusione. cf. not. ad c. 5. et Hist. 1, 80. — *cura affectionem* ed. Norimb.

Germanicae. Sic MSS. Tur. Stuttg. edd. Paris. (haec *Germanice*) Norimb. Vienn. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *Germaniae* edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Alc. Rhen. (1519.). De MSS. Vaticc. Broterius tacet. Ceterum vid. not. ad Hist. 1, 19., ubi eandem vidimus scripturae diversitatem.

ambitiosi. Ed. Norimb. *amitiosi.*

a similitudine et inertia. Ἓν διὰ δυοῖν, a similitudine inertiae. cf. Roth. p. 38.

Triboci. Sic MS. Stuttg. edd. Norimb. Paris. Vienn. Rom. et deinde Pich. Bernegg. sqq. cf. Hist. 4, 70. — *Treboci* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. Viteb. Melanth. Lips. Gruter. Falsus igitur est Passovius, qui animadvertit *Triboci* inesse edd. recentioribus inde a Rhenano. Hanc scripturam veram arguunt inscriptiones. cf. Schoepflin. Alsat. illustr. T. I. p. 134. Audiunt *Tribochi* apud Plinium, *Tribocci* vel *Tribuci* apud Caesarem B. G. 1, 51. 4, 10., Τριβόκκοι vel Τριβόχχοι apud Graecos. Quare coniicio apud Tacitum quoque scribendum *Tribocci:* nam inscriptiones et vett. libri saepissime duplicationem litterarum negligunt.

Nemetes. Sic libri, quantum constat, omnes, itemque Caes. B. G. 1, 51. — Tacit. An. 12, 27. habet *Nemetas*, qui est accusativus Graecorum more formatus, uti fit in nominibus externis. Nam ibidem legimus *Vangionas.* Vix igitur credas Hessio *Nemetas* l. l. descendere a nominativo *Nemetae*; et retractavit is hanc sententiam in Corrigendis. Ptolemaeo dicuntur Νέμητες.

ne Ubii quidem. Sic e verissima Gruteri emendatione edd. Ernest. Brot. Oberl. Passov. sqq. — *Nubii quidem* MSS. Vaticc. Tur. Longol. Hummel. edd. Spirens. Kath. Rom. Pogg. Norimb. — *nubii qui* MS. Stuttg. — *Ubii quidem* edd. Put. Paris (haec spatio ante *Ubii* relicto) Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. sqq., quam scripturam praeeuntibus Salinerio et Conringio acriter defendit Longolius: sed nemini persuasit. Lipsius corrigebat: *Ubii quidem .... non erubescunt.*

meruerint. cf. Hist. 4, 28.

ses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

XXIX. Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. manet honos et antiquae societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus et collationibus et tantum in

conditoris sui. cf. An. 12, 27. Lipsius volebat *conditoris suae,* quem Passovius refutavit in adnotatis. Sed fortasse *conditor* intelligendus est *Agrippa*, qui illos traduxit. Selling. l. l. p. 23. *sui* esse pronominis reflexivi genitivum bene observat, ut interpretemur *conditorem sui* eum, qui se, Agrippinenses nimirum, condidit.

collocati. MS. Longol. ed. Norimb. *collati.*

custodirentur. MS. Tur. *custodirent.*

Cap. 29. *Batavi.* Sic MS. Hummel. (ab eadem manu in marg.) edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. cf. Hist. 1, 59. 2, 8. 17. 22. et alibi. — *Batavii* MSS. Tur. Longol. edd. Spir. Kath. Norimb. — *batani*, in marg. *bathi* MS. Stuttg. — *bathi* Hummel. in contextu.

non multum ex ripa, sed insulam Rheni. Vocabulo *ripa* intellecto vel addito *Rheni* Tacito plerumque dicitur regio ad Rhenum a parte Galliae sita. Iam *non multum ex ripa* Batavi dicuntur colere, ut hisce verbis significentur extrema illa Gallicae orae, quae vacua tunc cultoribus Batavi e regione transrhenana depulsi praeter insulam inter vada sitam occupaverant. cf. Hist. 4, 12. Igitur *non multum ex ripa* est *ein kleines Stück der Ufergegend.* Particula *sed* insulam Rheni ripae opponit. Ne igitur cum Sellingio (in Observv. crit. in Agric. p. 15.) putes *sed* vim adversativam hoc loco deposuisse. Longolius locum accipiebat, quasi scriptum esset: *non solum non multum, sed et*, quod contortum est.

Cattorum. De scriptura vocabuli vid. not. ad An. 1, 55 12, 27. 13, 57. Hist. 4, 12. et alibi. In hoc libello vett. libri plerumque retinent scripturam *Chatti*; sunt vero etiam qui scribunt *Catthi* vel *Catti.* Sed si qua est in hac re librorum auctoritas, codices, qui Annalium et Historiarum libros continent, sunt superiores.

populus . . . transgressus. Ed. Monac. *populo . . . transgresso.* De re cf. Hist. 4, 12.

honos: Ed. Norimb. *honus.*

antiquae societatis insigne. Ed. Monac. *antiqua societas insigne.*

contemnuntur. MS. Tur. *conteruntur.* Edd. Viteb. Melanth. *premuntur.* Rhenanus coniecit *condemnantur*, Micyllus *comminuuntur*, Stephan. Pighius in Hercul. Prodic. p. 13. *contenuantur*, Aurelius *consternantur*, Lipsius *contunduntur*, Crusius *consumuntur.* Frustra omnes, ut fusius docuit I. Fr. Gronovius ad h. l. Eleganter scriptor dicit *contemnuntur*, ut simul exprimat rationem, quae intercedat inter victorem tributa imponentem et victum tributa patientem. Sententia: non ita contemnuntur ac viles habentur, ut cogantur tributa pendere sicut subactae gentes. Idem modus dicendi est in seqq. *nec publicanus atterit.* De re cf. Hist. 4, 12.

tantum. Passovius vult *tan-*

usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur. Non numeraverim inter Germaniae populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui decumates agros exer-

quam, quod non patitur particula *velut*, ut bene vidit Orellius. cf. Hist. 4, 12. *viros tantum armaque imperio ministrant.*

Mattiacorum. Cod. Hummel. r Mactiacorum. Ed. Vienn. *Matiacorum.* Ed. Paris. *Matticorum.* cf. not. ad An. 11, 20. Ceterum Mattiacorum gens hic in sermonem venit non ut Batavis vicina, sed ob similitudinem obsequii, quo utebantur erga Romanos. Quare non est, cur cum Leibnitio mutemus *Marsatiorum* vel *Marsacorum*, aut cum Strombeckio de corruptela loci cogitemus. De sedibus Mattiacorum cf. Wilhelm: *Germanien*, p. 145.

ripa. Ed. Paris. *ĩpa.*

mente animoque. Eadem synonyma coniungit Caes. B. G. 1, 39. *tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret.* Pro *animoque* MS. Hummel. fert *animo* et pro *mente* in margine *manente.*

cetera similes . . . animantur. Ed. Paris. *silens Batavus — terra et et solo suo: coelo* etc.

non numeraverim. Sic MSS. Vatic. 4498. Longol. Stuttg. Hummel. edd. Paris. Rom. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. Melanth. Micyll. sqq. usque ad Passovium, qui maluit *non numeramus* e MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. (haec in margine: *alias Connumeraverim*) Rhenan. (1519.). Passovium secuti sunt Hess. Dilthej. al. Passovius enim scribit: „Quis unquam crediderit, Tacitum non sine dubitatione negaturum, Gallorum levissimos Germanos esse!" At illa dubitatio verbo *numeraverim* non inest, immo certissima sententia: *ich möchte nicht zählen.* cf. Horat. Serm. 1, 5, 44. *Nil ego contulerim iucundo sanus amico.* Num apud Horatium est dubitatio? — MS. Vatic. 1518. praefert *numeravimus*, quod si verum et genuinum est, scriptor dicit de sua ratione, quam instituit in enumerandis Germaniae populis. Possis etiam coniicere *numerabimus.* cf. Hist. 3, 51. *memorabimus.* An. 13, 20. *trademus*, et 14, 64. *silebimus.* Quibus exemplis patet vanam esse Passovii opinionem, qui ad h. l. scribit: „Multum differt apud Tacitum, utrum plurali, an singulari primarum personarum numero utatur: illud si fit, ad omnes Romanos, praecipue ad aequales Taciti, extenditur oratio." Immo de suo tantum instituto Noster nunc loquitur, nec quidquam haec pertinent ad omnes Romanos aut Taciti aequales.

decumates agros. In cod. Hummel. scriptum est *thecumates.* Vox ἅπαξ λεγομένη. Vocabulum *decumates* forma sua factum est secundum *optumates*, *summates* etc., ut *decumates agri* sint iidem, qui alibi *decumani* dicuntur a *decimis*, quas solvunt possessores, h. e. vectigales. Satis enim constat Romanos, postquam super Rhenum Danubiumque in Germaniam penetrave-

cent. levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere. mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

XXX. Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paulatim rarescunt, et Cattos suos saltus

rant, agros hosti ereptos aut ab hoste relictos in usum vertisse legionum. cf. An. 13, 54. *agros vacuos et militum usui sepositos.* Ex quo loco etiam apparet eiusmodi agros esse datos vel negatos petentibus. Dabantur autem haud dubie sub conditione decumarum, ut ita decumates agri dici potuerint. Iam non erit quaerendum, in quanam Germaniae parte siti fuerint. Nam res suadet, ut non quaeras in certo quodam Germaniae angulo, sed potius sumas eiusmodi agros fuisse variis in regionibus et in omni Germaniae latitudine, qua Rheno et Danubio praetenditur, quatenus exercitus Romani diutius ibi egerant. Debebant autem agri illi dubiae esse possessionis, quippe in confinio imperii et inter ipsum armorum strepitum siti. Nam discedente exercitu Romano, si forte calamitas incidisset, hostes denuo procurrebant in agros antea relictos. At limite acto promotisque praesidiis agri illi constantius Germanis erepti coeperunt esse extremae imperii Romani partes (sinus imperii). Fusius de hac re disputaverunt Mannert. Geograph. T. III. p. 259 sq. et Wilhelm in: *Germanien*, p. 290 sq.

sinus. Ed. Paris. *simul.*

limite acto. cf. Frontin. Strateg. 1, 3, 10. *limitibus per* 120000 *passuum actis*, et cap. 5, 10. *ab altera limitem agere coepit tanquam per eum erupturus.* Virgil. Aen. 10, 513. *latumque per agmen ardens limitem agit ferro.* Ovid. Art. Am. 3, 558. *idem limes agendus erit.* Quibus aliisque exemplis I. Fr. Gronovius apte defendit veterum librorum scripturam *acto*, eamque restituit Ernestius, postquam suadente Lipsio Pichena sqq. ediderant *aucto.*

habentur. Ed. Hess. *habetur.* — Totum hoc caput tenebris adhuc premi accuratiore rerum investigatione dispellendis questus est vir doctus in Seebod. Bibl. cr. 1825. p. 210. Idem opem suam peculiari libello praestandam promisit.

Cap. 30. *Ultra hos.* Intell. populos, quos hucusque dixit. Egit enim de populis ad Rhenum colentibus; iam transit ad ulteriores. Vir doctus in Seebod. Bibl. cr. 1825. p. 210. *hos* ad eos tantum refert, qui agros decumates tenerent.

inchoant. Ed. Norimb. *incoant.* cf. not. ad Hist. 4, 41. Germ. c. 10.

effusis. H. e. spatiosis, latis. cf. Plin. ep. 2, 17. *cella frigidaria spatiosa et effusa.* Ibid. 8, 6. *inveni tam copiosum et effusum* (intell. senatus consultum).

patescit: durant siquidem colles, paulatim rarescunt etc. Ita locum distinguunt edd. Rhen. (1533.) Ald. sqq. et nuper Bekker. Walch. aliaeque: qui libri insuper invitis codd. MSStis et vett. editionibus voculae *paulatim* addunt *que*, non video qua necessitate. — Passov. Hess. Dilthej. aliique maluerunt interpungere: *patescit, durant. siquidem colles paulatim rarescunt* etc. secundum MSS. Tur. Longol. Stuttg.

Hercynius prosequitur simul atque deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et maior animi vigor. multum (ut inter Germanos) rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in

et edd. Spir. Kath. sqq. ad Rhenanum (1533.). Sed in interpunctione perexigua est veterum librorum auctoritas, et quacunque interpretatione veterum librorum rationem adiuves, manet perlanguida et contorta sententia atque incommoda verborum series. At obiiciunt Rhenano inusitatam particulae *siquidem* collocationem, quippe quae soleat poni ab initio sententiae. cf. Sueton Iul. c. 9. et 88. Oct. c. 2, 33. et 99. Tib. c. 2. Cal. c. 49. Ner. c. 5. et 26. Verum innumera sunt apud Nostrum eiusdem transpositionis exempla, quorum cumulum congessit Wernicke de Elocut. Tacit. p. 14. Praeponitur *durant*, quia praecipua ei verbo inest vis. Quod interpretes nonnulli censent dictionem *colles durare* non esse latinam, falluntur: nam si Catti durant, h. e. Cattorum sedes, possunt et colles durare.

simul atque. MS. Stuttg. omittit *atque.*

deponit. Sententia: saltus Hercynius prosequitur Cattos suos, h. e. longitudine sua porrigitur per Cattos neque ab iis recedit: sed *deponit* etiam Cattos suos, h. e. comitatur eos in latitudinem et loca inferiora colles paulatim deprimendo nec subito abrumpendo, ut ita saltus Hercynius Cattos suos in loca inferiora videatur transferre.

stricti artus. Iuvenal. Sat. 6, 401. *strictis mamillis.*

animi. MS. Hummel. *animis.*

ut inter Germanos. Ed. Paris. male omittit *ut.*

nosse ordines. MS. Stuttg. *noscere ordines.* cf. Hist. 2. 93. *non principia noscere.* Hist. 3, 25. *laxati ordines abrumpuntur.*

occasiones. Ed. Norimb. *necessitates.* Sed cf. An. 16, 14. *occasionum haud segnis.*

disponere diem. cf. Sueton. Tib. c. 11. *Forte quondam in disponendo die mane praedixerat, quidquid aegrorum in civitate esse, visitare se velle.*

vallare. Ed. Kath. *vallere*, vitio typographico.

inter certa. Ed. Paris. *inter caetera.*

nec nisi ratione disciplinae. Sic MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Monac. Vienn. Rom. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. De MSS. Vaticc. silentium est, ut ita videantur cum illis libris consentire. — *nec nisi Romanae disciplinae* MSS. Bamb. Arund. Hummel. (?) ed. Paris. Varietas originem traxit e compendio *rone*, quod exstat in ed. Rhag. et utroque modo legi potest. Passovius defendit *ratione.* „Nam non tantum Romanae", ait, „sed omnium gentium disciplinae militari hoc erat proprium." Orellius pugnat pro *Romanae*, animadvertitque contra Passovium, tunc temporis, cum Romanis tantummodo cum barbaris artis militaris plerumque ignaris bella essent gerenda, hoc merito tanquam Romanorum pro-

duce quam in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. alios ad proelium ire videas, Cattos ad bellum. rari excursus et fortuita pugna. equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

XXXI. Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Cattos

prium institutum laudari potuisse. Persuasit Hessio (cf. Varr. LL. I., p. 32.), Walchio, qui interpretatus est: *und was so selten, ja fast nur römischer Kriegszucht verliehen ist* etc. et Sellingio l. l. p. 24. At illud *fast* non inest, nec Orellii verba veram Passovii sententiam ita infregerunt, ut recepta scriptura iam deseri possit. *Ratio disciplinae* (ut *ratio ducis* Agr. c. 18.) est iustus et consilio institutus ordo disciplinae, disciplina bene constituta. cf. Hartmann. Observv., P. II. p. 10.

concessum. MS. Stuttg. *consensum.*

in pedite. Ed. Vienn. *impedite.* Solent enim quidam libri veteres litteram *n* ante *p* constanter vertere in *m*, etiam in praepositione *in*, quod vidimus in cod. Guelf. Inde corruptione factum est *impedire*, quod exstat in ed. Paris.

ferramenta. cf. Caes. B. G. 5, 42. *Sed nulla his* (Nerviis) *ferramentorum copia, quae esset ad hunc usum* (ad vallum et fossam) *idonea: gladiis caespites circumcidere, manibus sagulisque terram exhaurire cogebantur.* Veget. 2, 25.

onerant. Sic MSS. Vaticc. 1862. 2964. et 4498. Longol. Hummel. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Rom. et deinde Lips. Ernest. Brot. sqq. — *coonerant* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. Viteb. Melanth. et post Lipsium edd. Pich. Gruter. sqq. ad Ernestium.

alios ad proelium ire videas, Cattos ad bellum. cf. not. ad Hist. 2, 40.

cedere. Ed. Spir. *cedere*, vulgari confusione. Ceterum de Cattis haec etiam accipe dicta. Sunt qui putent inesse sententiam in universum pronuntiatam. cf. Dilthejus et Ricklefsius ad h. l. Verum Tacitus non delectatur verbis inanibus.

velocitas . . . constantiae est. cf. An. 6, 42. *Nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est.* Haec etiam verba de Cattis valent, ut intelligas apud eos, h. e. eorum opinione, velocitatem iuxta formidinem, cunctationem propiorem constantiae haberi. Sic Noster infr. c. 35. *id praecipuum virtutis ac virium argumentum est*, intell. apud Chaucos. — *Proprior* exstat in cod. Hummel.

cunctatio. Ed. Spir. *cuntatio.*

Cap. 31. *Et aliis ..... vertit, ut primum* etc. Veteres libri locum varie dividunt. Edd. Spir. Kath. Put. M. et V. puncta ponunt ante *rara* et post *vertit.* Posteriore loco sequentes editores punctum commate mutarunt. Ed. Paris. *est et aliis Germanorum populis usurpatum: rara audentia. Apud Chattos* etc. Rhenanus anno 1533. edidit: *constantiae est. Et aliis Germanorum populis usurpatum,*

in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Iamque canent insignes, et hostibus simul suisque monstrati.

rara et privata cuiusque audĕtia, apud Cattos in consensum vertit, ut primum etc. Eandem rationem tenent edd. Norimb. Ald. Lips. Pich. sqq. — Scripturam *raro* ferunt MSS. Tur. Vaticc. 1518. et 2964. edd. Spir. Kath. Rom. et nuper Seebod. — *rara* MSS. Vatic. 4498. Stuttg. edd. Put. sqq. Praeferendum duxi *raro:* nam ita duo momenta, quae verbis insunt, melius discernuntur. Dicit Tacitus et aliis Germanorum populis id usurpatum, verum *raro et privata cuiusque audentia.*

audentia. cf. An. 15, 53. *ut quisque audentiae habuisset.* MS. Stuttg. in contextu *audientia*, in marg. *audencia.*

in consensum. Codex vetus Groslotii *in conventum.* cf. Hist. 4, 46. *consensus multitudinis.*

vertit. cf. *ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent.* Similia sunt An. 11, 28. Hist. 4, 27. Sueton. Oct. c. 23. et alibi. De verbi *vertit* usu cf. Kritz. ad Sallust. Catil. p. 37. et Passov. ad h. l.

hoste caeso. MS. Tur. *hoste ceso.* Edd. Spir. Kath. *hoste exso.*

super sanguinem et spolia. H. e. inter sanguinem (caedem) et spolia. cf. not. ad An. 3, 17. sub vv. *super haec.*

frontem. Sic MS. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Rom. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *frontes* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. (in marg. *frontem*) Rhen. (1519.). De MSS. Vaticc. silentium est. MS. Longol. *revelant vultum frontem*, admixto glossemate.

nascendi. Edd. Norimb. Vienn. *noscendi.*

manet. MS. Vatic. 2964. *remanet.*

annulum. Ed. Spir. *anulum.* cf. not. ad An. 2, 2.

ignominiosum id genti. Praeeuntibus Bekkero aliisque parenthesim restitui, quam aboleverant Passovius, Hess. alii. — Ed. Vienn. *ignominosum.* Herelius (*über einige Stellen in Tac. Germ., Erfurt.* 1796.) coniectabat: *sit ominosum.* Güntherus ad h. l. *ignominiosum ei genti.* Sed talia frustra tentantur, quum locus emendatione non egeat. cf. Io. Beckmann. *Observv. minor.* II., 14. p. 300. et Hess. Varr. Lectt. I., p. 33.

iamque canent insignes. H. e. iam canent, cum adhuc eo signo utuntur eoque hostibus simul et suis sunt conspicui. cf. Hist. 1, 88. *vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus.* Fuere qui aliquid hic emendandum putarent. I. Fr. Gronovius coniectabat: *iamque canent insignibus his hostibus simul suisque monstrati.* Ernestius: *itaque canent insignes et host.* etc. vel *itaque manent* etc. Illud *itaque* placet Barkero, non

omnium penes hos initia pugnarum. haec prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur: prodigi alieni, contemtores sui; donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

mihi, namque vulgatum multo efficacius est. Heinsius: *iamque cani ut insignes, et hostibus simul suisque monstrari.* Broterius: *namque canent* etc. Bipontini: *Iamque calent ..... monstrari.* — Edd. Monac. Vienn. Rhag. *cavent .... monstrari.* Ed. Paris. *cavent .... monstrati.*

visu nova. Ratio adiecta verbis: *nam .... mansuescunt* I. Fr. Gronovio videbatur posci: *visu non nova.* Freinshemius malebat *visu nota;* Heinsius: *visu obvia;* Hillerus: *visu saeva;* Sprengelius cum viro docto in Ephemer. lit. Ien. 1818. Aug. *haec novissima;* Berneggerus: *visu torva*, quod in locum receperunt Bipont. Oberl. Bekker. alii. Veterem scripturam retinuerunt Passov. Hess. alli. At rationem non reddunt, quomodo verba *visu nova* cohaereant cum sequenti vocula *nam*: ea enim viris doctis fuit causa mutandi. Et Broterio quidem *nam* videtur redundare: facillimus sane rem expediendi modus. Verum non redundat: neque tamen explicat vocem *nova*, sed totum locum. Etenim ratio erat reddenda, quomodo fieret, ut omnium penes hos initia pugnarum, haec prima semper esset acies. Nimirum quia fortissimi illi pacis artibus prorsus neglectis totos se bello vovent et in pace etiam bellicosam retinent speciem. Apte igitur pergitur: *nam ne in pace quidem* etc., ut ita e particula *nam* pendeant sequentia usque ad *faciat.* Ceterum usus voculae *nam* apud Nostrum satis laxus est: non semper praecedentis sententiae rationem, quae dicitur, stricte reddit; saepe intercedit hiatus quidam sententiae. cf. not. ad An. 16, 18. *de C. Petronio supra pauca repetenda sunt. nam illi* etc., et An. 14, 44. — *Visu nova* non omnino sunt, quae ante nunquam sunt visa, sed quae videnti stuporem iniiciunt. Et Romanis, quibus Noster hunc libellum scripsit, *nova* haud dubie eiusmodi acies debuit videri. cf. Hist. 1, 75. *novitate vultus .... prodebantur.* An. 1, 26. *novum id plane.*

vultu mitiore. MS. Tur. *voltu.* MSS. Arund. Stuttg. edd. Paris. Vienn. *cultu*, quod placet Pichenae, Passovio, Hessio; non item Orellio, qui praeeunte Ernestio observat vocem *cultu* vix recipere epitheton *mitiore*, quod ad animi sensum in vultu elucentem potius pertineat. Sed An. 3, 19. legimus *miti obitu*, et *mitior cultus* potest etiam referri ad animi sensus intuentium. Est tamen satis ambigua haec res. Ablativus *vultu mitiore* est ablativus instrumenti, ita ut vultus mitior sit. Ernestius coniectabat: *in vultum mitiorem mansuescunt.* Pro *mitiore* MS. Stuttg. fert *mitiori.*

aut ager. Haec in edd. Put. V. Beroald. Viteb. non leguntur.

aut aliqua cura. Heinsius coniiciebat: *aut alia cura.* Herelius l. l. *aut thalami cura.* Verum *aliqua* ponitur pro *alia quaequam.* cf. An. 1, 4. *aliquid quam.* Vid. ib. not.

exsanguis. Sic edd. Lips. sqq. — *exanguis* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. sqq. ad Lipsium. cf. not. ad Hist. 2. 22. 3, 45.

XXXII. Proximi Cattis certum iam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt. nec maior apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. sic instituere maiores, posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio, perseverant senes. inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non ut cetera maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

Cap. 32. *certum iam alveo Rhenum.* Heinsius malebat *alvei* ex illa opinione sua, qua ubique eiusmodi ablativum mutabat in genitivum. cf. not. ad An. 1, 3. sub vv. *bonum militia.* Exempla similia sunt Hist. 3, 38. *praecipuum honore*; Hist. 3, 50. *socordem bello*; 3, 53. *immodicus lingua.* — *Certus alveo Rhenus* opponitur dubio, vago, diffuso. Mela 3, 2, 70. *Mox diu solidus* (Rhenus) *et certo alveo lapsus haud procul a mari huc et illuc dispergitur.* Nostro vero loco *certum iam alveo Rhenum* adfirmant interpretes oppositum Rheno apud Batavos se effundenti et lacus efficienti. cf. Bredov. et Dilthej. ad h. l. Obstat huic sententiae particula *iam*, quae arguit oppositum esse Rhenum priorem, h. e. superiorem. cf. Vir doctus in Seebod. Bibl. cr. 1825. p. 211., qui scribit: „*In der Pfalz und im Rheingau, von Breisach bis Bingen fliefst der Rhein in breitem Bette, bildet zahlreiche Inseln und hat in frühern Zeiten oft seinen Lauf verändert, wovon sich noch häufige Spuren im Badischen und an der Bergstrafse finden.*"

quique terminus esse sufficiat. H. e. ita latus atque profundus, ut arcere possit transrhenanos neque opus sit limite manu facto. Olim tamen limitem a Tiberio coeptum in hac regione Noster tradidit An. 1, 50. cf. An. 2, 7. extr.

Usipii. MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Paris. Norimb. Vienn. *Usipi.* Sed *Usipii* dicuntur An. 13, 55. 56. Hist. 4, 37. Agr. c. 28. 32. *Usipetes* sunt An. 1, 51. Caes. B. G. 4, 1. Flor. 4, 12, 23. Graeci scriptores variant inter *Οὐσιπέται*, *Νουσίποι*, *Οὐΐσποι*, *Οὐσίποι*.

Tencteri. Sic MSS. Hummel. Longol. edd. Beroald. sqq. cf. An. 13, 56. Hist. 4, 21. 64. 77. — *Teucteri* ed. Vienn. — *Teneteri* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. — Ita et c. 33. et 38. libri variant inter *Theneteros*, *Thencteros*, *Tencateros*, *Thenecteros.* Caes. B. G. 4, 1. *Tenchtheri.* Florus 4, 12, 23. *Tenctheros.* Dio Cass. 39, 47. *Τέγκτηροι.* Plutarch. Iul. Caes. c. 22. *Τεντερίδαι.*

peditum laus. In cod. Hummel. additum legitur *est.*

ut cetera. Sic MSS. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Norimb. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — MS. Tur. *ut extat*, sed e correctione: nam a prima manu videtur fuisse *ut extera*, quod ferunt edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. Vienn. Rhen. (1519.). — *ut extra* edd. Monac. Rhag. De MSS. Vaticc. Broterius tacet.

ferox bello et melior. De ordine verborum cf. Ramshorn. Gr. p. 700. — *ferox* bono sensu dicitur An. 4, 21. Hist. 2, 24. et alibi. — De vocabulo *melior* cf. not. ad An. 1, 3. — Sententia loci est: excipit equos ferox bello inter non feroces: inter feroces excipit ferocior sive melior.

XXXIII. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum: seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem proelii invidere. super LX. millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.

XXXIV. Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini

CAP. 33. *Bructeri.* MS. Arundel. *Bruteri.* Sed cf. An. 1, 51. 60. 13, 56. Hist. 4, 21. 61. 5, 18.

occurrebant. MS. Stuttg. *excurrebant*, omisso *olim.* De Bructeris nuper scripsit L. v. Ledebur, *das Land und Volk der Bructerer, als Versuch einer vergleichenden Geographie der ältern und mittlern Zeit. Berlin* 1827. 8.

Chamavos. cf. An. 13, 55. MS. Tur. hic et c. 34. *Chamanos.* Apud Graecos audiunt *Κάμαυοι* vel *Χάμαβοι.* De constructione verborum: *Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur* cf. not. ad Hist. 1, 90. Cicer. pro Milon. 18. extr. *eum mortuum nuntiabatur.*

ne spectaculo quidem proelii invidere. Ed. Monac. *se spectaculo* etc. De constructione verbi *invidere* vid. not. ad An. 1, 22.

millia. Edd. Put. M. et V. Paris. Beroald. Rhenan. (1533.) Ald. Micyll. *milia.* Sed libri sibi non constant in hac scriptura. cf. Osann. ad dial. de orat. cap. 16. p. 29.

oblectationi oculisque. Ἓν διὰ δυοῖν, oblectationi oculorum. cf. Roth. p. 38. In cod. Hummel. legitur *oblectatione.*

quaeso. Intell. *deos.* cf. Terent. Andr. III, 2, 7. Cicer. ad Divers. 11, 3. extr.

at certe. Edd. Spir. Put. Monac. *ac certe.* Sed cf. Ramshorn. Gr. §. 190. not. 4. p. 591.

quando urgentibus imperii fatis. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Longol. Hummel. (sed Sellingio teste is liber exhibet *gentibus.*) Stuttg. edd. Paris. Rom. Norimb. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Passovium et nuper Bekker. Walch. alii. — *quando iam urgentibus* etc. MSS. Vaticc. 1862. 2964. — *quando in urgentibus* etc. MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Rhenan. (1519.) et nuper Passov. Hess. alii. — *quando in vergentibus* etc. MS. Arundel. idque non displicebat Lipsio. cf. not. ad An. 5, 3. et 12, 44. Pro recepta scriptura eximie facit Liv. 5, 36. *iam urgentibus Romanam urbem fatis.* Virgil. Aen. 2, 653. Lucan. 10, 30. Tacit. An. 15, 55. 15, 10. 13, 15.

CAP. 34. *Dulgibini.* MS. Vatic. 2964. *Dulgicubini.* MS. Stuttgart. *dul*$\overset{\textit{cubrini}}{\underset{\cdots\cdots}{\textit{gibini}}}$ *cubrini*. MS. Hummel. *Dulcubimi.* Ptolem. 2, 11. *Δουλγούμνιοι.*

et Chasuari cludunt aliaeque gentes haud perinde memoratae. a fronte Frisii excipiunt. maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit

Chasuari. Sic MSS. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Consentit Ptolem. l. l., cui audiunt *Κασουάροι.* — *Chasuarii* MSS. Vatic. 4498. Hummel. ed. Melanth. — *Chassuarii* ed. Viteb. Straboni 7., p. 446. *Χαττουάριοι.* — *Occasuarii* MS. Vatic. 1518. — *Tasuari* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. — *Thasuarii* edd. Paris. Norimberg. Velleio 2, 105. *Attuarii*, sive rectius ibi legitur *Chasuari* ob veteres libros.

cludunt. Sic MSS. Hummel. Longol. Stuttg. edd. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. cf. Hist. 1, 33. Germ. c. 35. — *claudunt* MS. Tur. — *eludunt* ed. Spir. De MSS. Vaticc. Broterius tacet.

aliaeque gentes. cf. An. 1, 51. 13, 55. 56.

Frisiis. MS. Tur. edd. Spir. Kath. Norimb. *Frisis* per contractionem, itemque paulo ante in libro Hummel. scriptum est *Frisi* pro *Frisii.*

utraeque nationes. MS. Tur. corrupte *iureque nationis.*

lacus. cf. An. 1, 60. 2, 8. Mela 3, 2.

Romanis classibus navigatos. cf. An. ll. ll. et Suet. Claud. c. 1. Dio 54, 32. 55, 28. Velleius 2, 106. Plin. N. H. 2, 67. 4, 27.

illa tentavimus. MS. Tur. edd. Paris. Vienn. Melanth. *illac.* Sed cf. not. ad An. 2, 17.

Herculis columnas. Rudbeck. (*Atlantica.* p. 25.) posuit in Suecia Cimmerioque promontorio: Broterius quaerit in Frisiorum finibus. cf. Ukert, *Geographie der Gr. und Römer*, I., p. 216. II., p. 307.

sive .. seu. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. cf. An. 12, 8. Ibid. 1, 10. et 60. — *seu .. seu* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.). cf. An. 6, 9. Sed ante *adiit* elegantius est *sive.*

magnificum. MS. Longol. edd. Norimb. Rom. *magnum.* Sed cf. Agric. c. 30. *omne ignotum pro magnifico est.*

consensimus. Sic MSS. Tur. Stuttg. Vaticani omnes, Longol. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. Norimb. Rhag. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. ad Pichenam, qui maluit *consuevimus* e MSS. Bamb. Hummel. — Ernestius restituit *consensimus.*

Druso Germanico. Freinshemius malebat *Druso et Germanico*, et Walchius interpretatus est *Drusus und Germanikus.* In latinis vulgatum contextum servavit. Hessius e sententia viri docti in Ephemer. lit. Ien. 1818. mense No-

Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis deorum credere quam scire.

XXXV. Hactenus in occidentem Germaniam novimus. in septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant arma, nullis raptibus aut

vembr. per asyndeton edidit *Druso, Germanico.* In Varr. Lectt. I., p. 35. idem Hessius suspicatur Tacitum scripsisse *Druso Germanicoque* et *que* fortasse compendio scriptum interiisse. At nullus hic locus est copulis *et* aut *que:* Tacitus, si voluisset duos viros distinguere, scripsisset *Druso aut Germanico.* Quod cum non fecerit, constanter scribo *Druso Germanico*, ut intelligas solum patrem Germanici. cf. not. ad An. 1, 31. Germanicus Drusi filius, ut Ernestius recte observavit, illum Oceanum intravit hostium debellandorum causa, non ut inquireret de columnarum Herculis veritate.

tentavit. MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. Beroald. Alc. *temptavit*, vulgari consuetudine. cf. Schneider. Gr. lat. Tom. I. P. 2., p. 469. sq. Zumpt. Praef. ad Curt. p. XXI.

sanctiusque ac reverentius. Synonyma. cf. Roth. p. 15.

Cap. 35. *Hactenus* etc. Longolius et Bredovius haec priori capiti adsignant et novum caput incipiunt a verbis: *In septentrionem.* Passovius recte censuit non esse operae pretium in talibus quidquam mutare.

ac primo. MS. Longol. *a primo*, quod Longolio videbatur haud spernendum. At solet Noster per *ac* incipere tales locos. cf. An. 14, 64. *ac puella* etc.; 11, 29. *ac primo Callistus* etc. Hist. 3, 30. *ac rursus* etc.

Chaucorum. Conspirant libri in hac scriptura cum Plinio et Spartiano, Dione et Ptolemaeo. Straboni dicuntur *Καῦκοι*. cf. not. ad An. 1, 38. 11, 19. Hist. 5, 19.

a Frisiis. MS. Tur. edd. Spir. Kath. Norimb. *a Frisis*, ut c. 34.

sinuetur. De coniunctivo vide not. ad An. 2, 6. sub vv. *donec Oceano misceatur.* Hoc loco omnes quantum constat libri consentiunt in *sinuetur;* unus Hummel. in margine: *al. sinatur.*

tam immensum. Ed. Monac. *et tam immensum.*

sed et implent. Ed. Norimb. omittit *et.*

impotentia. MS. Tur. hic *impetentia* et c. 36. *impetentes*, e vitio. Nam pro vulgatis stat Taciti usus. cf. An. 1, 4. 4, 57. 12, 57. 14, 31.

nulla provocant arma. Vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 211. animadvertit haec ire contra locos An. 11, 18. et 13, 55. At

latrociniis populantur. id pretium virtutis ac virium praecipuum argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias adsequuntur. Prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.

non frustra Tacitus extremo hoc capite addidit prompta et Chaucis arma, et si res poscat, exercitus etc. E locis Annalium vix quidquam poterit colligi contrarium laudi Chaucorum bella non provocantium: nam quis adfirmabit Ansibarios (An. 13, 55.) a Chaucis pulsos bello non provocatis? Et An. 11, 18. sermo est non de Chaucorum natione, sed de sociis e Chaucorum gente Gannascum secutis, qui bellum moliebantur contra Romanos eorumque socios.

id pretium virtutis ac virium praecipuum argumentum est. Plura hic sunt excutienda. Primum *id* ferunt libri veteres quantum constat omnes. Lipsius (anno 1574.) tacite edidit *idque* (non Rhenanus, ut prodidit Passovius), quod duravit per sequentes editiones, retinetur etiam Bekkero. Verum *id* hoc loco ea fungitur vi, ut magis exhibeat sequens *quod.* cf. Ramshorn. Gr. §. 204. p. 678. b. Ita Noster Hist. 3, 64. *id Sabino convenire, ut imperium fratri reservaret: id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur.* Quare incommodum est illud *que*, quod deleverunt Seebod. Passov. Hess. alii. Totum locum edidi e MS. Vatic. 1518. De formula *pretium virtutis* cf. An. 3, 40. *cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset.* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.) Viteberg. Melanth. habent haec: *id praecipuum* (Spir. *precipuum*) *virtutis ac virium praecipuum argumentum est.* Facile intelligis prius *praecipuum* factum esse e *pretium*, quod in veteribus libris saepe scribitur *precium.* Id vitium dein alii ita correxerunt, ut delerent *praecipuum* post *virium.* Sic MS. Stuttg. edd. Norimb. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ad hunc diem. — Pro *agant* MS. Stuttg. *agunt* et *assequantur* pro *adsequuntur.* — Pro *per iniurias* ed Norimb. *per iniuriam;* ed. Monac. *per iniuria.*

ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque. Ita locum distinguunt Aldus, Broterius, Oberlinus, Bekkerus, alii. — Sed Aldus punctum posuit ante *plurimum.* Alii coniungunt: *ac, si res poscat exercitus, plurimum* etc. Sic edd. Vienn. Alc. Lips. sqq. Seebod. Passov. Hess. aliique. Negligentiae sane accusandus est Tacitus, si in constructione verborum illam admisisset ambiguitatem, quam hic invenisse sibi videntur interpretes, h. e. si usus loquendi ferret, ut coniungerentur *si res poscat exercitus.* Iam vero Nostro aliisque scriptoribus formula *si res poscat* ubique ponitur absolute neque addito casu, qui indicet id quod a re poscatur. cf. Hist. 1, 79. *Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis adsultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam cominus fodiebat;* 2, 5. *Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti* etc. Ita et Suetonius Tib. c. 65. *Drusum nepotem, quem vinculis adhuc Romae continebat, solvi, si res posceret, ducemque constitui praeceperat.* Plin. ep. 10, 33. *Multum interest, res poscat, an homines imperare latius velint.* Id. 7, 12. *quo ami-*

XXXVI. In latere Chaucorum Cattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt. idque iucundius quam tutius fuit: quia inter impotentes et validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. ita, qui

cus tuus, si res posceret, uteretur. Alia exempla congessit Selling. l. l. p. 24. Quam formulam cum Tacitus poneret, non praevidebat interpretes, qui coniungerent *si res poscat exercitus* contra dicendi consuetudinem. MS. Tur. pro *plurimum* exhibet *plurimus*, quod placuit Günthero. Desidero exempla eiusdem formulae. Vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 212. *plurimum* accipit pro *plurimorum.* Ernestius suspicatur *plurimum* esse factum e *plurium*, ut legas *exercitus plurium virorum equorumque.* Verum non video cur displiceat asyndeton illud: *exercitus, plurimum virorum equorumque,* cum Tacitus saepissime eadem dicendi ratione utatur. Et verba *plurimum virorum equorumque* e studio breviloquentiae Tacitus addit, ut describat Chaucorum *exercitus.* Simili modo idem An. 12, 29. scribit: *vis innumera Ligii aliaeque gentes adventabant*, ubi nostrum aliquis scripsisset: *innumera vis Ligiorum aliarumque gentium.*

Cap. 36. *nimiam.* MS. Tur. *mirsiam* vel *nursiam:* utrovis enim modo obscuram scripturam legas.

marcentem. cf. Hist. 3, 33. *in nemore Aricino desidem et marcentem* (Vitellium). Iustin. 34, 2. *quotidiana luxuria ita marcenti* (Ptolemaeo), *ut* etc. Ovid. ep. ex Ponto 2, 9, 61. *ne tua marcescant per inertes otia somnos* etc. — Ed. Dithmar. pro *marcentem* exhibet *marcescentem* absque omni vett. librorum auctoritate.

diu pacem etc. MS. Stuttg. *diu pacem inlacessiti diu nutrierunt.*

iucundius. MSS. Tur. Hummel. Longol. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium *iocundius.*

impotentes. Ed. Norimb. *impotentis.* MS. Tur. *impetentes.* cf. not. ad cap. 35.

ubi manu. MS. Stuttg. *nisi* (*ubi* superscr.) *manu.*

agitur. Ed. Ald. *agetur*, vitio typographico. Nam Aldus strenue sequitur Rhenanum. MS. Stuttg. *agatur* (*i* superscr.).

nomina superioris. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. — *superioris* (*e* superscr.) MS. Stuttg. — *nomine superioris* MSS. Vaticc. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Rom. Monac. Paris. — *nomine superiores* MS. Tur. Vix dubitabis vulgatam scripturam esse veram. Sententia: Inter impotentes et validos quiescere non est salutare. nam falleris, si quietis studio te habiturum esse modestiae ac probitatis laudem speras: immo ubi manu agitur, is contemnitur, qui est inferior, iners pro modesto, stultus pro probo vocatur etc. Nihil igitur opus est coniectura Tanaq. Fabri *sequioris* pro *superioris* legentis, aut Nicol. Heinsii, qui vult *superiori*, ut sententia sit: Illi, qui superior evadit in bello, probitas et modestia sunt inane nomen. Quae quomodo cum sequentibus huius loci verbis conciliari possint non satis video. — De historia cf. Dio 67, 5. ed. Reimar. *Χαριόμηρος δὲ, ὁ τῶν Χερούσκων βασιλεὺς, ὑπὸ Χάττων ἐκ τῆς ἀρχῆς διὰ τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν ἐκπεσὼν κ. τ. λ.*

olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent.

XXXVII. Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa

tracti. Sic MS. Hummel. edd. Lallemand. Broter. Bipont. Oberl. Bredov. Bekker. al. e sententia Pichenae, qui *tracti* posuit in margine. — *tacti* editiones veteres et inter recentiores Passovius, Hessius, Walchius, aliique. Utrumque recte dicitur: nam et tangi et trahi alterius ruina aliquis potest; sed alterum altero fortius est et magis usitatum de ruina. cf. Hist. 3, 29. *ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit.* Ita *ad perniciem trahi* An. 11, 29. *Vis aquarum prorumpens trahebat proxima* An. 12, 57. *Tacta* Nostro dicuntur, quibus superne aliquid incidit. cf. An. 13, 24. *tactae de coelo aedes.* Eadem scripturae varietas est apud Sueton. Tib. c. 21., ubi vid. Oudendorp.

et Fosi. MS. Vatic. 1862. *et Fusi.* Quae scriptura confirmat opinionem, qua haec gens a Fusa fluvio inter Brunsvigam et Hildesiam nomen traxisse creditur.

contermina. Ed. Monac. *conterminata.*

socii. MSS. Tur. Stuttg. Arundel. et editiones ante Lipsium post *socii* addunt *sunt*, quod nuper revocarunt Passov. Hess. aliique, postquam Lipsius sqq. id verbum tacite omiserant. Omiserunt quoque Bekkerus et Walchius, et sane locus Taciti modo dicendi sine *sunt* similior videtur. Saepissime verbum *esse* a librariis additum esse, demonstravit nuper Wunder. Var. Lect. cod. Erfurt. p. LXXXII. MS. Stuttg. *adversariorum* (*ior* deletum) *rerum pares et equi socii sunt*, in margine: al. *ex equo.*

Cap. 37. *sinum.* Sic MSS. Tur. Hummel. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et deinde Longol. Bipont. Oberlin. Bredov. Passov. Hess. Bekker. Walch. alii. Recte. Intellige eam Germaniae partem, qua in septentrionem ingenti flexu redit. cf. supr. c. 35. Ita c. 29. *sinus imperii.* — *situm* MSS. Vaticc. Longol. Arundel. edd. Paris. Norimb. Rom. Ernest. Broter. Seebod., dictione haud sane eleganti.

Cimbri. Sic et dein *Cimbrorum* edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. cf. Hist. 4, 73. — *Cymbri* et mox *Cymbrorum* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) Viteberg.

lata vestigia. Sic MSS. Vaticc. Tur. Hummel. Longol. Stuttgart. editiones ante Rhenanum et nuper Oberlin. Passov. Hess. Walch. al. — *late vestigia* edd. Rhenan. Ald. sqq. et nuper Bekker. alii. Ita et Iacobsius in: *Klio d. Röm.*, p. 232. Sed non video quid sit absurdi in vetere scriptura. Immo rectius vestigia dicuntur *lata* manere, quam *late*: contra melius diceres *late patere.*

utraque ripa. Int. Rheni. Saepius enim Noster ita κατ' ἐξοχὴν de Rheno. cf. c. 17. 23. et alibi. Ne tamen stricte cogites de angusto riparum spatio: utraque ripa latius significat terras cis et ultra Rhenum sitas.

castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone coss. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio multa invicem damna. non Samnis, non Poeni, Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere.

castra ac spatia. Ἓν διὰ δυοῖν, sc. spatia castrorum. cf. Roth. p. 38.

ambitu. MS. Hummel. et ed. Paris. *ambitum.*

molem manusque. Hic quoque *manus* sunt *Hände*, et quae multis in manibus, vires; non *Mannschaften.* cf. not. ad An. 1, 61. Dicuntur pro multitudine manuum, quae colligi poterat ex ambitu operum. *Molem manusque* accipe pro synonymis: *Gröſse und zahlreiche Menge.* Eodem sensu Hist. 3, 46. *externa moles.* Emmerling. in Observv. p. 26. non satis recte *manus* rettulit ad eos, qui arma gererent, *molem* ad universae gentis multitudinem.

tam magni exitus. Sic codd. MSS. Vaticc. aliique et veteres editiones et nuper Longol. Bipont. Oberlin. sqq. — Lipsius (anno 1574.) tacite ediderat *tam magni exercitus*, quod retinuerunt sequentes editores et nuper Hackius. Sed *exitus* commode potest accipi de migratione Cimbrorum magna et prodigiosa. cf. Sueton. Caes. c. 34. *hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus.* Bipontini intelligunt casum, quem tandem habuerunt Cimbri.

sexcentesimum. Ed. Paris. *sescentesimum.*

audita sunt. Ed. Seebod. *sint* sine nulla veterum librorum auctoritate. cf. An. 15, 54. *cum secum . . . reputavit;* 1, 11. *cum proferri . . . iussit;* 1, 16. *cum . . . seditio incessit.* Hist. 4, 52. 57. 66. Vid. Ramshorn. Gr. §. 189. p. 576. sq. — Ed. Vienn. transponit: *cum primum audita sunt Cimbrorum arma.*

Papirio. Ed. Norimb. *Sapino.*

si ad. Ed. Norimb. omittit *si.* — Pro *consulatum* eadem habet *conventum.* Alter Traiani consulatus incidit in ann. p. Chr. 98. = ab u. c. 851.

Samnis. MS. Tur. *Samnites.*

admonuere. Notissimae sunt formulae *admonere* vel *monere verbere* Tacit. An. 5, 9., Senec. de clem. 1, 14.; *flagro* Valer. Max. 1, 1, 6., h. e. castigare (*eine Erinnerung, einen Denkzettel geben*). Solent autem eiusmodi locutiones ut ab aliis ita a Tacito in brevius contrahi, omissa altera notione. Sic An. 4, 64. *adficere* pro *calamitate adficere.* cf. An. 12, 26. — *volvere* pro *animo volvere* An. 3, 38. — *turbare* pro *turbare res* Hist. 1, 7. Eadem ratione dicitur *admonere*, omissa *cladis* vel simili notione, ut sit: castigare. Passovius ad verbum *admonere* intelligit *sui.* Rhenanus malebat *admovere* intellecto *exercitus*, *castra.* Consentit MS. Tur. et ed. Micyll.: sed frustra.

quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus oriens obiecerit? At Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, M. quoque Manlio fusis vel

amisso et ipse Pacoro. Sic MSS. Vatic. 4498. Hummel. edd. Rhenan. (1533.) Ald. Lips. sqq. et nuper Lallemand. Broter. Bekker. Walch. alii. — *amisso et ipso Pacoro* MS. Tur. edd. Vienn. Ernest. Longol. Oberlin. Seebod. Passov. Hess. aliae. — *amisso et ipso et ipse Pacoro* MSS. Vaticc. 1518. et 2964. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Norimb. Monac. Rom. Beroald. Alc. Rhen. (1519.). — *amisso in ipso, et ipse Pachoro* MS. Stuttg. — De vero contextu dubitari nequit. Oriens Romanis obiicit Crassum amissum, at ipse amisso Pacoro illud Romanus obiicit. Eandem explicationem protulit nuper Selling. l. l. p. 26. Scriptura *et ipso* sententiam contorquet, ut intelligas et alium et ipsum Pacorum Parthis amissum. Bipontini maluerunt utramque rationem conciliare sic: *amisso ipso Pacoro et ipse infra Ventidium* etc. De re cf. Hist. 5, 9. Flor. 4, 9. Gell. N. A. 15, 4. Dio 49, 20.

deiectus. MS. Stuttg. *devectus.* Verum exquisite Noster loquitur; *infra Ventidium deiectus* est a pristino fastigio ita deiectus, ut vel infra Ventidium, Romanorum imperatorum minorem, esset.

obiecerit. MS. Vatic. 2964. et ed. Norimb. *obiecerunt.* MS. Vatic. 4498. *obiecit.* MS. Vatic. 1518. *obiicitur.* Quae vitia omnia originem traxerunt e compendio, quo verborum terminationes scribi solent.

Carbone. cf. Strabo 5., p. 328. Liv. ep. 63.

Cassio. cf. Caes. B. G. 1, 7. 12. sq.

Scauro Aurelio et Servilio Caepione. cf. Liv. ep. 67. Vellei. 2, 12.

M. quoque Manlio. Codd. MSS. et veteres editiones quantum constat omnes praenomen viri exhibent *M.* vel litteris expressis *Marco*, nisi quod in Hummel. pro *M. quoque* per librarii negligentiam scriptum est *Marcoque.* At enimvero teste Liv. 6, 20. cautum est: *ne quis deinde M. Manlius vocaretur.* cf. Cic. Philipp. 1, 13. Quare apud Gruter. Inscriptt. p. 207. et in nummis (vide Rasche Lex. Num. T. III. P. 1. p. 1. et p. 174.) et apud Orosium 5, 15. vir ille utitur praenomine *Cn.* Idem ei tribuitur apud Ciceronem bonis libris consentientibus. cf. Ernestii Clav. Cicer. p. 175. Apud Liv. epit. 67. libri scripti variant inter *M.* et *C.*, quidam habent *Cn.* idque ibi restituit Drakenborchius. Etiam Sallust. Iug. c. 114. libri variant: editur vero ad hunc diem *M.* Apud Eutropium 5, 1. omnes codices MSS. exhibent *M. Manlius.* Iam licet compendia *Cn.* et *M.* facile permutentur, vix credo eandem confusionem in tot codices MSS. diversorum scriptorum consensu potuisse venire. Verisimilius est antiquitus iam praenomen viri fuisse ambiguum, nec adeo severe posteris gentis Manliae decretum illud maiorum observatum. Potuit igitur fieri, ut Manlius ille vulgo vocaretur *Marcus*, ut tamen in monimentis (lapidibus et nummis) praenomen *Cneius* substitueretur, ne decretum maiorum palam laederetur. Quare non sum ausus cum Ernestio sqq. pro *M.* apud Tacitum substituere *Cn.* contra omnium veterum librorum auctoritatem. Consentit mecum vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 212. Minime tamen cum illo et Conringio hic admitto scriptoris errorem, qui vix est credibilis. — Ceterum pro *Manlio* MS. Longol. edd. Norimb. Rom. more Graecorum ferunt *Mallio.*

captis, quinque simul consularis exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt. nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum expugnatis legionum hibernis etiam Gallias adfectavere: ac rursus pulsi inde proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

consularis exercitus. Sic MS. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Monac. Vienn. Ber. Alc. — *consulareis exercitus* edd. Rhen. (1533.) Ald. sqq. ad Ernestium. — *consulares exercitus* MS. Tur. et edd. Ernest. Broter. sqq. Restituo veterem scripturam Tacito acceptissimam. At forma *consulareis* ille non utitur.

populo Romano. Sic edd. Rhenan. (1533.) Micyll. Lips. sqq. — *Po. Ro.* edd. Spir. Puteol. aliaeque, quod vario modo legi potest. — *populi Romani* MSS. Vaticc. edd. Norimb. Rom., quae forma aeque bona est. Nam Tacitus amat varietatem in dicendo: et *exercitus populi Romani* sunt exercitus, qui auferebantur illo tempore, quo nondum principatus Caesarum ingruerat.

tresque. Edd. Paris. Norimb. Rhenan. (1519.) *trisque.* Sed vulgatam formam tuentur ceteri libri. cf. An. 1, 55. *tres legiones.* Ibid. c. 18. *tres aquilas.* Sed Hist. 3, 78. *tris cohortes.*

nec impune C. Marius etc. Edd. Rhenan. (1519.) Alc. interpungunt: *abstulerunt, nec impune, C. Marius* etc. eaque ratio egregia et revocanda videtur Hessio, qui in Varr. LL. I., p. 37. locum distinguit: *Nec impune: C. Marius* etc. et in secunda commentatione p. 22. hanc divisionem tutatus est auctoritate edd. Spir. Puteol. Viteberg. Verum de his libris vir doctus egregie fallitur. Nam quod in edd. Spir. et Puteol. invenit: *nec impune .C. Marius*, punctum illud ante *C* non est distinguendi nota, sed more veterum librorum compendio praenominis praeponitur. cf. not. ad An. 12, 27. Ceterum nemini persuadebit de veritate opinionis suae. Nam id nunc agit Tacitus, ut cladium et damnorum admoneat, quas Romani a Germanis, non quas Germani a Romanis acceperint. Quod C. Marius, divus Iulius, Drusus, Nero, Germanicus Germanos perculerunt, non erat dicendum; sed quod non impune cum illa gente pugnavere, nunc narratur.

C. Caesaris ... versae. cf. Sueton. Cal. c. 43. sqq. Dio 59, 21. sqq. Tac. Hist. 4, 15.

inde otium. Neque tamen prorsus quiescebant arma contra Germanos. cf. Sueton. Claud. c. 24. Dio 60, 8. sqq. Tac. An. 11, 18. sqq. 12, 29. sq. 13, 53. sqq. — Pro *inde* MS. Stuttg. in contextu habet *tum*, in margine *inde.*

discordiae nostrae. Post Neronis caedem exortae.

expugnatis legionum hibernis. Hist. 4, 15.

etiam Gallias. Ed. Paris. *et Gallias.*

pulsi inde proximis. Alii *inde* trahunt ad *proximis* (MS. Tur. edd. Spir. Puteol. Monac. Vienn. Be-

XXXVIII. Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Cattorum Tencterorumve, gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere: sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur: in aliis gentibus seu cognatione aliqua Suevorum seu (quod saepe

roald. Alc. Rhen. [1519.] Bipont. Seebod. Passov. Hess. alii); alii rectius coniungunt *pulsi inde* (Rhenan. [1533.] Ald. Lips. sqq. et nuper Bekker. Walch. alii). Nam si Tacitus voluisset *inde* coniungi cum *proximis*, haud dubie verba collocasset in hunc modum: *ac rursus pulsi proximis inde temporibus* etc. cf. An. 1, 22. 52. 66. Ubi nunc positum est, *inde* cum *proximis* coniunctum novam incipit sententiam, ut cum Bipont. interpungas *ac rursus pulsi. inde proximis* etc. At tum verba *ac rursus pulsi* non solum languent, sed etiam absurda sunt.

Cap. 38. *de Suevis.* cf. Dio 51, 22. Caes. B. G. 4, 1. sqq.

Tencterorumve. Sic edd. Put. Beroald. sqq. cf. not. ad c. 32. Hic MS. Tur. *Tencaterorumve.* Ed. Spir. *Thencterorumve.* Ed. Kath. *thenecterorumve.* Ed. Paris. *Teneterorumve.* Ed. Monac. *Teuterorumve.* MS. Stuttg. *fecterorumve*, sed tamen in margine *tencterorum.*

quanquam. Ed. Norimb. *quam.*

in commune. Ed. Paris. *in communi*, ut cap. 27.: et ita ediderunt I. Fr. Gronov. (1672.) et Iac. Gronov. — MS. Stuttg. pro *in commune* exhibet *universi.*

obliquare crinem. MS. Hummel. *obligare crinem.* Wagnero in Seebod. Bibl. crit. 1823. p. 798. *obliquare crinem* nihil aliud videtur esse, quam crines circumcirca ex omni parte capitis ita colligere, ut in vertice coeant atque in nodum substringantur, ex quo penduli et circumfusi crines staturae speciem altiorem, habitum terribiliorem reddant. subscribo equidem. Consentit et Ricklefsius, qui germanice dixit: *das Haar aufschrägen.* Hessius interpretatur: torquere et nectere, ut ex ipsis nodus fiat. Walchius: *das Haar aufringeln.* Ceterum vid. locum Iuvenal. laudatum ad c. 4. et Senec. de ira 3, 26. *coactus in nodum apud Germanos crinis.*

ingenui. MS. Stuttg. *ingenui.* (supra: *nobiles*)

separantur, in aliis etc. Vulgo interpungunt: *separantur. In aliis* etc. At vocabulum *rarum* in appositione est: etenim *rarum* in aliis gentibus est obliquare crinem nodoque substringere, et ita invicem distinguuntur. Ceterum edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. Melanth. Lips. Gruter. vocabulo auctiores sunt, dum ferunt: *separantur. Sic in aliis* etc., quod vitium malae interpunctioni originem debet. Pichena illud *sic* delevit auctoritate veterum librorum.

quod saepe accidit. Sic MSS. Tur. Arundel. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Rom. Vienn. Monac. Beroald. sqq. — *quod accidit* (omisso *saepe*) MS. Vatic. 1518. edd. I. Fr. Gronov. et

accidit) imitatione rarum et intra iuventae spatium: apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso solo vertice

Iac. Gronov., et potest sane *quod accidit* esse pro *quod accidere solet*. cf. Sueton. Oct. c. 78. *ut evenit*.

horrentem capillum retro sequuntur. MS. Tur. edd. Spir. Kath. pro *sequuntur* peoferunt *secuntur*. — Edd. Viteb. Melanth. malunt *retro secernunt*. Sed vulgatam scripturam ceteri libri tuentur. Iam vero mire vexant locum viri docti, ut explicent vel emendent. At emendatione quidem non esse opus video, neque sententia loci adeo tecta. *Sequi* exprimit studium, quo quis ducitur ad aliquam rem, vel quo quis adfectat cupitque aliquam rem. cf. Sueton. Oct. c. 86. *genus eloquendi secutus est elegans et temperatum*. Caes. B. C. 1, 1. *sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur*. Plin. ep. 8, 18. *sequi matrimonium divitis senis*. Ovid. Met. 7, 21. *video meliora proboque, deteriora sequor*. Tacit. Germ. c. 5. *argentum magis quam aurum sequuntur*. Iam *horrentem capillum retro sequuntur* etc. est: eam capillorum rationem, qua horrent retro, sequuntur usque ad canitiem (*sie bleiben bei dem rückwärts gesträubten Haare bis ins graue Alter*). Verbum *sequi* exquisitum est ob vocabula *usque ad canitiem*. In formula *horrentem capillum retro* nihil est insolitum, nisi quod ordo verborum pertinet ad poetarum dicendi genus, a quo Tacitus minime abhorret. Diversam loci explicationem protulit Orellius. „Capillum retro sequi" ait „dictum est e solita Taciti breviloquentia ac poetica fere audacia pro vulgatiori capillum promittere, non ita tamen, ut recta descendat, sed ut retro in verticem flectatur. Inversa igitur ea metaphora, quae inest in verbo: promittere barbam vel crines, capillum nunquam detonsum et semper crescentem, vel, ut ita dixerim, progredientem *sequi*, usque eo quoad crescat, dicere ausus est." Cuius interpretationis sanitas et veritas videtur satis dubia esse. Placet tamen Hessio in notis ad h. l. et in Varr. LL. I., p. 38., item Heidekampo in scriptione scholastica. p. 10. Minus etiam speciosa est interpretatio, quam vir doctus proposuit in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 212. Is *retro sequi* accipit *von dem mühsamen Aufsuchen und Zusammensuchen der einzelnen Haare, um sie hinauf zu streichen*. Wernsdorf. in schedis MStis apud Hess. Varr. LL. II., p. 23. *sequi* interpretatur „manu persequi, stringere, flectere. cf. Calpurn. Ecl. II., 85. sq. *quotiens mollissima tango ora manu primique sequor vestigia floris nescius*." Alii emendandis verbis latinis operam dederunt. Marcilius: *capillum, retrorsum ac saepe*. Scaliger: *capillum retrosequus, ac*, quae a Walchio video edita, suadentibus Freinshemio, Conringio, Bredovio, Vossio in Etymol. L. L. 461., Gesnero in Thesaur. (voc. *retrosecus*) et Barkero ad h. l. Seebodius: *retro serunt*, quod probat Passovius. Bipontini: *retro comantur*. Dilthejus: *horrens capillus retro vertitur* vel *retro flectitur*. Sprengel. et vir doctus in Ephem. lit. Ien. 1818. mense Aug. *ultro sequuntur*. Schlüterus cum alio ibid. mense Nov. *retrorsum torquent*. Graevius in Dictat. apud Hess. Varr. LL. II., p. 23. *retro secus*, i. e. circa occiput alii in nodum vinciunt capillum. Longum est singula haec examinare atque iudicare. Sit igitur iudicium penes lectorem.

in ipso solo vertice. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. Stuttg.

ligant. principes et ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxiae. Neque enim ut ament amenturve: in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis, ornantur.

edd. Kath. Put. M. et V. Vienn. Monac. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. et nuper Passov. Hess. Walch. alii. — *in ipso vertice* MS. Vatic. 2964. et ed. Bipont. — *in solo vertice* MSS. Vatic. 1862. Longol. edd. Norimb. Rom. Oberlin. Seebod. Bekker. alii. — *solo in vertice* ed. Paris. Uti libri ita et interpretes in diversas abeunt partes. Alii alterutrum vel *ipso* vel *solo* redundare censent: alii rectius pleniorem scripturam defendunt, interpretatione non satisfaciunt. Si quid recte video, *ipse vertex* opponitur ei capitis parti, quae est prope verticem, h. e. pone verticem: *solus vertex* opponitur toti capiti. Ita Tacit. de Orat. c. 5. *ipsum solum apud vos arguam.* cf. Cic. in Verr. Act. 1, 2. Graeci eodem modo coniungunt: *αὐτὸς μόνος.* Vocabulum *saepe* indicat modum a vulgari diversum, ut ita, cum vulgo crines omnes undique pone verticem obliquare ibique nodo substringere solerent, quidam (non solum senes, sed etiam alii) videantur capillum in solo vertice collegisse ipsoque in vertice ligasse, libere vagantibus reliquis crinibus retroque horrentibus. Alii *solo* accipiunt eo significatu, quo est *öde*, *leer*, *wüst.* cf. Tibull. 1, 2, 72. 4, 13, 12. Virgil. Georg. 4, 465. Sed cur Tacitus ita ambiguitati operam dederit, et cur non dixerit *calvo*, vix perspicio.

ligant. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rhag. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) et nuper Passov. Hess. Walch. alii. — *religatur* MSS. Vaticc. 2964. et 1862. Longol. edd. Norimb. Rom. — *religant* MS. Hummel. edd. Paris. Alc. (in margine) Rhen. (1533.) Ald. sqq. et nuper Ernest. Longol. Bipont. Oberl. Bekker. alii. Parum refert, quid inde eligas. Nam *ligare comas* dixit Lucan. 3, 280.; *ligati crines* sunt apud Tibull. 2, 6, 67.; *religare comas* Horat. Od. 1, 5, 4. 2, 11, 24. et alibi. Nec respuit locus formam *religatur.* Sequimur libros, quibus plurimum auctoritatis tribuendum est.

ornatiorem. Ed. Norimb. *hornatiorem.* Freinshemius volebat *ornatorem*, quod exstat in cod. Hummel.

innoxiae. Sic libri veteres omnes, et nuper Passov. Hess. alii. — *innoxia* edd. Bipont. Oberlin. Bekker. Walch. alii e coniectura Mureti et Acidalii. At in sequentibus *neque enim ut* etc. non innoxia cura, sed innoxia forma describitur. Certe non iusta erat causa mutandi.

in altitudinem quandam et terrorem. cf. not. ad An. 2, 6. sub vv. *augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem.* Ante locum: *in altitudinem* etc., ut saepe, omittitur *sed.* — Pro *et terrorem* in cod. Hummel. scriptum est *ut* (*e* superscript) *terrorem.*

ornantur. Sic MS. Tur. (et fortasse tres Vaticc.: nam Broterius de iis ita tacet, ut videantur consentire) edd. Spir. Kath. Put. Beroald. sqq. — *armantur* MSS. Longol. Vatic. 1862. Stuttg. (superscriptum est *ornantur*) edd. Norimb. Paris. Rom. — *armentur* MS. Bamberg. probante Lipsio. Sed intellige: *neque enim ut ament amenturve* (ornantur; sed) *in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti* (h. e. dum comuntur. cf. Ramshorn. Gr. §. 171. p. 455. not, 1.) *ut hostium oculis ornantur.* Pro *compti* I. Fr. Gro-

XXXIX. Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum Semnones memorant. fides antiquitatis religione firmatur. stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant

novius frustra volebat *comati:* inconsultius id vocabulum Ernestius pro spurio habebat supervacaneumque iudicabat. Immo necessario adest, ut plenius sententia enuntietur atque in sua momenta distinguatur. Bipontini totum locum constituunt sic: *ea cura formae (sed innoxia: neque enim, ut ament amenturve, sed adituri bella) in altitudinem quandam et terrorem compti, ut hostium oculis ornentur.*

Cap. 39. *Vetustissimos se.* Pro *se* MS. Hummel. habet *seu.*

Semnones. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Paris. Beroald. Alciat. Rhenan. sqq. cf. An. 2, 45. Straboni audiunt Σέμνωνες, Ptolemaeo Σέμνονες. — *Semones* ed. Norimb. — *Senones* edd. Put. M. et V. Monac. Vienn. Sed hi sunt populus Galliae. cf. Caes. B. G. 5, 54.

fides antiquitatis. Sic cap. 37. *tam magni exitus fidem.* — In MS. Hummel. exhibetur: *antiqui-* ^{e} *tatis* ^{is} *religione.*

stato tempore. Sic MS. Stuttgart. (in margine; sed in contextu *estivo*) edd. Norimb. Rom. Alc. (in margine) Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *statuto tempore* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) Melanth. Pervulgaris est utriusque participii permutatio. Sed cf. not. ad An. 12, 13.

auguriis patrum. Edd. Norimb. et Rom. *patrium.* Observarunt interpretes versum esse hexametrum in verbis: *auguriis . . . sacram.* Est sane: neque tamen propterea cum Ernestio et Koenigio (in Programm. Misen. 1821. p. 9.) pro insititiis habuerim. Facile potuerunt versus excidere ei stilo, quo Tacitus scripsit. Prope enim ad poetarum scribendi genus accedit. Ne id quidem concedo, quod plerique censent, Tacito locum alicuius poetae, dum haec scriberet, obversatum esse. Immo in homine multa auctorum lectione erudito talium formularum et locutionum ea copia est, ut scribat, quae sunt aliorum locis similia neque tamen inde hausta. Primus hexametrum hunc odoratus est G. Falkenburgius remque cum Lipsio communicavit. Ceterum contra Longolium id adiicio, *auguriis* pro consecratione poni non frustra putasse Ernestium. cf. Cic. in Vatin. c. 10. *in illo augurato templo ac loco.*

sacram. Edd. Norimb. et Rom. *sacrum.* Ed. Vienn. *sacra.*

omnes eiusdem sanguinis populi. Sic MS. Tur. (non *omnis,* ut rettulit Hessius) edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. Ita et MSS. Vaticc. 1518. et 4498., si fides habenda silentio Broterii. — *omnes eiusdemque sanguinis populi* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. edd. Norimb. Rom. — *omnis eiusdem sanguinis populi* MS. Hummel. (est enim *oīs;* sed in margine *noīs*) edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Vienn. Ber. Alc. Rhen. (1519.) — *omnis eiusdemque s. p.* ed. Paris. — *nominis eiusdemque sanguinis p.* MS. Arundel. — *nominibusque* (in margine *omnis*) etc. MS. Stuttg.

coeunt. Sic codd. MSS. Longol. Stuttg. (et haud dubie alii, de quibus tacent) edd. Paris. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *cohaerent* (sive *coherent*) MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Rhag. Beroald. Alc. (in margine *coeunt*) Rhenan. (1519.).

barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia. nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum. per humum evolvuntur: eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis; ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

horrenda. MSS. Longol. Vatic. 2964. ed. Norimb. *horrentia.* Ed. Rom. *brotentia.*

primordia. Ernestius ad h. l. „*Primordia* dixit, ut initia, *μυστήρια*."

prolapsus est. Sic MSS. Stuttg. Hummel. edd. Paris. (haec vitiose *prolapuss est*) Norimb. Ber. Alc. Rhen. (1519. et 1533.) Ald. sqq. et nuper Bekker. Walch. alii. — *prolapsus* (sine *est*) MS.Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. et inter recentiores Passov. Hess. alii. Verum commode adest illud *est* et saepenumero id verbum ob compendium *ē* excidit in libris.

per humum. Ed. Put. V. *per humanum*, vitio typographico.

evolvuntur. Orellius bene animadvertit id verbum hic usurpare potestatem medii. Sic *advolvi* An. 1, 13. 52. 6, 49. 15, 71. Hist. 4, 81. Vulgo interpretantur: *man wälzt sie hinaus.*

adiicit. Sic edd. Paris. Alciat. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *adicit* ed. Norimb., vetere scriptura. cf. An. 15, 55. *adiicere constantiam.* — *adducit* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. (non *aducit*, ut prodidit Passovius) Monac. Vienn. Beroald. Rhen. (1519.). — *aditur* MS. Stuttg., neque tamen sine punctis censoriis. — Idem liber exhibet *autem* pro *auctoritatem*, sed hoc est in margine. Edd. Put. V. Vienn. Beroald. Rhen. (1519.) *auctorem*, vitio typographico.

habitantur. Sic libri veteres excepto codice Stuttg., in quo legitur *habitatur*, et ita edd. Rhenan. (1533.) sqq. ad Pichenam, qui restituit *habitantur.* Bipontini satis ingeniose correxerunt *habitantium*, quod retinuere Oberlin. Bekker. alii. — Ernestius coniecit *habitant* vel *centum pagi habitantur.* Illud in locum receperunt Seebod. Passov. Hess. Walch. alii. — Broterius volebat: *centum pagi iis habitantur*, quod Ernestio durius videbatur. Sed emendatione non opus est. Semnones centum pagis habitantur: in hac locutione Semnones non sunt homines, sed metonymice dicuntur pro Semnonum civitate, ut ita Semnones quasi sint spatium, quod occupatur a centum pagis. Quare Hackius recte videtur revocasse veterem scripturam. De locutione cf. Hist. 5, 7. *campi quos ferunt magnis urbibus habitatos.*

magnoque corpore. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 1862. Tur. Stuttg. itemque editiones veteres et recentiores. cf. An. 13, 27. *corpus Germaniae.* Hist. 1, 15. *corpus imperii;* 4, 64. *corpus nomenque Germaniae.* Iustin. 5, 10. — *magnoque tempore* MSS. Vaticc. 2964. et 4493. cod. Stuttg. (in margine). — In MS. Hummel. contextu legitur *magnoque tempore*, sed in marg. ab eadem manu scriptum est: *al. corpore, numero.*

XL. Contra Langobardos paucitas nobilitat. plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Angli et Varini et Eudoses et Suardones et Nuithones fluminibus aut silvis mu-

Cap. 40. *Contra Langobardos paucitas nobilitat.* De scriptura *Langob.* vid. not. ad An. 11, 17. et Pertzius: *Italien. Reise.* p. 223. Codd. MSS. veteres, quibus continentur leges Langobardicae, consentiunt in *Langob.*, ut vocabulum derivetur a Germanico *lang.* Mox in eius locum successit *Longob.* a latino *longum.* Hic *Langob.* edd. Beroald. Alciat. Rhenan. Ald. Micyll. Pichen. Gruter. sqq. — *Longob.* MSS. Vaticc. 1518. et 4498. — *Largob.* MSS. Vaticc.
n
1862. et 2964. — *largob.* MS. Stuttgart. Accusativum *Langobardos* (vel *Longobardos*) tenent MSS. Vaticc. Farnes. Stuttg. edd. Norimb. Rom. Lips. sqq. Ante Lipsium edebatur *Langobardis paucitas nobilitasque*, *quod plurimis* etc., quae exstant in edd. Rhenan. Ald. Micyll. — *L. paucitas*, *nobilitas: quod pl.* etc. ed. Ald. — *L. paucitas nobilitasque: plurimis* etc. edd. Put. M. et V. Vienn. Rhag. Beroald. — *L. paucitas nobilitas: plurimis* etc. MSS. Tur. Longol. edd. Spir. Kath. Paris. — Nimirum postquam forma *nobilitat*, quae exstat in MSS. Farnes. Hummel., abierat in *nobilitas*, mira loci confusio exorta est. Edd. Norimb. Rom. retinent *Langobardos*, quanquam pergunt *paucitas nobilitas.* Ed. Monac. *Longobardis paucis nobilitasque.* MS. Stuttg.
n itas t
largobardos pauca nobilitas.

— *Quod* ante *plurimis* duravit ab editione Alciati usque ad Ernestium, a quo deletum est ob consensum veterum librorum. Restituerunt Passov. Hess. Walch. alii, quia egregie inserviat transitioni. Sed eadem sententia vel sine *quod* et elegantius prodit.

proeliis et periclitando. *Ἐν διὰ δυοῖν*, i. q. proeliis periclitando. cf. Roth. p. 54. Edd. Paris. et Norimb. pro *et* ferunt *ac.*

Reudigni. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. Stuttgart. (ibi
v
Rendigni) edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. Beroald. sqq. — *Veudigni* MSS. Vatic. 2964. Longol. ed. Norimb. — *Veusdigni* MS. Vatic. 1862. — Cluverius coniiciebat *Deuringi.*

Angli. Sic edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. Graecis audiunt *Ἄγγειλοι* vel *Ἄγγιλοι.* — *Anglii* MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. sqq. ad Rhenanum et nuper Passov. Hess. alii. — Rhenani emendationem retinuerunt Bekker. Walch. alii. Quia Broterius de duobus Vaticanis tacet, sumendum est illos consentire in *Angli.*

Suardones. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. sqq. — *Suarines* MSS. Vaticc. 1518. 1862. et 4498. (a MS. Vatic. 2964. id vocabulum abest) Longol. edd. Norimb. Rom. — *suarines seu suardones* MS. Stuttg. Utram scripturam pro vera habeas, ambiguum est, et nimis sterilis talium rerum disquisitio. Ed. Paris. *Suarmes*, quod patrocinatur scripturae *Suarines.*

Nuithones. MS. Vatic. 1862. *Niuthones*, levi errore. MSS. Hummel. et Stuttgart. *Vuithones.* Ed. Paris. *Nuithmes.*

niuntur. nec quidquam notabile in singulis, nisi quód in commune Hertham, id est, Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum. attingere uni sacerdoti concessum. is adesse penetrali deam intelligit vectamque bubus feminis multá cum veneratione prosequitur. laeti tunc dies, festa loca, quaecunque adventu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma sumunt: clausum omne ferrum: pax et

Hertham. MSS. Vatic. Tur. Hummel. Longol. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Norimb. Monac. Rom. Vienn. Beroald. Alciat. Rhenan. (1519.) *Nerthum.* Inde Rhenanus (anno 1533.) fecit *Herthum* (ita est in margine edd. Rhenan. [1519.] et Alciat.). Rhenani emendationem retinuerunt Ald. sqq. ad Oberlinum, qui edidit *Hertham.* Inter recentiores Passov. Hess. Dilthej. aliique restituerunt *Nerthum;* Hackius servavit *Herthum;* Bekker. Walch. al. malunt *Hertham.* Vix quidquam certi de vera scriptura definiri potest.

in insula Oceani. Quam alii putant Rugiam, ubi luculenta supersunt antiquae religionis vestigia (cf. Zoellner. Itiner. Pomer. p. 250.; Gagern. Hist. Nat. Germ. p. 57.), alii Helgolandiam, alii Monam, alii alias.

castum nemus. Edd. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) *Castrum nemus.* Ed. Rom. omittit *nemus,* Ed. Norimb. duplicat id vocabulum. Cluverius volebat *sacrum* pro *castum;* Freinshemius et Conringius *vastam.* Sed Horat. Od. 1, 12, 60. *tu parum castis inimica mittes fulmina lucis.* Nimirum *casta placent superis* Tibull. 2, 1, 13.

dicatumque. Edd. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. Lips. omittunt *que,* quod Pichena restituit ex veteribus libris.

in eo. Sic edd. Paris. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *in ea* MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. (1519.).

veste. H. e. tegmine, stragula. Ed. Spir. *vestę.* Ed. Put. M. *vestae.*

uni sacerdoti. Edd. Paris. Melanth. *uni sacerdotum.*

concessum. MS. Stuttg. *con-*
ce
missum seu concessum.
..

penetrali. Intellige vehiculum veste contectum.

bubus. Edd. Vienn. Monac. Put. V. Rhen. (1519.) Viteb. *bobus;* MS. Hummel. *duobus bobus*, priore tamen vocabulo inducto.

multa cum veneratione. MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.) Viteb. Melanth. omittunt *cum*, quod abesse posse nemo dubitabit. Sed cf. An. 1, 4. *multo cum fletu;* ibid. c. 49. *plurimis cum lacrimis.*

quaecunque. MS. Longol. *quemcunque adventum.* Ed. Norimb. *quemcunque adventu.* Ed. Rom. *quemcunque;* utrum *adventum* an *adventu*, Oberlinus reticuit, fortasse quia exhibet vulgatum *adventu.*

quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum et vestes et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.

XLI. Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. Propior (ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus

tunc tantum nota, tunc tantum amata. Sic MSS. Vaticc. 4498. Stuttgart. edd. Norimb. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *tunc tantum nota, item tantum amata* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.). — *nunc tantum nota, item tantum amata* MS. Vatic. 1518. A MS. Vatic. 2964. absunt verba *tunc tantum nota.*

templo. cf. not. ad c. 9. sub vv. *nec cohibere parietibus deos.*

et vestes. Ed. Monac. omittit *et.* — Mox eadem *ipse* pro *ipsum.*

servi. Ed. Norimb. *Suevi.*

terror. Ed. Rhenan. (1519.) *error.*

quid sit illud. Sic edd. Paris. Norimb. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et nuper Longol. Passov. Bekker. Walch. alii. — *quid sit id* MSS. Tur. Stuttgart. edd. Spir. Kath. Vienn. et nuper Broter. Bipont. Seebod. Hess. alii. — *quid si id* edd. Put. M. et V. Monac. Beroald. Rhen. (1519.). — De MSS. Vaticc. Broterius tacet, dum probat editque *id.*

Cap. 41. *Et haec quidem.* MS. Stuttg. *sed haec quidem.* *et*

Suevorum. Sic edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *verborum* MSS. Stuttg. Hummel. edd. Spir. (haec *ωbo♃*) Kath. Norimb. Nimirum *b* et *v* saepissime in veteribus libris permutantur, quare e *Sueborum* forte per compendium ab initio scripto facillime potuit fieri *verborum.* Et multifariam veteres libri peccant in scribendo isto vocabulo. cf. not. ad Hist. 1, 2. Germ. c. 2. E corrupta scriptura alii emendationis causa fecerunt *Nervorum,* quod exstat in MS. Tur. Alii id vocabulum omiserunt, ut edd. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald.

propior. Hoc abest ab ed. Monac. — *propero* MS. Tur. — *prior* MS. Hummel.

ut quomodo . . . . sequar. Passov. Hess. aliique non satis recte uncos aboleverunt: restituerunt Bekker. Walch. alii. Non video quo tandem iure hic locus Wilhelmo (*Germanien.* p. 210.) suspectus videri potuerit. Pro *quomodo* ed. Vienn. habet *quom,* quod ortum e compendio scripturae. Ed. Paris. *quoquo modo.*

Hermundurorum. Edd. Put. M. et V. Beroald. *Hermunduorum.* cf. not. ad An. 12, 29.

eoque solis Germanorum. MS. Tur. *eaque sola.* Ed. Monac. *eosque solis.* Ed. Paris. *eoque soli.*

non . . . sed. Longolius haec accepit pro: *non tam . . . quam po-*

atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia. passim et sine custode transeunt: et cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclutum et notum olim: nunc tantum auditur.

XLII. Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque atque ipsa etiam sedes, pulsis olim

tius; Passovius pro *non solum* ... *sed etiam.* Tu accipe pro *non* ... *sed.* Nimirum ceteris Germanis commercium cum Romanis substitit in ripa: non ita Hermunduris, qui non subsistunt in ripa, sed penitus provinciam Romanam intrant.

atque in. MS. Tur. *ac in.*

colonia. Intell. Augusta Vindelicorum. cf. Orellius in Symb. crit. p. 32. Negat vir doctus in Seebod. Bibl. crit. 1824. p. 214. neque tamen additis argumentis, quae idoneam habeant vim negandi. Hermunduros et ultra coloniam illam progressos hic locus minime abnuit.

et sine custode. Edd. Norimb. Paris. Rom. Alc. Rhenan. (1533.) sqq. ad Pichenam omittunt *et.* Restituit Pichena, consentientibus MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.). De re cf. Hist. 4, 64. *vel quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus.*

et cum. Ed. Monac. *ut cum.*

ostendamus. MS. Tur. *commendamus.*

patefecimus. Ed. Paris. *patefacimus.* Sed perfectum hic est pro eo aoristo, qui indicat rem factam et iam fieri solitam. cf. Ramshorn. Gr. §. 164. p. 401. 6. b.

in Hermunduris Albis oritur. Utrum Hermunduri usque ad verum Albis fontem pertinuerint, an Tacitus Muldam vel Egeram vel Moldaviam pro initio Albis habuerit, incertum est viris doctis. cf. Wilhelm. *Germanien.* p. 76. 205.; Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 214. Satis tamen fidei Tacito accedit ex An. 2, 63. et 12, 29. 30. cf. Dilthej. ad h. l. Mannert. Geogr. T. III. p. 197. 419.

Cap. 42. *Narisci.* Sic cum Tacito Capitolinus in Marc. Aurel. c. 22. Contra Ptolemaeo 2, 11. iidem audiunt *Οὐαριστοί;* Dioni 71, 21. p. 810. B. *Ναρισταί.*

ac deinde. MS. Tur. *et deinde.*

Marcomani. Sic MS. Tur. edd. Norimb. Monac. Vienn. Paris. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Ernestium, et deinde edd. Passov. Hess. Walch, aliorumque. Consentit inscriptio apud Gruter. p. 108. nr. 8. et Ptolemaeus. — *Marcomanni* edd. Ernest. Brotier. sqq. et nuper Bekkerus. — *Marconiani* edd. Spir. Kath. Put. M. et V., vulgari vitio. — *Marchomanni* MS. Stuttgart. Apud Dionem nunc sunt *Μαρκομάννοι*, nunc *Μαρκομάνοι.* cf. not. ad An. 2, 46. Quum *Germani* scribantur, puto eodem iure scribi *Marcomanos.*

Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio porrigitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. Sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana.

Boiis. Edd. Spir. Put. M. et V. Norimb. Paris. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. (1519.) *Bois.* Sed cf. not. ad c. 28. cf. G. Th. Rudhart, *über den Unterschied zwischen Kelten und Germanen*, (Erlang. 1826.) p. 90. sqq.

porrigitur. Sic edd. Paris. et nuper Walch. suadente Hessio in Varr. LL. I., p. 42. Idem iam Lipsius divinaverat. — *pergitur* edd. Put. M. et V. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Micyll. Pichen. Bernegg. sqq. et nuper Hackius. — *peragitur* MSS. Tur. Bamberg. Stuttgart. Longol. edd. Spir. Kath. Norimberg. Rom. Monac. Passov. Hess. alii. — *protegitur* edd. Bipont. Oberl. Bekker. e coniectura. — *praetexitur* edd. Lips. Gruter. (non Rhenan., uti rettulit Passovius). Bredovius coniecit *praetenditur*; Hessius *peragratur*; Heinsius *perrigatur* vel *tergitur*. Qui admittunt *peragitur*, varie explicant. Passovio ad *peragitur* intelligitur *iter*, ut sententia sit: Danubii tractum sequenti haec Germaniae quasi frons est. Provocat ad usum Graecorum, qui eandem ellipsim admittunt in verbis τελεῖν et ἀνύειν. Sed apud Romanos in verbo *peragere* ea ellipsis est inaudita. Dilthejo ad verbum *peragitur* intelligitur *frons* (*soweit die Vorderseite Germaniens durch die Donau vollendet wird*). Sed ea frons non est opus, quod peragi dici potest: igitur Tacito non satis digna est locutio. Hessius verbo *peragere* tribuit notionem *peragrandi* (*soweit Germanien von der Donau durchwandert — durchlaufen wird*). Utinam exemplis docuisset *terram aliquam peragere* eo sensu dici. Vir dictus in Ephem. lit. Ien. 1818. mense Novembr. per hypallagen explicat: *quatenus Danubius agitur per Germaniam.* Mira sane hypallage. Alii viro docto in Seebod. Bibl. crit. 1825. p. 215. *frons* est limes, qui ut c. 29. *agitur*, hic *peragatur* (*Dies ist die vordere Grenze Germaniens, soweit sie durch die Donau gezogen ist*). At *frons* multum differt a limite, nec alterum apte pro altero dici potest. Nullo modo autem verbum *peragitur* vocabulo *frontis* convenit. Iam vero *porrigitur* in se habet omnia quae locus poscit. Est verbum de tali re Tacito usitatissimum. cf. An. 1, 64. *porrigebatur planities*; 2, 56. *gens ... penitus ad Medos porrigitur*; 13, 38. *pars in planitiem porrigebatur.* Supra c. 41. *porrigitur pars Suevorum in secretiora Germaniae.* Ovid. Metam. 4, 526. *scopulus frontem porrigit in aequor.* Dativus *Danubio* ut saepissime apud Nostrum ponitur pro *ad* vel *in* cum accus. cf. not. ad An. 1, 19. sub v. *pectori.*

Quadisque. Sic MSS. Tur. Stuttgart. edd. Norimb. Rom. Pichen. Bernegg. sqq. — *Quadisve* edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. sqq. ad Pichenam. cf. Gernhard ad Cic. Senect. p. 110.

manserunt. MS. Hummel. edd. Norimb. Vienn. *mansere.*

Tudri. Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. sqq. — *Trudi* MSS. Vatic. 2964. Longol. edd. Norimberg. Rom. Aliunde de hoc genere nihil innotuit.

externos. cf. An. 2, 62. et 63.

raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.

XLIII. Retro Marsigni, Gotini, Osi, Burii terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. e quibus Marsigni et Burii sermone cultuque Suevos referunt. Gotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos, et quod tributa patiuntur.

raro armis ... iuvantur. Exemplum est apud Xiphil. 67, 5., ubi Chariomerus rex Cheruscorum, cum a Domitiano auxilia petisset: συμμαχίας μὲν οὐκ ἔτυχε, χρήματα δὲ ἔλαβε.

nec minus valent. Edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. sqq. haec verba trahunt ad sequentia atque hanc usurpant interpunctionem: *iuvantur. Nec minus valent retro Marsigni ... Burii. terga Marcomanorum ... claudunt. e quibus* etc. Sed quia Gotini Osique mox dicuntur tributa pati a Sarmatis et Quadis imposita, vix dici poterant iidem non minus valere quam Quadi. Quare Lallemandus loco medebatur deleta particula *nec*. Lenior et aptior est medicina, quam Passovius auctore Mannerto (Geogr. T. III. p. 476.), ex editione Viennensi attulit, verba *nec minus valent* ad priorem locum retrahendo: quam dividendi rationem Hessius (Varr. LL. II., p. 26.) confirmavit auctoritate codicis Stuttgart. Iam Passovius locum explicuit ita: „Accipiebant pecuniam a Romanis reges Marcomanorum et Quadorum, nec ideo minus valebant, ac si nihil tulissent: non enim tanquam pauperiores a divitibus accipiebant, sed victores a victis reportabant." Sed pace viri doctissimi nihil sani in hac interpretatione video. Pecuniam accipiunt, nec minus valent, quam si nihil accepissent — est sententia, qua vix inanius quidquam inveniri potest. Et postquam regibus illis vim et potentiam ex auctoritate Romana esse Tacitus dixit, vix potuit adiungere illam sententiam, quam imputat Passovius. Immo intellige: nec minus valent, quam si armis nostris adiuti forent. Ita demum omnia apte cohaerent. cf. Selling. observv. crit. in Tacit. Germ. p. 27. Ceterum veram esse editionis Viennensis distinctionem, arguunt et sequentia, quae satis inconcinna sunt ex aliorum librorum interpunctione. Nam puncto posito ante *terga* sequens *e quibus* non apte referri potest ad verba remotioris loci. Si recte Tacitum novi, ille scripsisset: *Nec minus validi retro Marsigni ... Burii terga* etc.

Cap. 43. *Gotini.* Sic MS. Hummel. edd. Norimb. Rom. Vienn. — *Gothini* edd. Spir. Kath. Put. Paris. Beroald. sqq. — *Bothini* ed. Monac. — Mox MS. Stuttgart. *Gottinis.* Quia An. 2, 62. scribitur *Gotones,* praetuli etiam *Gotinos.*

Burii. Sic edd. Spir. Put. Ber. sqq. — *Buri* MSS. Stuttg. Hummel. edd. Paris. Norimb. Rom. Vienn. Ptolemaeo dicuntur *Βοῦροι*, Dioni *Βοῦῤῥοι*. Sed Reimarus locum 71, 18., ubi erant *Βοῦροι*, correxit e loco 68, 8. Igitur vix dubitandum erit verum esse *Buri.*

Pannonica. Ed. Paris. *Pannonia.*

et quod. Ed. Monac male omittit *et*, quod necessario additur, quia altera iam additur ratio.

partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt. ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. prae-

Sarmatae. Sic edd. Puteol. sqq. — *Sermatae* MS. Tur. — *Sarmathę* edd. Spir. et Kath. cf. not. ad Hist. 1, 2., et alibi.

quo magis ... effodiunt. Etenim ferro potuissent uti ad arma fabricanda, quibus se a tributis liberarent. Longolius cum Brissonio perperam locum accipiebant, quasi ad ferrum effodiendum damnati illi fuissent a populis dominantibus.

omnesque. Ed. Norimb. *omnisque.*

hi populi. Ed. Paris. *his populi.* — Mox vocabulum *montium* teste Orellio in MS. Tur. non deest, uti prodiderant Ernest. Broter. aliique: deest vero post *continuum.*

iugumque. MS. Arundel. *iugaque.*

Lygiorum. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. cf. not. ad An. 12, 29. — *Legiorum* MSS. Tur. Stuttg. Vaticc. 1862. et 2964. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Norimb. Rom. Vienn. Sed sub finem capitis iidem libri ferunt *Lygios*; MS. Stuttgart. *lugros.* (supra: *ligyos*) — *legionum* ed. Monac. — *Leugiorum* MS. Vatic. 1518. — *Vegiorum* MS. Vatic. 4498.

Arios. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. sqq. — *Harios* MSS. Vaticc. Hummel. Stuttg. edd. Norimb. Paris. Rom.

Helveconas. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Puteol. Paris. Beroald. sqq. — *Eluheconas* MS. Vatic. 1518. — *Helvetonas* MS. Vatic. 1862. et ed. Norimb. — *Helvectonas* MS. Vatic. 2964. — *Helvectoras* MS. Vatic. 4498. — *Helvecanas* MS. Stuttg. — Plinio audiunt *Hilleviones*, Ptolemaeo *Αἰλουαίωνες.*

Manimos. Sic MSS. Vaticc. omnes, Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alciat. sqq. — *Mamimos* ed. Paris. — *Mammos* MS. Stuttg. et ed. Norimb. — *Lanimos* MS. Hummel.

Elysios. Sic edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. sqq. — *Elisios* MS. Tur. — *Helisios* (supra: *heliosuas*) MS. Stuttg. ed. Norimb. — *helisios* MS. Hummel., sed in margine *hahiosuae.* — *Helysios* MSS. Vaticc. tres et ed. Paris. — *Aliscoskas* MS. Vatic. 2964.

Nahanarvalos. Sic MSS. Vaticc. tres, Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Monac. Norimb. Vienn. et inter recentiores Passov. Hess. aliaeque. — *Naharvalos* MS. Vatic. 2964. edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. et nuper Bekker. Walch. alii. — Mox MS. Vatic. 1518. *apud Nacharvalos.* Edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. *apud Naharvalos.* — MS. Stuttgart. priore loco *nahawernalos*, posteriore loco *apud naharwernalos.*

religionis. Edd. Paris. et Norimb. *regionis.*

sidet sacerdos muliebri ornatu: sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. ea vis numini: nomen Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium. ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora. atras ad proelia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum adspectum. nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gotones regnantur paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab

Romana. Edd. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. *Romani.* Pichena restituit *Romana.*

ea vis numini etc. Sic MSS. Hummel. Stuttgart. edd. Norimb. Rom. Ernest. sqq. — *eius numinis nomen Alcis* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *ei numini nomen Alcis* ed. Paris.

Alcis. De interpretatione vocabuli vide Hessium ad h. l. et in Varr. LL. I., p. 42. sq. Anton derivat a voce Slavonica *holcz* i. e. puer, *holczy* pueri; alii a voce Germanica *Elk, Ellen,* h. e. robur. Alii proferunt alia.

superstitionis. MS. Stuttgart. *suspicionis.*

Arii. MSS. Tur. Hummel. edd. Spir. Kath. Paris. Norimb. *alii.* Sed in margine codicis Tur. emendatur *Arii.*

enumeratos. Ed. Paris. *enumeratis.*

truces. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *trucis* MS. Tur. edd. Spir. Put. M. et V. Paris. Norimb. Monac. Vienn.

feritati. MS. Hummel. *trucis insitae feritatis.*

tempore. Quia atras noctes ad proelia deligunt. Hackius male interpretatus est *durch Musse.*

Gotones. Sic edd. Bipont. Bredov. Seebod. Bekker. cf. not. ad An. 2, 62. *Guttones* Plinii (N. H. 4, 14. 37, 2.) an sint iidem, lis adhuc est sub indice. — *Gothones* vulgaris est veterum et recentiorum librorum scriptura, pro qua facit Ptolemaeus 5, 5. *Γύθωνες.*

regnantur. Sic MSS. Vatic. 4498. Stuttg. edd. Rhen. Ald. sqq. cf. not. ad Hist. 1, 16. et An. 13, 54. — *regnant* MSS. Vaticc. 1518. 1862. et 2964. Arundel. Bamb. Tur. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rom. et ceterae ante Rhen. (1533.) — Ernestius restituit *regnant,* nemine imitante. Varietas hic ut aliis locis plurimis originem traxit e compendio *regnant˜.*

adductius. Sic veteres libri MSS. et editiones ante Rhenan. (1533.), qui edidit *addictius.* Aldus vitiose *addictus.* Pichena recte restituit *adductius.* cf. Hist. 3, 7.

ceterae. MS. Tur. *exterae.*

protinus. Ed. Norimb. *protenus.*

Oceano Rugii et Lemovii: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, et erga reges obsequium.

XLIV. Suionum hinc civitates ipso in Oceano praeter viros armaque classibus valent. forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit. nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure

Lemovii. MSS. Tur. Stuttgart. edd. Kath. Paris. Norimb. *Lemonii*, vulgari confusione.

Cap. 44. *ipso in Oceano.* Sic MSS. Vaticc. 1518. et 4498. edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. ad Bipontinos et postea Oberlin. Bekker. Walch. alii, quae auctoritates sufficiunt, ut eam scripturam non e sphalmate ortam cum Passovio et Hessio putemus. — *ipsae in Oceanum* MSS. Vaticc. 1862. et 2964. Arundel. edd. Paris. Rom. — *ipso in Oceanum* MS. Stuttg. — *ipse in Oceano* MS. Tur. edd. Norimb. Vienn. — *ipsae in Oceano* MS. Hummel. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Beroald. Rhen. (1519.) Alc. et inter recentiores Bipont. Passov. Hess. alii. At quaero, si *ipsae in Oceano*, quaenam earum res fuerint extra Oceanum? Nam *ipsae* in tali contextu opponuntur rebus suis. Immo Rugii et Lemovii proximi erant ab Oceano: Suionum civitates *ipso in Oceano.* Nihil certius est. cf. Hist. 2. 43. *in ipso flumine.* Germ. c. 45. *inter vada atque in ipso litore.* Sphalma ortum est e compendio, quo plerumque vocabulum *ipse* scribi solet.

viros. MS. Stuttgart. *vires*, vulgari confusione. cf. not. ad Agr. c. 14.

utrimque. Sic edd. Lipsii posteriores, Pich. Grut. sqq. — *utrinque* MS. Tur. edd. ante Lipsium et Lipsii prima. cf. Schneider. Gr. T. I. Part. 1. p. 312. — MS. Stuttg. fert *utriusque*; ed. Rhag. *utrumque.* De re cf. An. 2, 6. Hist. 3, 47.

ministrant. Sic suasore Lipsio edd. Bipont. Oberl. Bekker. Walch. aliae. — *ministrantur* codd. MSS. et edd. veteres quantum constat omnes, et inter recentiores Longol. Seebod. Passov. Hess. alii. Sunt sane similes apud Nostrum transitus a forma passiva ad activam. cf. c. 45. *perfertur .... accipiunt.* Vid. not. ad An. 1, 3. sub v. *destinare.* Sed hoc loco particulae *nec ... nec* utrumque membrum artius coniungunt, quam ut vetus scriptura possit tolerari. Editio Spirensis punctum ponit post *ministrantur.* Ed. Monac. omittit *nec* ante *remos.* — De locutione *velis ministrare* cf. Virgil. Aen. 6, 302. *ipse ratem vento subigit velisque ministrat.* Valer. Flacc. 3, 38. *ipse ratem vento stellisque ministrat.*

hinc vel illinc. Ed. Norimb. *hinc vel hinc.* Sed cf. An. 2, 6. et Hist. 3, 47., ubi de eadem re eadem est formula *hinc vel illinc.*

est apud illos et opibus honos. Bleterius volebat: *est et apud illos* etc. Verum Tacitus hos opponit ceteris Germanis. cf. c. 5.

non precario iure parendi. H. e.

parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode et quidem servo: quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosa porro armatorum manus facile lasciviunt. enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

XLV. Trans Suionas aliud mare pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet: sonum insuper audiri

non precario iure, quo parentur. cf. Ramshorn. Gr. §. 169. 2) not. 1. p. 442. et Passov. ad h. l. Nimirum gerundium utitur ratione substantivi induitque pro loco activum vel passivum significatum. [Sed videsis, quae ex Reisigii scholis grammaticis petita contra hanc plurimorum vv. dd. sententiam protulit Kritzius in Ephem. scholast. 1830. II. nr. 112.]

in promiscuo. Sic edd. Paris. Norimb. Beroald. Alciat. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *neque promiscuo* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. De aliis libris silentium est.

subitos. Edit. Viteb. *subditos.*

otiosa porro armatorum manus. Sic veteres libri quantum constat omnes. De MSS. Vaticc. Broterius tacet. *Otiosae* primum legitur in adnotatione Coleri huic loco adscripta, verum non emendationis causa. *Otiosae* tamen in locum receptum est in editt. Amstelod. (1734.) Ernest. Brot. Lallemand. Oberlin. Bekker. aliis. — *Otiosa* restituerunt Passov. Hess. Walch. alii. Sed male ponunt virgulam post *manus*, quod Hessium poenituit in Varr. LL. l., p. 43. Teubertus locum rectius sine virgula exhibuit. Nam *manus* ut collectivum e Taciti consuetudine cum verbo plur. num. coniungitur.

ingenuum. Ed. Put. V. vitiose *ingenium.*

ne libertinum quidem. Ed. Monac. *nec libertinum quidem.*

regia utilitas. Heinsius frustra *regiae utilitatis.*

Cap. 45. *mare pigrum ac prope immotum.* cf. Agr. c. 10. *sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent* etc.

cludique. Sic edd. Paris. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et nuper Passov. Hess. Bekker. Walch. aliae. — *claudique* MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhenan. (1519.) et nuper Oberlinus cum aliis. cf. not. ad c. 34. et Hist. 1, 33.

extremus cadentis. Ed. Norimb. corrupte *extranius catientis.*

in ortus edurat. MSS. Stuttg. Hummel. *in ortu se durat.*

sidera. Ed. Monac. *sidero.*

hebetet. Ed. Put. V. *habet.* MS. Stuttg. *habet „ebetet et*

sonum insuper audiri. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Rhag. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.) Bipont. Oberl. Passov. Hess. Bekker. Walch. al. — *sonum insuper emergentis audiri* MSS. Stuttgart. Hummel. (addito *et* ante *sonum*) edd. Paris. Norimb. Rom. Alc. Rhen. (1533.) sqq. et nuper Hackii. — Broterius de codd. Vaticc. mire tacet,

formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adiicit. illuc usque et fama vera tantum natura. Ergo iam

ediditque *emergentis*. Lipsius volebat *se mergentis*; Colerus *immergentis*. De re cf. Iuvenal. Sat. 14, 280. *audiet Herculeo stridentem gurgite solem*. Strabo 3., p. 138. Valer. Flacc. 2, 36. Stat. Silv. 2, 7, 26. *Zimmermann, die Erde und ihre Bewohner, Th.* 3. p. 12 sqq.

formasque deorum. Sic MSS. Stuttg. Hummel. edd. Paris. Norimb. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. et nuper Bekker. al. De MSS. Vaticc. Broterius ita tacet, ut copula videatur inesse. — *formas deorum* MS. Tur. edd. Spir. Kath. edd. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.) et inter recentiores Passov. Hess. (quem huius scripturae poenituit in Varr. LL. I., p. 44.) Walch. alii. Iam quorum deorum formae sint intelligendae, varie disputant viri docti. Kirchmaierus putat Tacito spectra et daemonum apparitiones designari. Alii cogitant de Neptuno ceterisque deis marinis solem excipientibus. Bipontini e loco Plinii N. H. 2, 3. Nostro lucem adferri putant, aut haec esse referenda ad auroram borealem. cf. De Pauw, Recherches sur les Américains, I. sect. 2. Emmerlingius de solo Phoebo totum locum accipit. Longolio formae deorum sunt astra seu corpora coelestia. cf. Ovid. Met. 1, 73. Quae cuncta cum trepident, alii maluerunt coniectando contextum emendare. Colerus: *formasque equorum*. Consentiunt Conringius, Tanaq. Faber, Broterius, Dureau de Lamalle et V. D. in Ephem. lit. Ien. 1818. m. Aug. Heinsius: *formaeque decorum* vel *decorem*. Quaerunt nodum in scirpo. De Phoebo esse sermonem satis arguunt radii capitis. Sed modestior est illa persuasio, quam ut audacius adfirmet Phoebum ibi aspici: cautius in universum dicit aspici *formas* (*Gestalten*) non naturales, sed ita miras, ut nequeant non esse deorum formae (*Göttergestalten*). Quis erit? Scilicet Romana interpretatione Phoebus cum equis suis Oceano se immergens et emergens. Igitur *formas deorum* accipe dictum pro *formas divinas*.

illuc usque et fama vera tantum natura. Locus mire vexatus et difficillimus interpretibus visus. Plerique depravatum arbitrantur. Quare Pichena divinabat: *illuc usque est fama: verum tantum tradita exponam*. Colerus: *illuc usque et fama. verum tantum natura arguit. Iam dextro* etc. Vossius e libro MSto: *illuc usque, ut fama, non tamen natura*. Grotius: *illuc usque, si fama vera, tantum natura*. Heinsius cumulum emendationum effudit, quas repetere non vacat. Bipontini: *illuc usque it fama: vera tantum natura*. Walchius edidit: *illuc usque, ut fama, vera tantum natura*. Ingram apud Barkerum ad h. l.: *huc usque (est fama tantum) natura*, vel: *huc usque, sit fama vera tantum, natura*. Alii cum Rhenano interpunctione locum sanari posse credunt sic: *illuc usque, et fama vera, tantum natura*; vel cum Lipsio: *illuc usque (et fama vera) tantum natura*. Frustra omnes. Tacitus *famam* opponit certis auctoribus (cf. not. ad Hist. 2, 60. sub vv. *creditum fama*): nam fama pleraque feruntur, quae carent certis auctoribus, et ubi verae cognitionis finis est, fama non cessat, sed multa adiicit incerto auctore. Quare Noster dicit: *illuc usque et famâ vera tantum natura*. Particula *et* ut saepissime interponitur, ut exprimat nostrum *auch*. cf. not. ad An. 1, 4. sub vv. *aegro et corpore*. Iam sententia loci est: ultra illum terminum ne fama quidem de aliqua rerum natura quidquam tulit: est igitur finis ibi rerum, quantum scimus non solum certis auctoribus sed etiam fama.

dextro Suevici maris litore Aestyorum gentes adluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. insigne superstitionis, formas aprorum gestant. id pro armis omniumque tutela: securum deae cultorem etiam inter hostes praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborant. Sed et mare scrutan-

dextro. Ed. Vienn. *dextero*, quam formam Tacitus non amat. cf. An. 1, 35. 51. 61. 64. et alibi.

Suevici. Ed. Norimb. *Saevici.* Ed. Paris. *Suici.*

Aestyorum. Sic edd. Norimb. Rom. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et nuper Bredov. Passov. Bekker. Walch. aliique. — *Aestiorum* MSS. Vaticc. omnes, edd. Broter. Seebod. — *Aestuorum* ed. Hessii. cf. Schneider. Gr. T. I. Part. 1. p. 46. et Grotefend. Gr. T. II. §. 174. Nimirum *i*, *y*, *u* plerumque permutantur, ut in *Silla*, *Sylla*, *Sulla*; *Siria*, *Syria*, *Suria*. — *Aestorum* MS. Stuttg. — *effluorum* MS. Tur. edd. Kath. Micyll. (in marg. *Aestyorum*) Melanth. — *efluorum* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Rhenan. (1519.) Alc. (in marg. *estyorum*). — *Eflorum* ed. Monac. — *efflorum* ed. Vienn. Verum superest etymon in vocabulo *Esthen*, quod quomodo Tacitus in formam latinam converterit nemo certo adfirmabit. Scribendum erat *Esthorum*, et ita fortasse Noster scripsit. Quod Tacitus de linguae Esthorum similitudine dicit, vix poterit dubitationem adferre: nam quis utriusque populi linguam ex illa aetate novit?

propior. Ed. Put. V. *proprior*, e mendo. Eadem confusio est Hist. 3, 65. 5, 2. et saepius.

Matrem deum. Sic MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *Matrem deam* edd. Put. M. et V. Monac. Beroald. Rhen. (1519.). — *Martem deum* edd. Paris. Vienn.

formas aprorum. Passovius cogitat de signis, quorum mentio fit c. 7. et Hist. 4, 22. Contra illum Dilthejus recte animadvertit intelligendas potius formas e metallo vel ligno vel alia materia confectas, quas singuli amuletorum loco gestarent. cf. Wilhelm, *Germanien*, p. 346. Veram esse Diltheji sententiam contextus loci satis arguit.

omniumque tutela. Sic edd. Spir. Kath. Put. M. et V. (utraque *tutella*) Rhag. sqq. ad Ernestium et nuper Passov. Hess. alii. — *omnique tutela* MS. Tur. edd. Ernest. Lallemand. Brot. Oberl. Bipont. Bekker. Walch. Seebod. Weikert. al. Hoc ortum videtur ex ingenio eorum, qui non concoquerent *omnium*, sive compendium scripturae *oĩmque* id pepererit. Ne tamen *omnium tutelam* cum Passovio accipias de tutela non singulorum militum, sed integrarum cohortium (etenim cogitat ille de signis militaribus): immo *omnium* est genitivus obiecti, quem iterum Noster usurpat c. 46. *ferarum imbriumque suffugium.* cf. Ramshorn. Gr. §. 103. Igitur *omnium tutela* est *Schutz vor allem*, in quam sententiam nuper incidit etiam Selling. obss. in T. Germ. p. 28. sq.; non *allgemeine Schutzwehr*, uti videtur Woltmanno.

deae. Ed. Vienn. *dei.* Nimirum is liber antea exhibet *Martem deum.*

hostes. Edd. Paris. Norimb. Vienn. *hostis*, haud male.

frumenta . . . laborant. H. e. patientius tolerant laborem, quem

tur ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quae natura quaeve ratio gignit, ut barbaris, quaesitum compertumve. diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur pretiumque mirantes accipiunt. succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur. Fecundiora igitur ne-

pariunt frumenta. cf. Liv. 22, 27. *virgas ac secures dictatoris tremere*, h. e. experiri tremorem, quem iniiciunt virgae ac secures. *laborare* transitivo hoc significatu legitur apud Quint. 12, 6, 5. Stat. Theb. 3, 279, quos ll. adfert Spalding ad Q. 3, 3, 6.

quod ipsi. Edd. Paris. Vienn. *quod ipse*. MS. Stuttg. *quibus ipsi*.

Glesum. Plin. N. H. 37, 2. habet *Glessum*, et hoc loco idem ed. Alciat.

in ipso litore. Ed. Paris. omittit *in*. MS. Stuttg. *in proprio littore*.

gignit. Sic MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhen. (1519.) Alc. et nuper Hessius. — *gignat* MS. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. Hessius indicativum bene defendit exemplis Cic. de Off. 1, 7. *qui studiose exquirunt, unde verba sunt ducta*. Id. de N. D. 2, 7. *animum . . . si quis quaerat, unde habemus*. Verum ne putes utrumque modum esse promiscuum. *Gignit* si legis, tum scriptor scit et pro certo statuit naturam rationemque esse, quae gignat, sed barbaris illam non quaeri contendit: estque haec vera huius loci ratio. Sin scribis *gignat*, tum verba nexu causali cohaerent cum verbo *quaesitum*, dictaque sunt e quaestione barbarorum. — Ceterum in cod. Hummel. scriptum est *neque natura* pro *Nec quae nat.*, *arboris* pro *arborum esse*, *volucra* pro *volucria*.

compertumve. diu etc. In MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Rhenan. (1519.) Alc. incisio facta est post *diu*, non absurde: verum aptior loci distinctio videtur, quam Rhenanus (1533.) instituit.

eiectamenta. MS. Stuttgart. *eiectamenta*
eructamenta.

dedit nomen. Ed. Paris. *dabat nomen*.

nullo. Edd. Spir. Kath. *ullo*.

perfertur. Sic tres codd. MSS. Vaticc. Tur. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. sqq. — *profertur* MSS. Vatic. 2964. Stuttg. edd. Norimb. Rom. — *porfertur* ed. Paris., e mendo. — Quae varietas e compendio scripturae orta frequens est in veteribus libris. *Perfertur* verum est. cf. An. 1, 23. et 26. *perferre mandata*. Hist. 2, 59. *perlatumque et paludamento opertum* (filium Vitellii).

implicata. Sic codd. MSS. Vaticc. omnes aliique, edd. Spir. Kath. Put. sqq. et deinde Ernest. Broter. sqq. — *implicita* edd. Bernegg. Gronov. (1672.) Ryck. Iac. Gronov. Sed cf. An. 4, 53. *morbo corporis implicata*. Sunt qui discrimen significatus alteri formae non satis recte statuant. cf. Hess. Varr. L. II., p. 27.

cluduntur. MS. Tur. *claudantur*. cf. not. ab initio huius cap.

fecundiora. Ed. Monac. *facundiora*, vulgari confusione.

igitur. Ed. Norimb. *ergo*.

mora lucosque sicut orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita occidentis insulis terrisque inesse crediderim: quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa litora exundant. si naturam succini admoto igne tentes, in modum tedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem: mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant.

tura. Sic edd. Spir. Kath. Norimb. et nuper Passov. Hess. Walch. aliaeque. — *thura* MS. Tur. edd. Put. M. et V. Paris. Beroald. sqq. et nuper Bekkerus cum aliis. cf. Schneider. Gr. T. I. Part. 1. p. 200.

balsamaque. MS. Stuttg. *balsama quoque.*

radiis. Edd. Paris. Norimb. *radius.*

liquentia. Sic MS. Stuttg. edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *liquantia* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. Viteb. — *liquontia* ed. Rhen. (1519.).

labuntur .... exundant. Ernestius malebat *labantur ... exundent.* Sed haec verba non ita nexu causali cum praecedentibus cohaerent, ut debeant coniunctivo exhiberi. Etenim *quae* ad *nemora lucosque* referre, uti solent interpretes, absurdum est, quia nemora et luci in proximum mare labi ac vi tempestatum in adversa litora exundare dici nequeunt. Est potius hiatus sententiae, eaque supplenda e sensu verborum praecedentium. Nempe fecundiora nemora lucosque, sicut orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita occidentis insulis terrisque inesse dum Noster scribit, idem intelligit e nemoribus lucisque occidentis etiam sudari quaedam, eaque dicit vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labi etc. In Hummel. libro inverso ordine scriptum est *labuntur mare.*

succini. Ed. Spir. *succin*, e mendo.

igni. Sic edd. Norimb. Vienn. Paris. et nuper Passov. Walch. — *igne* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Beroald. sqq. Sed utraque forma Tacitus promiscue utitur. cf. An. 12, 58. 64. 14, 23. et 30. 16, 6. Pro altera forma cf. An. 3, 72. 6, 45. Hist. 2, 3. 5, 7. 5, 13.

tedae. Sic edd. Spir. Paris. Lips. Pich. Gruter. sqq. et nuper Bekker. aliorumque. — *taedae* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et nuper Passov. Hess. Walch. al.

et olentem. Ed. Monac. omittit copulam.

resinamve. Sic MS. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Beroald. Alc. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. — *resi-ve namque* MS. Hummel. — *resinamque* MS. Tur. edd. Monac. Rhenan. (1519.) Viteb. — *rasinamque* ed. Kath. — *rascinamque* edd. Spir. Put. M. et V. — *restinamque* ed. Vienn. De confusione particularum *ve* et *que* cf. not. ad An. 2, 17. 3, 57. 15, 22. 31. Hist. 2, 38.

continuantur. Ed. Vienn. *continuant.*

differunt. Cod. Hummel. *differuntur.*

cetera similes uno. MS. Stuttg. *cetera similes esse uno.*

sed etiam. Ed. Paris. *sed et.*

XLVI. Hic Sueviae finis. Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito: quanquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt: sordes omnium ac torpor procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur.

Cap. 46. *finis.* Sic MS. Hummel. edd. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *fines* MSS. Tur. Stuttg. edd. Spir. Kath. Paris. Norimb. Rom. et nuper Passov. Hess. Walch. alii. Apud Bekkerum mansit *finis.* Recte. cf. An. 16, 15. *apud finem Ligurum. Fines* sunt *das Gebiet.* cf. An. 1, 60. Hist. 1, 8. 24. 53. 4, 64. et alibi.

Peucinorum. Ed. Paris. *Peuccinorum;* infra *Peuccini* et dein *Peu-*
peucinorum
cinos. MS. Stuttg. *Prutinorum,* et sic bis infra. MS. Hummel. *Peucurorum*, in marg. *al. Peucini.*

Venedorumque. Sic edd. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. cf. Plin. N. H. 4, 13. et Ptolem. 3, 6., qui auctores eandem retinent vocabuli scripturam. — *Venetorumque* codd. MSS. et edd. ante Rhenanum, nuper Passovius, Hess. aliique. Sed *Veneti* diversi sunt (cf. An. 11, 23.), nec libri certi sunt testes in eiusmodi varietate.

Fennorum. Sic MSS. Tur. Stuttg. edd. Paris. Norimb. Rom. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et ita mox *Fennos* et *Fennis.* — *Femiorum ... Fennos ... Fennis* edd. Spir. Kath. Put. M. et Ven. — Et ita plerique veterum librorum in sequentibus ad Fennos redeunt, ut ita pervulgari illa litterarum *mi* et *nn* confusione varietatem exortam facile intelligas.

Bastarnas. MS. Tur. edd. Spir. Kath. *Bastranas.* Ceteri libri consentiunt in *Bastarnas.* cf. not. ad An. 2, 65. — Pro *quidam* MS. Hummel. *quidem.*

sordes omnium ac torpor procerum connubiis mixtis nonnihil in S. habitum foedantur. Ita sine distinctione locum legunt MS. Tur. edd. Spir. Kath. — Puteolanus punctum posuit ante *non nihil.* Ita et ed. Paris. — Ed. Beroald. *agunt: sordes omnium ac torpor procerum connubiis mixtis: nonnihil* etc. — Edd. Rhen. (1519.) et Alc. *agunt, sordes omnium ac torpor procerum connubiis mixtis, nonnihil* etc. — Edd. Rhen. (1533.) Ald. *agunt. sordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis nonnihil in S. habitum foedatur.* Ita et Micyll., nisi quod retinuit *foedantur.* — Ed. Lips. 1574. *agunt, sordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis nonnihil in S. habitum foedatur.* Edd. Lipsii posteriores: *agunt. sordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis, nonnihil in S. habitum foedantur.* Ita et edd. Pich. Gruter. sqq. Eandem rationem tuentur Bekkerus, Hackius, Sellingius (in Observv. cr. in Agr. c. 3.) et Hessius (in Varr. LL. 1., p. 46.), nisi quod comma tollunt ante *nonnihil.* — *agunt. sordes omnium ac torpor procerum: connubiis mixtis, nonnihil in S. habitum foedantur* edd. Bip. Oberl. Passov. Hess. (utraque sine commate) aliaeque. — Alii emendatione loco consulendum censuerunt. Rhenanus volebat: *Sordes omnium ac torpor. Ceterum connubiis mixtis, nonnihil in S. habitum foedantur.* Sprengelius et Walchius ediderunt: *Sordes omnium, ac torpor corporum: connubiis mixtis nonnihil in S. habitum foedantur.* At vox *procerum* ab eiusmodi insidiis satis tuta est. Nam *proceres* hic aperte opponuntur *omnibus*, ut hi significent omnem gentem, illi eiusdem gentis principes. Iam vero

Venedi multum ex moribus traxerunt. nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum usu ac pernicitate gaudent: quae omnia diversa Sar-

mira Taciti in dicendo brevitas obtinuit, ut nemo mentem scriptoris intelligeret. Dicit autem sordes omnium ac torporem procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedari, h. e. sordidam esse omnem Peucinorum gentem, torpentes proceres, iisque sordibus, ei torpori accedere aliam foeditatem ex habitu Sarmatarum, ex quo connubiis mixtis nonnihil contraxerint. Addit haec, ut emendet quae ante dixerat: *ut Germani agunt.* Scilicet: *ut Germani agunt*, nisi quod *sordes omnium* etc. Gaudet Noster audacioribus eiusmodi locutionibus. — Ceterum pro *mixtis* ed. Spir. fert *mistis.* cf. not. ad Agr. c. 4. Edd. Norimb. Rom. *mistos.* MS. Hummel. *mixtos.* — Pro *omnium* ed. Norimb. habet *omniumque.* — Pro *foedantur* Crusius in Probab. cr. p. 33. coniiciebat *foederantur*, nemine adplaudente.

domos figunt. Sic edd. Lips. (inde ab anno 1574.) Pich. Gruter. sqq. ad Ernestium, qui revocavit *fingunt* e libris MSS. et ante Lipsium editis. Sed primum *fingere domos* nemo facile ita absolute dixerit pro *struere*, *aedificare domos ex luto.* Tum, quod maius est, Venedi in hac re opponuntur Sarmatis *in plaustro viventibus*, h. e. fixas sedes non habentibus. Redeo igitur ad verissimam Lipsii emendationem, nec quidquam curo veteres libros, inter quos sunt, qui simili prorsus errore peccant An. 13, 54. in verbis: *iamque fixerant domos.*

pedum usu. De hoc loco doctissimi viri nostrae aetatis in diversas partes sentiunt. *peditum usu* codd. MSS. Vaticc. 2964. et 4498. Tur. Stuttg. aliique, edd. Spir. Kath. Put. M. et V. sqq. ad Lipsium, et inter recentiores Ernest. Passov. Hess. alii. — *pedum usu* edd. Lips. Pich. Gruter. sqq. ad Ernestium, et postea edd. Lallemand. Broter. Bip. Oberl. Seebod. Bekker. Walch. al. — *pecudum usu* MS. Vatic. 1862. et ed. Parisiensis. Et *pecudes* quidem silentio transibimus. Sed quaeritur, utrum spretis veteribus libris Lipsii emendationem recte amplectamur necne. Passovius pro vetere scriptura pugnans ad h. l. scribit: „*Domos* Germanorum opponit *plaustris* Sarmatarum, *pedites* et *scuta*, peditum arma, *equis*, quibus Sarmatae per bella utebantur. v. Hist. 1, 79. An. 12, 29. Gagernii Hist. nat. German. p. 33. Germanorum praecipuum robur penes peditem fuisse, ipse narrat Tacitus c. 6. cf. Iul. Caes. B. G, 1, 48.; nec quicquam difficultatis inest verbis: *peditum usu et pernicitate gaudent: gaudere* enim et *delectari* de talibus rebus frequentatur, quae in universum magni facimus. v. Germ. c. 15. Wopkens. Lectt. Tullian. 2, 15. p. 112. Iis vero, qui in plaustro equoque vivunt, non tam pedum, quam peditum usus et velocitas abiudicatur." Cui respondeo in toto loco non esse sermonem de re militari, sed de omni vivendi ratione Venedorum. Quare aliena hinc videtur *peditum* mentio. Iis autem, qui in plaustro equoque vivunt, pedes sane non abiudicantur, at pedum usus haud dubie. Aptius igitur *pedum usus* quam *peditum* opponitur illorum vivendi rationi. Denique *peditum usu* et propterea vix dici poterant *gaudere*, quia ipsi sunt pedites. Immo *pedum usu* gaudent, h. e. amant esse pedites. — Sit veteribus libris fides atque auctoritas sua, ubi idonea et meliora

matis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque venatus viros pariter ac feminas alit. passim enim comitantur partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera iam

suppeditant: sed caveamus, ne superstitione quadam veterem scripturam contemptis ingeniorum donis ubique praeferamus. *Scutorum* vocabulum potuit fraudi esse, ut *pedum* mutaretur in *peditum*.

sola in sagittis spes. Sic MSS. Tur. Stuttgart. edd. Norimb. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. et nuper Bekker. cum aliis. — *solae in sagittis spes* edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Paris. Beroald. Rhenan. (1519.) et nuper Passov. Hess. Walch. alii. — De MSS. Vaticc. Broterius ita tacet, ut videatur inesse *sola*, idemque silentium est de aliis codicibus. Potuit igitur mendum ex edit. Spir. transire in sequentes editiones. Ceterum pluralis numerus nihil hic efficit, et incommodus est ob sequens *quas*. Certe nemo nostrum haec ita scriberet.

pariter ac. Sic edd. Paris. Norimb. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *pariter et* MS. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Monac. Vienn. Beroald. Alc. Utraque dicendi formula bona est.

contegantur. Ed. Ald. *contegatur*, e mendo typographico.

huc. Ed. Norimb. *nunc.*

sed beatius. Sic MSS. Vaticc. omnes, Tur. Stuttg. edd. ante Rhenanum et nuper Ernest. sqq., nisi quod Lünemannus et Walchius maluerunt *id beatius* cum edd. Rhen. Ald. sqq. Aptissime tamen verba: *nec aliud . . . . sed . . .* sese excipiunt. Nam si *non aliud*, putabas hoc tristius illis visum: *sed beatius arbitrantur* etc.

inlaborare. Ed. Monac. *elaborare.*

suas alienasque fortunas spe metuque versare. Fortunas alienas intellige pecuniam fenori ab aliis sumptam.

ut illis. Sic MSS. Tur. Stuttg. edd. Kath. Paris. Norimb. Alc. Rhen. (1533.) Ald. sqq. — *in illis* edd. Spir. Put. M. et V. Monac. Beroald. Rhen. (1519.). Nimirum ed. Spir. interpungit: *assecuti sunt in illis. ne voto* etc.; edd. Puteol. aliaeque: *assecuti sunt: in illis ne voto* etc. De MSS. Vaticc. Broterius ita tacet, ut videatur inesse *ut illis.*

opus esset. Sic MSS. Vaticc. omnes, Tur. Stuttg. et edd. ante Rhenanum, qui ex ingenio dedit *opus sit*, idque sequentes editores retinuerunt usque ad Ernestium. Is restituit *esset*, quia praecedit perfectum *adsecuti sunt.* At haec non erat idonea ratio. Verbum ponitur in optativo, quia Tacitus non narrat *voto illis non opus esse*, ut rem in facto positam: sed dicit hoc e sua cogitatione. Nos: *daſs sie auch nicht einmal das Bedürfniſs*

fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere. quod ego ut incompertum in medium relinquam.

eines Wunsches haben dürften (scilicet si quid esset optandum). Quare Lünemannus et Walchius non satis recte revocarunt *sit.* — Ceterum Rhenanus coniectabat: *ut illis ne voto quidem opus. Sed cetera* etc., non satis feliciter, ut mihi videtur.

fabulosa. cf. Gellius N. A. 9, 4. Mela 3, 6. Caes. B. G. 4, 10.

Oxionas. MSS. Vatic. 1518. et Stuttg. *Exionas.* — MSS. Vaticc. 2964. et 4498. *Etionas.*

vultusque, corpora etc. Sic edd. Paris. Vienn. Rhenan. (1533.) Ald. sqq. et nuper Passov. Bekker. Walch. alii. — *vultusque et corpora* MSS. Vaticc. 1518. 2964. et 4498. Tur. edd. Spir. Kath. Put. M. et V. Norimb. Monac. Beroald. Rhenan. (1519.) Alc. et nuper Hess. Verum *et* illud satis molestum est, quia coniungit quae invicem opponuntur.

IULII AGRICOLAE VITA.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Scribendi clarorum virorum vitam mos antiquus, 2. sub malis principibus periculosus, 3. sub Traiano in honorem Agricolae repetitus a Tacito, qui non eloquentiam, at pietatem pollicetur. 4. Agricolae stirps, educatio, studia. 5. Positis in Britannia primis castrorum rudimentis 6. uxorem ducit. fit quaestor, tribunus, praetor. recognoscendis templorum donis praefectus. 7. Othoniano bello matrem partemque patrimonii amittit. 8. In Vespasiani partes transgressus et legioni XX. in Britannia praepositus alienae famae cura promovet suam 9. Redux inter patricios adscitus Aquitaniam regit. Consul factus Tacito filiam despondet. Britanniae praeficitur.

10. Britanniae descriptio. Thule cognita. mare pigrum. 11. Britannorum origo, habitus, sacra, sermo, mores, 12. militia, regimen, rarus conventus. coelum, solum, metalla, margarita. 13. Victae gentis ingenium. Caesarum in Britanniam expeditiones. 14. Consularium legatorum res gestae. 15. Britanniae rebellio 16. Boudicea duce coepta a Suet. Paullino compressa. Huic succedunt ignavi. 17. Rem restituunt Petilius Cerialis et Iulius Frontinus; hic Silures, ille Brigantes vincit, 18. Agricola Ordovices et Monam. Totam provinciam pacat et 19. 20. moderatione, prudentia, abstinentia, aequitate in obsequio retinet 21. animosque artibus et voluptatibus mollit.

22. 23. Nova expeditio novas gentes aperit, quae praesidio firmantur. Agricolae candor in communicanda gloria. 24. Consilium de occupanda Hibernia. 25—27. Civitates trans Bodotriam sitae explorantur. Caledonii Romanos adgressi consilio ductuque Agricolae pulsi, sacrificiis conspirationem civitatum sanciunt. 28. Usipiorum cohors miro casu Britanniam circumvecta. Agricolae filius obit. 29. Bellum Britanni reparant Calgaco duce, cuius 30—32. oratio ad suos. 33. 34. Romanos quoque hortatur Agricola. 35—37. Atrox et cruentum proelium. 38. Penes Romanos victoria. Agricola Britanniam circumvehi praecipit.

39. Domitianus, fronte laetus, pectore anxius nuntium victoriae excipit. 40. Honores tamen Agricolae decerni iubet, condito odio, donec provincia decedat Agricola. Is redux modeste agit. 41. Pericu-

lum ab accusatoribus et laudatoribus. 42. Excusat se, ne provinciam sortiatur proconsul. 43. Obit non sine veneni suspicione a Domitiano dati. 44. Eius aetas, habitus, honores, opes. 45. Mortis opportunitas ante Domitiani atrocitates. 46. Questus auctoris et ex virtute solatia. Fama Agricolae ad posteros transmissa.

I. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum ne nostris quidem temporibus quanquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Clarorum virorum.* Eadem dictio Hist. 1, 3. *clarorum virorum necessitates.*

facta moresque. Hertelius ad vitam publicam *facta*, et *mores* ad vitam privatam referri iubet. Sed *facta* sunt quae quis fecit: *mores* ad animi habitum spectant.

tradere antiquitus usitatum ne etc. Ramshorn. Gr. p. 683. et Hertelius ad h. l. intelligunt: ... *tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus* (scil. omissum) *quanquam incuriosa suorum aetas omisit.* Verum elliptice dicendi genus illud ab hoc loco prorsus alienum est, nec ullum desideratur vocabulum, quod ad plenam locutionem requiratur. Ne intelligo quidem, quid illi sibi velint. Ceterum verba *nostris temporibus* minime sunt restringenda ad eum diem, quo Tacitus haec scripsit: *nostra tempora* sunt quae vidimus complectunturque omnem aetatem nostram.

incuriosa suorum. cf. An. 2, 88. extr. *dum vetera extollimus, recentium incuriosi.* Similes sententiae sunt apud Vellei. 2, 92. extr. Tacit. dial. de oratt. c. 18. *vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse;* et Horat. Od. 3, 24, 31. sqq.

aetas. Ita dicuntur homines certae cuiusdam aetatis (abstractum pro concreto), *ein Zeitgeschlecht.* Sic An. 4, 62. *omnis aetas*, h. e. omnis aetatis homines.

omisit. Aoristum hunc Graecorum more de iis, quae fieri soleant, positum Walch. ad h. l. adfirmavit. Rectius vir doctus in Ephem. lit. Halens. 1828. nr. 240. p. 227. censuit verbum *omisit* (*hat eingestellt, aufgegeben*) eadem ratione uti atque *vicit* et *supergressa est* in sequentibus. Nam Tacitus loquitur de eo quod ad suum usque diem factum est. Admitte igitur vulgarem aoristum quem dicunt historicum. Quod attinet ad rem, meministi Plinium edidisse vitam Pomponii Secundi. cf. Plin. epp. 3, 5.

quotiens. De scriptura huius vocis cf. not. ad An. 1, 25. — Beckerus et Hertelius maluerunt *quoties*, quia putant *quotiens* exortum esse e lineola vocali longae ad indicandam gravitatem adscripta, quod vix cuiquam persuadebunt. Nam terminationem *ens* in isto numeralium genere antiquam arguunt et lapides et optimi libri MSSti.

ignorantiam recti et invidiam. Selling. in Observv. in Tac. Agr. (Curiae Regn. 1826.) p. 3., et

memoratu digna pronum magisque in aperto erat: ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti homi-

Walch. ad h. l. bene docuerunt coniungenda esse *ignorantiam et invidiam recti:* nam de uno vitio Noster loquitur, non de vitiis. Si voluisset invidiam separari ab ignorantia recti, scripsisset *aut invidiam.*

pronum magisque in aperto erat. Eadem verba coniunguntur infr. c. 33. *et vota virtusque in aperto omniaque prona victoribus.* Iam *pronum* aliquid est, si res eo inclinant (*günstige Umstände und Verhältnisse*): *in aperto* res dicuntur esse duplici significatu. Ad cognoscendum in aperto sunt, quae luce illustrantur neque laborant tenebris. cf. Sallust. Iug. c. 5. *quo ad cognoscendum omnia inlustria magis magisque in aperto sint.* Ad agendum res in aperto sunt, quibus agendis est spatium et nihil obstat impedimenti. Sic An. 3, 20. *copiam pugnae in aperto facere.* Opponitur pugna, quae munimentis castelli impeditur. Et infr. c. 33. *virtus in aperto* intelligitur, quae non impeditur paludibus, montibus, fluminibus pugnam prohibentibus: *vota in aperto*, quibus nihil obstat, quo minus effectum habeant. Hist. 3, 56. *fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret.* Quare *agere memoratu digna* esse *in aperto* eodem sensu dicitur, nec debebat Walchio absurda videri sententia eorum, qui *pronum* et *magis in aperto* pro synonymis habent. cf. Steuber. in Jahnii *Jahrb.* 1830. V., 2., 1. p. 63. Peerlkamp. emendat *pronum magis atque in aperto erat* vel *pronum magis magisque in aperto erat.* Sed *magis* iuxta *pronum* inutile est, quia *pronum* per se indicat id quod magis aliquo inclinat. Ceterum impersonale illud dicendi genus, quod est in his verbis, vidimus etiam An. 13, 3. *quibus otiosum est vetera et praesentia contendere.* Hist. 4, 3. *tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere.*

sine gratia aut ambitione. H. e. non ea cupiditate, ut gratum hoc aliis esset, non cupiditate gratiae captandae, igitur non venia petita.

plerique. H. e. πολλοί, non οἱ πολλοί. cf. not. ad An. 4, 9. Dronk. ad dial. de oratt. c. 17.

suam ipsi. Peerlkamp. emendat *suam ipsum*, quod quomodo inlaesa latinitate possit accipi non intelligo, nec quid in vulgata scriptura possit displicere.

Rutilio. De hoc viro vid. not. ad An. 4, 43. — De *Scauro* Cicer. Brut. 29. de Orat. 2, 64. pro Sext. 47. Plin. N. H. 33, 6. Sallust. Iug. c. 15. et 28. Valer. Max. 4, 4, 11.

nunc. Hoc opponit res praesentes aliis diversisque rebus. cf. An. 1, 8. *nunc senem principem* etc.; ibid. c. 42. *quos pro gloria*

nis venia opus fuit: quam non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

vestra libens ad exitium efferrem, nunc procul a furentibus summoveo; ibid. c. 43. *quorum alia nunc ora, alia pectora contueor* etc. Parum recte totum locum intelligunt, qui cum Salinerio *nunc* pro *nunc demum* accipiendum contendunt.

venia opus fuit. Quae venia sit intelligenda, interpretes mire hariolantur et e longinquo petunt, quae sunt ante pedes. Nimirum nullus hic sermo est de venia (*Erlaubnifs*) ab imperatore ad edendam Agricolae vitam impetrata, neque de venia (*Nachsicht*) ob inconditam ac rudem vocem aut seram libelli editionem petenda a lectoribus, nec denique de venia apud Agricolae obtrectatores et calumniatores quaerenda. Immo *venia* hic nihil aliud est quam quod nos modestiae causa dicimus *Erlaubnifs, Entschuldigung,* ad eamque ipsam respicit excusationem, quae inest exordio huius libri. Nam ibi Tacitus provocat ad usum cum antiquitatis tum recentiorum temporum, ut excuset consilium, quod ipse nunc inierit, de scribenda vita clari viri. Tali excusatione non opus fuisset aliis temporibus. Nempe aliis temporibus omissa omni ambage Tacitus statim coepisset: *Cnaeus Iulius Agricola veteri et inlustri Foroiuliensium colonia ortus* etc., satis certus neminem esse quaesiturum: quid agis? Nunc vero post longum servitutis silentium, dum incipit clari viri facta moresque posteris tradere, dum primam vocem in tanta taciturnitate edit, dum primus exsistit virtutis damnatae laudator, novi quid videtur moliri: quare non sine praefatione, qua rationem incepti reddit et veniam quasi dicendi petit, opus adgreditur. Monet hic locus, ut caveas nimiam subtilitatem in explicandis antiquorum scriptorum verbis fugiasque calliditatem illam, quae occulta saepe artificia quaerit in simplicissimis formulis. Nam quae viri docti atque doctissimi de illa venia opinati sunt varia si quis enarrare inceperit, volumen erit.

petissem. Sic MS. Vatic. 3429. et editiones quum veteres tum recentiores. — *petiissem* MS. Vatic. 4494.

ni cursaturus. Sic edd. Put. pr. M. et V. Riv. Beroald. Alciat. Pichen. Bernegg. sqq. et nuper Dronk. Walch. Si est fides habenda silentio Broterii, idem verbum habetur in codice Vatic. 4498., de quo ille tacet, dum edit *ni cursaturus.* — *incusaturus* MS. Vatic. 3429. — *ni incursaturus* edd. Rhenan. Ald. Micyll. (in margine *cursaturus*) Lips. (cum asterisco) Gruter. — *ni incusaturus* e Lipsii coniectura edd. Bipont. Oberlin. Seebod. Becker. Bekker. Hertel. aliorum. — Accedunt item virorum doctorum coniecturae: Rhenani *incursaturus ... tempora?* — Gesneri: *ni causaturus;* — viri docti in Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 173. sqq. *ni curaturus.* Igitur patet praecipuam veterum librorum auctoritatem adesse scripturae *ni cursaturus*, quae cum Rhenano, Lipsio aliisque displicuisset, ab Ernestio ita defensa est, ut *cursare* acciperet dictum pro *decurrere* sensu allegorico. cf. Cicer. de Orat. 1, 32. Sed non video, cur confugiamus ad verbum *decurrere*, cum *cursare* ex se possit intelligi. Etenim *cursare* est verbum circense. Sic *currere stadium* Cicer. de Off. 3, 13. Et satis notum est a stadio verba plerumque transferri ad alia studia. Iam tempora sunt quasi stadium, quod curritur historiae scriptori, et uti cursor currit stadium, navis aequor (Virgil.

II. Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati es-

Aen. 3, 191. Ovid. ep. e Pont. 1, 3, 75.), ita ille currit tempora. Quare nihil inepti est in tali metaphora, idque sufficit, ut Tacito eam concedas, nisi forte displicent quaecunque sexcentis aliorum scriptorum exemplis comprobari nequeant. Si quid locútioni inhaeret audaciae, id ipsum egregie convenit loco, ut ita verborum etiam colore depingatur audacia cursandi tam saeva et infesta virtutibus tempora. Verbum frequentativum posuit non caeco frequentativorum amore, sed quia multiplex est scriptoris cursus in temporibus, quae narrat. At quaeris, quem metum saeva illa et infesta virtutibus tempora iniicere potuerint Tacito, qui scribebat feliciore aetate, ubi sentire quae vellet, et quae sentiret dicere liceret (cf. Hist. 1, 1. extr.). Sane quae Aruleno Rustico, quae Herennio Senecioni acciderant, Tacito minime metuebantur: redibat tamen horror illorum temporum saevitiam reputanti. Quare trepido quasi pede incedit viam ea saevitia prius obstructam. Circumspectat an tuto nunc possit vocem emittere. Nam *nunc demum redit animus* (cap. 3.). Timide etiam nunc petit veniam, an liceat virtutem laudare, excusatque inceptum, quo rumpitur silentium. — Scripturam *incusaturus* (omisso *ni*) tuetur vir doctus in Ephem. lit. Halens. 1828. nr. 240. p. 230., qui censet verba *incusaturus ... tempora* spectare ad Analium Historiarumque libros scribendos. Sententiam constituit non satis idoneam: *Nicht würde ich um Nachsicht gebeten haben, wollte ich als Ankläger jener Zeiten in einer Geschichte derselben auftreten.* Scilicet nunc eam veniam petit, quia Agricolae vita posita est in consiliis privatis atque aetas suorum incuriosa haud magni faciet vitam illam defuncti hominis. Rectius putabimus *incusaturus* vitio deberi satis facili. — *ni incusaturus* retinetur atque defenditur ab Hertelio in editione, a Beckero in editione et in Bibl. crit. 1829. nr. 42. sqq. et a Böttichero in adnotatione, quam Agricolae vitae germanice editae subiunxit. Lipsius coniecturae eius auctor explicationem non addiderat: quo officio inter priores functi sunt Pichena, Acidalius aliique. Sed ita opinionibus variant, ut huius loci spatium non capiat multitudinem. Alii constituunt sententiam: *quod nunc demum Agricolae vitam edo nec prius edidi, incusanda sunt saeva ... tempora*; alii incusationem temporum referunt ad inconditam ac rudem scriptoris vocem; alii alia admiscent ab hoc loco aliena. At enimvero haec est praecipua interpretis cura, ut sententiam verborum sistat contextui consentaneam. — *ni incursaturus*, Rhenani emendationem, propterea non fero, quia inest notio hostilitatis hinc aliena. cf. An. 13, 37. Hist. 3, 18.

Cap. 2. *Legimus*. Quis? Tacitus eiusdemque aetatis homines alii. Ubi? in actis diurnis. cf. Lips. excurs. A. ad An. librum quintum. De Domitiano apud Dionem 67, 11. legimus haec: *οὕτω γὰρ δὴ καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ ἐπὶ τούτῳ κατέγνω, ὥσθ' ἵνα μηδεμία μνήμη τῶν θανατουμένων ὑπολειφθῇ, ἐκώλυσε σφᾶς ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐσγραφῆναι.* Unde cognoscimus talia actis publicis inserere usitatum fuisse. De lectione actorum diurnorum cf. An. 16, 22. *Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit.* Coniicio Tacitum verbum *legimus* propterea usurpasse quod eo ipso tempore, quo illa Romae facta sunt, absens erat: nam res cadit in annum urbis 848.

sent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monimenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum: et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset,

cf. Xiphil. 67, 13. Sueton. Domit. c. 10. Plin. epp. 1, 5. 3, 11. 7, 19. Lipsius igitur pro *legimus* male substituebat *vidimus*: nec *meminimus*, quod Peerlkampius proposuit, tolerandum est.

Paetus Thrasea. MS. Vatic. 3429. *Petus Trasea.* cf. not. ad An. 13, 49.

Senecioni. Sic edd. Rhenan. sqq. cf. An. 15, 50. — *Senectioni* edd. Put. pr. M. et V. Alciat. Infra c. 45. edd. Put. pr. et M. *Senetio*, vulgari varietate.

monimenta. Sic MS. Vatic. 4498. et ed. Broter. Vulgo *monumenta.* cf. not. ad An. 3, 23. 72. 4, 7.

in comitio ac foro. Eadem vocabula coniunguntur apud Cic. pro Sext. c. 35. *Forum, comitium, curiam armatis hominibus implevissent.* Sueton. Caes. c. 10. *praeter comitium ac forum.* Nam quanquam comitium est in foro (cf. Ascon. ad Cic. pro Milon. c. 5.), ut ita, quae fiunt in comitio, simul fiant in foro, diversam tamen vocabula habent notionem adiunctam. Comitium illi combustioni addit ignominiam (nam in comitio puniri solebant nocentes. cf. Plin. epp. 4, 11. Sueton. Domitian. c. 8.); forum admonet combustionem factam publice et coram omnium oculis tanquam spectaculum. cf. not. ad An. 2, 34. sub vv. *in foro et iudicio.* Roth. in libello de synonymis p. 48. haec habet inter dicta per figuram ἓν διὰ δυοῖν, quod non omnino verum esse puto.

vocem populi. cf. An. 3, 11. *populus plus sibi in principem occultae vocis permisit.*

libertatem senatus. cf. An. 13, 49. *libertas senatoria.*

arbitrabantur. Barclajius emendabat *arbitrabatur*, intell. Domitianus. Sed tyranni non destituuntur coetu nebulonum pari caecitate praeditorum. cf. An. 4, 35. extr.

expulsis insuper etc. Tacitus per ablativos absolutos saepissime admisit sententiam, cui non inest ratio sequentium aut praecedentium. cf. Hist. 2, 51. *concedentibus ad victorem* etc. Vid. ibi not. Hist. 3, 79. extr. *non ultra Fidenas seculis victoribus.*

occurreret. Dronkius iubet intelligi *principi*, sed male. Nam *occurrere* absolute dicuntur, quae proveniunt et se ostendunt.

et sicut. Sic MS. Vatic. 3429. et edd. Lips. sqq. Idem fortasse legitur in MS. Vatic. 4498. Nam Broterius tacet de utroque, quod potest accipi pro consensu. Edd. Puteol. sqq. ante Lipsium *ut sicut*, quod defenditur in Jahnii *Jahrb.* etc. 1828. II. *Bd.*, 2. *Heft*, p. 161. sqq.

ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

III. Nunc demum redit animus: et quanquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traia-

inquisitiones. cf. infr. c. 43. Edd. Bipont. et Engel. ferunt *inquisitores* contra veterum librorum auctoritatem.

et loquendi. Lipsius malebat *etiam loquendi.* Verum *et* eadem utitur vi. cf. not. ad An. 1, 4. *aegro et corpore.* Nec debebat Hertelius huc trahere Ramshornii animadversionem de copulis *et ... que* (Gramm. p. 518.). Multum quoque abest, ut *audire* h. l. sit res minoris momenti, ut sit gravissima. Etenim non solum sermo hominum custodiebatur, sed ne audire quidem dicta in tyrannum licebat. Heinsium quoque *et* offenderat, ut emendaret *eloquendi.* Sed quid Heinsius non emendavit?

perdidissemus. H. e. eo patientiae profecti essemus, ut ne meminisse quidem auderemus, si etc. Igitur ne sollicites vocabulum *nostra* ante *potestate* cum Iacobo in Jahnii: *Jahrb.* l. l.

Cap. 3. *et quanquam.* Bipont. *animus, sed quanquam* etc. Paruerunt Engel. et Weikert. Contra Oberlinus et Dronkius docent, *et* saepius poni pro *sed.* Addit Hertelius non ubique orationem ad strictas logices regulas conformari: observationem loco parum convenientem. Nam nil hic est peccatum in logicis, nec ponitur *et* pro *sed*, minime vero pro *et tamen*, uti videtur Walchio: immo utitur genuina sua copulandi et explicandi vi. Locus cohaeret sic: *Nunc demum redit animus:* igitur nondum plene rediit. Cuius tarditatis rationem scriptor reddit in sequentibus: *et quanquam* etc. Quare per particulam explicativam, non per adversativam haec cum praecedentibus erat coniungenda. Contra Walchii commentum id etiam dicendum videtur, pessime se excipere: *et tamen quanquam .... natura tamen* etc. Böttichero tamen cum Walchio placuit: *und doch .... dennoch.*

beatissimi saeculi. Sic *tristissimum saeculum* apud Plin. epp. 10, 2. de dominatione Domitiani.

Nerva Caesar. Ex hoc nomine recte colligitur libellum hunc vivo Nerva esse editum. Nam mortuum Tacitus dixisset *divum Nervam*, ut Hist. 1, 1. *divi Nervae* et infr. c. 9. *divus Vespasianus:* et quotiens cum decore mortuorum et inter deos relatorum Caesarum nomina apud Nostrum adferuntur, epitheton *divus* non deest. Ne obiicias nomina Tiberii, Caii et Neronis, quae sine illo honore leguntur prolata: nam quis unquam illos dixit *divos?* Hist. 1, 1. legimus quidem *a Vespasiano, a Tito:* sed ibi *a divo Vespasiano, a divo Tito* ob contextum absurda essent.

felicitatem temporum. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Becker. Hertel.; Broterius mire tacet de utroque codice Vaticano. — *felicitatem imperii* edd. Put. pr. M. et V. (haec

nus nec spem modo ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit: natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et, ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo: et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium,

falicitatem) Riv. Pichen. Bernegg. sqq. Broter. Oberlin. Bekker. Lünemann. Walch. al. — *facilitatem imperii* edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips., quae scriptura originem traxit e vitio ed. Put. V. Repetiit tamen eam Ernestius obsequentibus Seebodio, Woltmanno, Dronkio aliisque. Sellingius in Observv. p. 1. sq. pro *facilitatem* adfert exempla e capp. 6 et 9.; An. 6, 15. 11, 28., nec quisquam negat *facilitatem imperii* ita dici posse, ut sit ἐπιείκεια. At si vivo Nerva haec Tacitus scripsit (cf. not. supr.), de facilitate imperii per Traianum quotidie aucta sermo tum esse nequibat. Nam ante Nervae mortem Traianus bello Germanico retentus Romam non venit. cf. Reimarus ad Dion. 68, 5, §. 38. Mera igitur adulatio scriptoris esset *facilitas* illa imperii quotidie per Traianum aucta: a quo vitio Nostrum absolvendum esse reor. *Felicitatem* vero *imperii* Traianus tum haud dubie auxit quotidie: haec enim cernitur in securitate rei publicae, oritur e bello feliciter gesto. *Imperii* tamen felicitas per T. quotidie aucta non ita huc facit quam *temporum felicitas*, h. e. quae e prospero rei publicae statu redundat in cives, securitas publica. cf. Hist. 1, 1. *rara temporum felicitate.* E compendio *tporū* ortum est *imperii.*

nec spem modo ac votum. Sc. in nummis et marmoribus. cf. Gruter. Inscriptt. p. 105. et 106. Rasche Lex. R. N. IV, 2. p. 347.

ipsius voti fiduciam ac robur. Sunt qui frustra hunc locum sollicitent. Vid. Engel. in Observv. ad h. l. et Steuber. in Bibl. crit. 1823. p. 175. Vocabula *ipsius voti* pro inepto habent additamento. At *ipsius voti fiduciam* ne intelligas fiduciam, quae voto sit: sed fiduciam te voti fore compotem (genitivus obiecti). *Robur* est firmitudo et synonymum *fiduciae. Votum* utrum sit *Wunsch* an *Gelübde*, otiosa est disquisitio: nam Latini non ita distinguunt, et in quocunque voto est id quod nos dicimus *Wunsch.*

adsumpserit. Hoc pertinet ad *fiduciam* et *robur:* ad alterum membrum *spem ac votum* ἀνάλογον intellige verbum. De quo zeugmate cf. not. ad An. 1, 35. 2, 20.

ut corpora lente augescunt. Sic edd. Put. V. Riv. Beroald. Alciat. Rhenan. Ald. sqq. et fortasse MS. Vatic. 4498., siquidem fides est habenda Broterii silentio. — *ut corpora nostra augescunt* MS. Vatic. 3429. — *ut corpora nostra lente augescunt* edd. Put. pr. et Med. — Beckerus recepit *nostra* improbantibus Hertelio et Walchio. Facile intelligis *nostra* inrepsisse pro *lente*, et scripturam Puteol. ex diversis codicibus conflatam. Lipsius in edit. 1574. adnotaverat: „addit Venetus, *corpora nostra*," quae in posterioribus edd. omisit. Scilicet falsa esse cognovit: nam ed. Put. V. non habet *nostra.*

subit. H. e. ὑπέρχεται.

multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt? Pauci et, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus: exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimo-

multi fortuitis casibus. Ita legimus ex emendatione Lipsii. — *multis fortuitis casibus* MSS. et edd. ante Lipsium. Huius correctionem deinde omnes secuti sunt praeter Dronkium. Is restituit veterem scripturam improbantibus Beckero, Hertelio, Walchio. Etenim Dronkius idoneam defensionem non addiderat; et contorta sane est sententia, si quis coniungit: *fortuitis casibus promptissimus quisque saevitia principis interciderunt.* Iam vero verba *multis fortuitis casibus* pertinent ad praecedens membrum: *grande mortalis aevi spatium,* hac sententia: spatium, in quo sunt vel esse solent multi fortuiti casus intercidendi. Nihil apud Tacitum eiusmodi ablativis est frequentius. Tum sententia totius loci constituetur haec: quid, si praeter fortuitos casus, qui per quindecim annorum spatium sunt multi, fortissimus quisque saevitia principis interciderunt. Quid sit molesti in vocabulo *multis* ante *fortuitis casibus* posito, non satis perspicio. Sed Walchius non semel talia iacit, ubi desunt iusta argumenta. Redit vero eodem Lipsii emendatio, nec queritur scriptor, quod multi fortuitis casibus interciderint, ut videtur Dronkio, sed propterea haec adfert, ut tarditatem excuset, qua novum saeculum laboret in revocandis ingeniis studiisque. De vocabulo *fortuitus* cf. not. ad Hist. 1, 4.

promptissimus quisque. cf. An. 2, 81. 4, 17. 51. 14, 7. 15, 49.

et, ut ita dixerim. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. Dein Bipontini, Oberlin. sqq. deleverunt *et* (non Broterius, ut tradidit Walchius), idemque Rhenanus in Castigationibus suaserat. MSS. et edd. ante Rhenanum: *et uti dixerim*, quod revocavit Dronkius adversantibus Beckero, Hertelio, Walchio. Usus loquendi haud dubie poscit Rhenani emendationem, et *uti* facillime potuit oriri ex *ut ĩ*, quo compendio *ita* nonnunquam scriptum est. An *uti dixerim* defendi possit e formula Graecorum ὡς εἰπεῖν, ambigo. Ceterum duo momenta distinguuntur: et quod pauci superstites sunt, et quod non modo aliorum sed sui superstites sunt. Quare male delent *et*, quae particula saepissime supervacanea est visa interpretibus. cf. not. ad An. 1, 55.; Hist. 1, 79. 2, 21. et alibi. — Addo in ed. Put. M. legi *et uti*, non *ex uti*, quod inde prodidit Walchius.

nostri superstites. Haec lucem accipiunt e sequentibus. Nam *sui superstes* dici potest, qui morti ante obnoxius deinde in vitam rediit. Mortuus autem videtur, qui per silentium vivit nec ullum vitae testimonium edit. Sic illi. Nihil igitur in hisce Taciti verbis excusandum est, et ipse audaciam dictionis excusavit verbis *ut ita dixerim.*

prioris. Ed. Gryph. (1542.) vitio operarum *prioribus.*

servitutis. Sic edd. Lips. sqq. e viri ingenio. MS. Vatic. 3429. et edd. ante Lipsium *senectutis*, quod ab hoc loco alienum est,

nium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

IV. Cnaeus Iulius Agricola veteri et inlustri Foroiuliensium colonia ortus utrumque avum procuratorem Caesarum habuit: quae equestris nobilitas est. Pater Iulii Iulius Graecinus senatorii ordinis studio eloquentiae sapientiaeque notus iisque virtutibus iram

quanquam defensorem invenit in *Athenaei* Vol. III. fasc. 2. p. 269. sqq. *Senectus* ibi viro docto videtur silens desidia, inertia (*frühere Erschlaffung*). Provocat ad Valer. Flacc. 6, 283. *quae vos tam foeda senectus corripuit.* Broterius de utroque codice Vatic. tacet: quare nescitur quid sit in Vatic. 4498.

composuisse. De tempore verbi cf. Liv. praefat. *iuvabit tamen pro virili et ipsum consuluisse.* Quintil. 1, 1, 34. *illud non poenitebit curasse.* Namque *pigebit* spectat ad tempus, ubi *memoriam .... composuerit.* Tacitum hisce verbis significare Historiarum libros edendos dubitari nequit.

Cap. 4. *quae equestris nobilitas est.* Ernestius explicat: „Quo honore equites ita splendidi nobilesque fiunt, ut senatorii ordinis homines magistratibus maioribus gerendis." Quae verba Walchio non debebant videri difficilia intellectu. Longe tamen absunt a vero, quanquam aliam prorsus sententiam fundunt, quam quae prodita est a Walchio. Tacitus simpliciter dicit procurationem esse dignitatem vel munus equestris nobilitatis, non senatoriae. Weikertus haec verba glossematis suspicione oneravit. Satis enim illius aetatis hominibus notum fuisse, quod hic doceatur. At scriptor haec non addit, ut de procuratione lectores edoceat, sed ut constet, qua nobilitate Agricolae avi fuerint, scilicet equestri, non senatoria. Sunt igitur verba accipienda ex oppositione sequentium, ubi pater dicitur senatorii ordinis.

pater Iulii Iulius Graecinus. Sic MSS. et edd. ante Lipsium, qui eiecit *Iulii.* Lipsium secuti sunt omnes praeter Dronkium, qui revocavit id vocabulum adversantibus Beckero et Hertelio, acerbiusque Walchio increpante. Sed Dronkius rectissime fecit. Nam Tacitus postquam de utroque avo, paterno et materno, dixit, iam transit ad unam Iulii familiam: quod ut scias, haud inepte addit *Iulii.* Sed quod maius est, sententia loci poscit interpositum illud *Iulii.* Nam omisso eo vocabulo scriptor dicit patrem Iulium Graecinum fuisse senatorii ordinis etc., quasi satis notum sit lectori Iulium Graecinum fuisse patrem. At Tacitus iam id ipsum dicit, patrem Iulii fuisse Iulium Graecinum, et verba sequentia *senatorii ordinis* etc. sunt in adpositione. De Iulio Graecino cf. Senec. de Benef. 2, 21. et ep. 29. Columell. 1, 1. Plin. N. H. 14, 2. 16, 44. Invenitur etiam *I. Graecinus Quin. Per.* apud Pellerin. Recueil des Med. Vol. I. p. 82. tab. 12. nr. 5. Vid. Broter. ad h. l.

iisque virtutibus. Sic MS. Vatic. 4498. (si est fides habenda Broterii silentio), editiones veteres et recentiores praeter Becker. et Hertel., qui e MS. Vatic. 3429. receperunt *iisque ipsis virtutibus*, ad-

Caii Caesaris meritus. namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adulescentiamque transegit. arcebat eum ab inlecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Graeca comitate

dito praecipuam vim esse positam in pronomine *ipsis*. Res pendet ex auctoritate librorum. Nam *ipsis* apte addi nemo infitiabitur (cf. An. 14, 55. *in ea ipsa aetate*, vid. ibi not.): potest vero etiam ea vis omitti. Dahlius vult *suisque virtutibus*, quasi eloquentia et sapientia non sint virtutes. At si *comica* est *virtus* apud Sueton. vit. Terent. c. 5., sapientia et eloquentia non minus recte inter virtutes sensu Romano referuntur.

M. Silanum. Sic edd. Lips. sqq. — *M. Sillanum* MS. Vatic. 3429. (teste Dronkio) et editiones ante Lipsium. cf. not. ad An. 2, 4. Scripturam a Lipsio receptam tuentur nummi et lapides cum optimis MSStis. De viro cf. Hist. 4, 48. Sueton. Cal. c. 12. et 23. Dio 59, 8. Philo legat. ad Caium.

et, quia abnuerat. Acidalius *et* delendum censebat, et ita orationem elegantiorem fore observavit Ernestius. Non video. Immo duo momenta distinguuntur: iussus est, et deinde, quia abnuerat, interfectus est. Similia sunt infr. c. 7. *deprehensus ac statim in partes transgressus est;* c. 9. *detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est*. An. 2, 56. *interiecti et saepius discordes sunt*, ubi vide not. An. 4, 12. *ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum.* Hist. 3, 44. *legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat.*

in huius sinu indulgentiaque. Heinsius, cum indulgentia in educatione eum offenderet, censuit legendum: *in cuius sinu diligenti cura* vel *indulgentia absque*. At *indulgentia* in bonam partem dicitur (*Güte, Huld*) et optime convenit voci *in sinu*. cf. Liv. 1, 39. *proinde materiem ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus.* Dial. de Oratt. c. 9. *indulgentiam principis ingenio mereri.* Sueton. Tib. c. 46. *una modo liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus.* Id. Vit. c. 5. *principum indulgentia.* Egregius de tali educatione locus exstat in Dial. de Oratt. c. 28.

habuerit. Sic veteres libri. Lipsius correxerat *habuerat*, quod nuper placuit Walchio. Pichena, Bernegg. sqq. praetulerunt veterem scripturam. Ernestius suadebat *haberet*. Adversantur Dronkius et Hertelius. Non enim ex sua persona aiunt Tacitum haec addidisse, sed causam, ut ab ipso Agricola proditam, esse cogitandam. Non satis recte, ut mihi videtur. Ex sua persona scriptor haud dubie loquitur. Nam ut obliqua oratione haec possent accipi dicta, ante debebat scribi: *Arcuisse eum* etc. Immo alia est grammatices ratio, et triplex particulae *quod* usus. Inducit ea causam, ob quam aliquid est aut fit, per se constantem: tum ponitur cum indicativo. cf. An. 1, 14. *Quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus praesensque erat*; ib. c. 16. *nullis novis causis, nisi quod mutatus*

et provinciali parcimonia mixtum ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima iuventa studium philosophiae acrius ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse, ni pru-

princeps licentiam turbarum .... ostendebat; ib. c. 27. *maxime infensi Cn. Lentulo, quod .. firmare Drusum credebatur.* Quae causa si pendet e sententia coniecturaque dicentium, additur coniunctivus. cf. An. 1, 19. *superbire miles, quod filius legati . . . satis ostenderet;* ib. c. 40. *quod non ad superiorem exercitum pergeret.* Inservit vero etiam eadem particula illi dicendi modo, quo subiectum peculiari orationis membro circumscribitur: atque ita *quod* iungitur cum coniunctivo; id quod videmus hoc loco: *quod statim habuerit, id arcebat.* Similia sunt An. 1, 32. *Id praecipuum indicium magni et implacabilis motus, quod pariter ardescerent, pariter silerent.* Hist. 2, 95. *laetum foedissimo cuique, apud bonos invidiae fuit, quod . . . inferias Neroni fecisset.* Quod Ernestius coniecit *haberet*, est tempus relativum nec convenit huic loco, ubi scriptor ἀορίστως loquitur. Diversa etiam est ratio plusquamperfecti. cf. Hist. 1, 53. *nec deerant in exercitu discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat* etc. Nam *quod Agricola . . . habuerat*, non *arcebat* eum etc., quasi memoria commorationis Massiliensis id effecisset: sed ipsa commoratio effecit, ut arceretur tum, quum Massiliae esset.

provinciali parcimonia. cf. An. 3, 55. *simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parcimoniam intulerunt* etc.

mixtum. Libri vulgo ferunt *mistum:* sed Tacitus constanter exhibet *mixtum.* cf. An. 6, 55. 11, 24. Hist. 1, 10. 2, 80., eaque scriptura innititur optimis codicibus MSStis et inscriptionibus. Libri varie peccant permutandis litteris *s* et *x*.

in prima iuventa. MS. Vatic. 3429. edd. Becker. Hertel. *prima in iuventa.* Sed magis placet ceterorum librorum ratio, quia hic non est alia iuventa, cui prima iuventa opponatur.

acrius ultra quam. Sic MSS. Vaticc. et veteres editiones. Lipsius, cui copula desiderabatur, coniecit *ultraque*, idque receperunt Bipontini et Engel. In ed. Lipsii prima iisque, quae deinde Lugd. Batav. prodierunt, *acrius* ut suspectum uncis circumscribitur. Nam primum ille cogitaverat de tollendo eo vocabulo. Pichena e suo ingenio edidit *ac iuris* pro *acrius*, quam emendationem retinent edd. Bernegg. Gronov. Ryck. al. Ernestius veterem scripturam restituit. Recte: nam *acrius hausisse* dicitur ut infr. c. 22. *acerbior in conviciis narrabatur*, et verba *ultra quam* etc. explicationis causa adponuntur. At studium iuris Romano ac senatori nunquam fuit non concessum. Philosophiae studium passim dominis Romanorum suspectum fuisse vidimus An. 14, 57. 16, 22. cf. Dio 66, 12., nec Cicero priore tempore ad philosophiae studium accessit nisi temporum rationem excusando. cf. Cicer. de Off. 2, 1. *vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere.* etc.

hausisse. Walchius accipit positum pro *hausurum fuisse*, ut *cogitasse* An. 4, 28. Verum est h. l.

dentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam caute adpetebat. mox mitigavit ratio et aetas: retinuitque, quod est difficillimum ex sapientia, modum.

V. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino diligenti ac moderato duci adprobavit:

ante *ni* idem sententiae hiatus, de quo saepius diximus. cf. not. ad An. 1, 35. 2, 10. 22. 45. 4, 30. 64. 6, 3. 9., et alibi. Etenim Agricola in prima iuventa iam coeperat haurire, et porro etiam hausisset, ni etc.

prudentia matris. Eadem prudentia fuit Neronis matri. cf. Sueton. Ner. c. 52. *a philosophia eum mater avertit, monens imperaturo contrariam esse.*

erectum. Sic edd. Lips. sqq. — *rectum* edd. Put. pr. M. et V. sqq. ad Lipsium. De codd. MSS. ita tacent, ut videatur inesse *erectum,* de quo vocabulo cf. not. ad An. 3, 7.

excelsae magnaeque. MS. Vatic. 3429. et edd. Becker. Hertel. *magnae excelsaeque.* Sed veteres editiones et MS. Vatic. 4498. (si est fides habenda Broterii silentio) vulgatum verborum ordinem tuentur.

vehementius quam caute. Walchius exspectaverat *cautius*, non intelligo quo iure. Nam hoc alium loco induit colorem, dicitque Agricolam adpetivisse et vehementer et caute, sed maiore vehementia quam cautione. Vulgata scriptura sibi vult, illum adpetivisse vehementer neque vero caute. cf. not. ad An. 3, 17. sub vv. *miseratio quam invidia valebat.*

ex sapientia, *modum.* Lipsius planiorem reddere locum studebat coniectando: *et sapientiae modum*, quod probabatur Ernestio, non ita recentioribus editoribus, qui recte defendunt vulgatam scripturam, diverso tamen sensu accipiunt. Dronkius: „Ex acri philosophiae studio perfectaque eius cognitione id Agricola retinuit, ut aequum animum et auream illam mediocritatem servaret secundum illud poetae: *Est modus in rebus* etc." Contra Beckerus: „Non *immodice* Agricola sapientiae studio se dedit, nec ita philosophiam amplexus est, ut excelsae gloriae speciem appetens, Thraseae et Helvidii aliorumque exemplo, *illicita* tantum miraretur, et per abruptam contumaciam famam et fatum provocaret. cf. c. 42. fin. et An. 4, 20." At verba non patiuntur, ut *ex sapientia modum retinere* sit *non immodice sapientiae studio se dare.* Immo *modus ex sapientia* non potest esse nisi modus e sapientia oriundus. Sed quocunque modo torqueas *modum* illum *ex sapientia*, obscura est sententia, dictio non satis elegans. Quare coniunge: *quod est difficillimum ex sapientia*, h. e. quae est omnium rerum ad sapientiam pertinentium difficillima. Modum intellige excelsae magnaeque gloriae adpetendae. De modo in studio philosophiae adhibendo hic non est sermo. Immo sententia est: ratio et aetas mitigavit vehementem illam gloriae cupiditatem, et ita Agricolae parata est sapiens moderatio. quare non frustra videtur sapientiae operam dedisse: nam eadem moderatio est sapientiae difficillimum.

Cap. 5. *adprobavit.* cf. An. 15, 59. *dum ipse maioribus . . .*

electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos,

mortem adprobaret; 16, 18. *nihil amoenum . . . putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset.* Sueton. Oct. c. 8. *adprobata morum indole.* Plin. epp. 6, 31. *singuli adproburent causas non agendi.*

quem contubernio aestimaret. De verbo *aestimare* cf. not. ad An. 13, 17. Iam *aestimare aliquem* est cognoscere alicuius virtutem, qualis vel quanta sit. Ratio aestimandi exprimitur addito ablativo. *Contubernium* ponitur pro consuetudine contubernali. cf. An. 13, 46. *Neronem e contubernio servili nihil nisi sordes traxisse.* Similis locutio est Hist. 4, 73. *bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur.* Non igitur recte faciunt, qui *aestimaret* accipiunt pro *dignaretur*, *dignum iudicaret:* nam hoc non inest verbo. Nullo modo autem admittenda est coniectura Ernestii *adhiberet* pro *aestimaret* substituentis, aut Bipontinorum, qui volunt *admoveret.* De re cf. Sueton. Iul. c. 2. Cortius ad Sallust. Iug. c. 64. Manut. ad Cicer. ep. ad divers. 5, 20. Ernest. in Clav. Cic. vv. *contubernalis* et *contubernium.*

nec Agricola .... rettulit. Locus ab interpretibus nuper mire vexatus. Nam postquam Beckerus censuerat verba esse coniungenda in hunc modum: „ad voluptates et commeatus et inscitiam titulum tribunatus retulit," Sellingius in Observv. p. 3. merito illi succensuit ob contortam verborum collocationem, quam Tacito iniungit; neque tamen ipse haec satis recte interpretatus est. Facit enim cum iis, qui coniungunt: „rettulit titulum tribunatus et inscitiam (h. e. titulum et inscitiam tribunatus) ad voluptates et commeatus," ut sententia sit: Agricolam praetextu vel occasione tituli tribunicii et suae inscitiae non esse usum ad voluptates et commeatus. Walchius consentit cum Beckero et pro commentario lineolam posuit ante *inscitiam* sic: *et — inscitiam rettulit.* Quo tamen artificio sententia nondum fit sana. Et primum quidem verbum *rettulit ad* nullo modo potest accipi pro *usus est ad* (*er benutzte zu*). Utinam, qui hac interpretatione utuntur, docuissent exemplis ita dici posse. Immo *referre aliquid* est *etwas zurückbringen*, et *referre aliquid* dicuntur, qui aliunde redeunt cum aliqua re, quam ibi quaesiverunt. cf. An. 3, 21. *servati civis decus rettulit.* Hist. 4, 49. *quod . . . cruentas manus ad caedem proconsulis rettulisset*, h. e. cum cruentis manibus rediisset et ad caedem consulis tulisset. Germ. c. 31. *pretia nascendi rettulisse.* Liv. 4, 17. *nec incruentam victoriam rettulit.* Iam *titulum tribunatus et inscitiam referunt*, qui e castris cum titulo tribunatus quidem, sed cum inscitia simul redeunt. Verba: *ad voluptates et commeatus* constituunt ἓν διὰ δυοῖν, spectantque ad eos qui voluptatum causa peterent commeatum redirentque e castris ad urbis delicias et gaudia. Nostro sermone: *Und Agricola brachte nicht liederlicher Weise nach Art der jungen Leute, welche den Kriegsdienst in Muthwillen verwandeln, noch unter schlaffer Thatlosigkeit in das vergnügliche Leben auf Urlaub Tribunentitel und Unwissenheit zurück.*

sequi. In ed. Put. M. vidi *equi.*

nihil adpetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior, magisque in ambiguo Britannia fuit: trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus. tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur ac summa rerum et reciperatae provinciae gloria in ducem cessit: artem et usum et stimu-

in iactationem. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Put. pr. et M. et nuper Dronk. Hertel. Becker. Walch. — *iactationem* (neglecta praepositione) edd. Put. V. Beroald. Alciat. Rhenan. Ald. — *iactatione* e coniectura Rhenani edd. Micyll. Pich. Bernegg. sqq. et nuper Bekker. Lünemann. alii. — *ob iactationem* edd. Lips. Gruter. nescio an ex ed. Rhenan. 1544. Nam Lipsius eam scripturam Rhenano tribuit. De MS. Vatic. 4498. Broterius tacet, dum edit *iactatione.* Sed unice verum est *in iactationem*, et *adpetere in iactationem* significat *adpetere, ut eo possis uti in iactationem.* Ex omisso vocabulo *in* deinceps omnis varietas originem traxit.

simulque et anxius et intentus agere. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Broter. Seebod. Dronk. Becker. Hertel. — Puteolanus sqq. et nuper Walchius omittunt *et* ante *anxius.* Sed *que* coniungit verba *recusare* et *agere*, et alterum alteri ἐπεξηγητικῶς adnectit. Duplex *et* vocabula *anxius* et *intentus* in duo membra dividit, quia non sunt synonyma aut significatu coniuncta, sed diversi momenti: nam *anxius* denotat providentiam et modestiam, qua nihil adpeteret in iactationem; *intentus* indicat fortitudinem, qua nihil ob formidinem recusaret. Walchio et Buchnero intelligitur anxius futurorum, intentus praesentium. Verum de tali rerum divisione hic non est sermo.

exercitatior. cf. Horat. Epod. 9, 21. *exercitatae Syrtes Noto.* De re cf. An. 14, 29. sqq. Xiphil. 62, 1. sq. Sueton. Ner. c. 39.

incensae coloniae. Camulodunum. cf. An. 14, 31. Nam Londinium et Verulamium (An. 14, 33.) non erant cognomento coloniarum insignia: quare Walchius numerum pluralem poetice positum accipit. At negari nequit Tacitum de utroque oppido simul cogitavisse, dum de incensis coloniis diceret. Rectius igitur putabimus scriptorem non anxie distinxisse coloniam proprie dictam et oppida, quae instar coloniarum erant.

intercepti exercitus. MS. Vatic. 3429. et suadente Freinshemio edd. Broterii et Seebodii *intersepti exercitus.* cf. Hist. 3, 53. *intersepta Germanorum Raetorumque auxilia.* At in Britannia exercitus Romani non tantum intersepti sunt, sed intercepti, h. e. capti et e medio sublati, trucidati. cf. An. 2, 82. *neque ob aliud interceptos.*

tum de salute, mox etc. *Tum*, h. e. cum trucidarentur veterani etc. *Mox* indicat mutationem rerum in melius factam, quae Paullino et Agricolae laudi fuit. Walchius totum locum non satis recte percepit. Hertelio *tum . . . mox* videtur esse pro *tum . . . tum . . .* Verum *tum . . . mox* est pro *tum . . . mox.*

artem et usum. Lipsius malebat: *attamen et usum.* Male. Nam artem quoque militarem

mulos addidere iuveni: intravitque animum militaris gloriae cupido ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

VI. Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit. idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo: nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae provinciam Asiam, pro-

(*Kriegswissenschaft*) cum usu (*Erfahrung*, *Praxis*) et stimulis (*Begeisterung*) Agricola inde debuit referre. *Tamen* in eiusmodi locis saepius omittitur, quam ut ea omissio offendere nos possit. Sed tamen Seebodius maluit: *tamen et usum.*

addidere. cf. An. 3, 22. *quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat;* 4, 73. *neque constantiam addiderant turbatis.* Non igitur opus est, ut cum Walchio de zeugmate cogites.

Cap. 6. *nisi quod .... culpae est.* Priorum quidam, cum frustra verborum sententiam quaesivissent, corruptelam subesse suspicati sunt. Quare Pichena emendabat: *tanto minor laus*, adprobantibus Lipsio, Freinshemio et Boxhornio, qui explicationis causa addit: „Laudem bona uxor non meretur, quippe talis modo est, qualis esse debet. sed et ideo plus culpae in mala, quippe talis non est, qualis esse debet." Quae Tacitus vel his similia si dixit, generum haud satis modestum egit in soceram etiamtum superstitem. Acidalius corrigebat: *invicem se anteponendo sibi, quod* etc. Recentiores omnes vulgatam scripturam defenderunt atque explicare studuerunt. Schefferus: „tanto maior laus est, si maritus bonam uxorem colit, sibi anteponit, quanto turpius est id facere in mala, cum hominem mulierosum indicet et imperiosam mulierem." Eadem fere rettulit Steuberus in Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 176. Oberlinus: „concordia coniugalis inter bonos laudem, inter malos crimen habet, idque in uxore magis quam in marito." Dronkius: „Laus, quae ex mira illa concordia et mutua caritate nascebatur, utrique pariter magna, nisi quod in bona uxore maior laus virtutis est, quam in bono viro, et tanto quidem maior, quanto in mala femina plus culpae est, quam in viro malo. Feminis enim peccantibus semper plus culpae imputatur, quam viris; quare bonis feminis maior laus tribuenda est, quam viris." Cum Dronkio de loci sententia consentiunt Selling. in Observv. p. 4 sqq. Roth. in Synon. p. 40. Walch. ad h. l. — Beckerus: „Apud Romanos pater familias uxorem et liberos et omnem domum regebat. Summa igitur viri culpae erat in uxore mala, cuius regendae et arbitrio suo subiiciendae non solum potestas illi legibus permissa erat, sed etiam necessitas imposita. Sed et eo maior (iudicio hominis Romani) gloria erat viro, si uxorem sibi finxerat bonam, quoniam sexus ille infirmus et inconstans facilius intra certos quosdam fines coërceri potest, quam ad firmitatem quandam et fortitudinem erigi cor-

consulem Salvium Titianum dedit. quorum neutro corruptus est: quanquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia in subsidium et solatium simul. nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque etiam

roborarique." Quam Beckeri explicationem qui tuentur, provocant ad An. 3, 34. *nam viri in eo culpam, si femina modum excedat.* Sed haec a nostro contextu certe sunt aliena, nec satis recte a Dronkii interpretatione Beckerus discessit.

Salvium Titianum. Hunc Hertelius facit filium minorem Othonis imperatoris, quod non patitur temporum ratio. Fuit eiusdem frater maior natu, pleno nomine: *L. Salvius Otho Titianus.* cf. Suet. Oth. c. 1. ibique Baumgarten-Crus. Tacit. Hist. 1, 75. 77. Hertelio confusius Dronkius de viro disputavit. Proconsul a Nerone in Lusitaniam missus sive relegatus fuit ille ipse, qui post Galbam imperavit.

redempturus esset. Hertelius ad h. l. „Cur non *fuisset?* Etenim cogitat de illo ipso tempore, cum una essent." Quo vera grammatices ratio non satis recte explicatur. *Fuisset* est optativus aoristi, cui hic non est locus, quia scriptor non loquitur de certa quadam occasione, qua Titianus redempturus fuisset, sed de re, in quam semper pronus erat.

mutuam dissimulationem. cf. not. ad Hist. 1, 26. sub v. *dissimulatio.*

auctus est. cf. not. ad An. 2, 6. sub v. *augebantur.*

in subsidium simul et solatium. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Broter. Dronk. Hertel. De MS. Vatic. 4498. Broterius tacet. — *in subsidium et solatium simul* edd. ante Broterium et post illum Oberlin. Walch. alii: quem verborum ordinem Walchius defendit exemplo An. 1, 9. *quo Valerium Corvinum et Caium Marium simul aequaverat.* Sed distinguendum est. *In subsidium et solatium simul* si scribis, tu dicis filiam illam utrumque, subsidium et solatium, Agricolae fuisse ob defunctum filium. nam ita duo comprehenduntur, ut An. 1, 9. Sin alterum retines ordinem, sententia est, filiam Agricolae non solum subsidium fuisse, quod per se intelligitur, sed etiam solatium ob mortem filii. Haec vera videtur esse loci ratio. cf. infr. c. 7. *ita successor simul et ultor.* De vocabulo *subsidium* cf. not. ad An. 1, 3.

inter quaesturam ac tribunatum. MS. 3429. edd. Put. M. et V. sqq. ad Rhenanum: *inter praeturam, quaesturam ac tribunatum.* Rhenanus tacite inepto augmento locum liberavit. Ceterum alii cum Ernestio ad verba *inter quaesturam ac tribunatum* e sequentibus referunt *annum*, ut ita unus tantum annus videatur interiectus fuisse: alii in universum temporis notionem intelligunt. Et vocabulum *ipsum* certe non poscit, ut *annum* ad priora referas.

atque etiam ipsum. MS. Vatic. 3429. edd. Becker. Hertel. Walch. *atque ipsum etiam.* Broterius tacet de utroque Vaticano retinuitque vulgatum verborum ordinem; quare dubium est, quid sit in Vatic. 4498.; et c. 3. legitur: *subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo.* Recte: nam utroque loco vis orationis cadit in *etiam* magis quam in alterum vocabulum.

ipsum tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium. nec enim iurisdictio obvenerat. ludos et inania honoris modo rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita

quiete et otio. MS. Vatic. 4498. *quietis et otio.* Ceterum inter synonyma haec habet Roth. p. 10. cf. c. 42. *quietem et otium.* c. 40. *tranquillitatem et otium.*

transiit. MSS. et vett. edd. *transit.* E sententia Rhenani Bipontini sqq. emendarunt *transiit:* Dronkius et Hertelius restituerunt *transit* ob veterum librorum fidem. Sed duplex *i* in veteribus libris saepissime in unum contrahitur, nec ulla erat causa, cur scriptor a tempore perfecto in uno hoc verbo ad praesens rediret.

inertia pro sapientia. cf. Hist. 1, 49. *ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur.*

idem praeturae tenor et silentium. MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum pro *tenor* ferunt *certior.* Rhenanus tacite edidit *tenor*, quod recte tenuerunt sequentes editores omnes. Broterius de utroque Vaticano tacet. In *tenor et silentium* esse ἓν διὰ δυοῖν docuit Roth. p. 28. Absque figura scribit Suetonius Domit. c. 10. *sed neque in clementiae neque in abstinentiae tenore permansit.*

nec enim iurisdictio obvenerat. Edd. Put. pr. M. et V. Beroald. (teste Walchio) *nec non iurisdict.* etc. Mihi in ed. Put. M. *non* pro *enim* non apparuit. Utut sit, illud *non* ortum est e compendio *.n.*, h. e. enim. De verbo *obvenerat* cf. An. 3, 33. 4, 56. Cogitandum est de sorte. An. 1, 15. extr. de eadem re legimus *evenisset.* Ceterum putant interpretes Agricolam fuisse neque urbanum nec peregrinum praetorem, sed ex numero eorum, quibus quaestio aliqua traderetur et qui causis publicis praeessent. Verum eiusmodi quaestio non est sine iurisdictione, et tunc *publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur.* cf. An. 4, 6. et not. ad An. 1, 74.

ludos. Cogita de ludis honorariis, qui in muneris auspiciis plebis delectandae causa edebantur. cf. Sueton. Oct. c. 32.

inania honoris. H. e. muneris praetorii, praeturae. Nam honor sic dicitur pro magistratu. cf. Suet. Oct. c. 27. *censurae honor.* Id. Tib. c. 31. *ut praesentes honori acquiescerent.* Id. Iul. c. 20. *inito honore.* Copula *et* ea vi coniungit *ludos* et *inania honoris*, ut unum per alterum explicetur: nam *inania honoris* non alia intelliguntur quam quae sunt in ludis.

modo rationis atque abundantiae duxit. Sic edd. vett. cum recentioribus et, si fides habenda silentio Broterii, etiam MS. Vatic. 4498. — *medio rationis* etc. MS. Vatic. 3429. et nuper edd. Becker. Hertel. — *moderationis atque abundantiae duxit* e coniectura Lipsii edd. Bip. Oberl. aliae: sed Lipsius volebat: *moderationis suae atque* etc., vel potius: *moderationi: satisque abundantia.* Alii alia suaserunt. Colerus: *moderationis, neque abundantiae;* sed haec non conveniunt verbis sequentibus, quae arguunt abundantiam non omnino defuisse. Scriverius: *moderatiora quam abundantia,* quae eodem incommodo laborant. Idem dicendum est de Sellingii coniectura: *moderationis quam abundantiae.* Heinsius: *ludos, ut inania honoris, medios moderationis atque abundantiae duxit.* Sed eadem sententia, si tibi placeat,

famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

VII. Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius adflixit. nam classis Othoniana licenter vaga

inest scripturae codicis Vatic. 3429. Nam *medio rationis atque abundantiae duxit* aeque bene dicitur ac *medio montium et paludum porrigebatur planities.* Verum non est, quod Puteolani scripturam spernamus. *Ratio* ibi est quod nos dicimus *Berechnung*, h. e. is agendi modus, quo impensae singulae quaeque computantur rebusque pretium suum statuitur, quod non excedatur. Opponitur *abundantia*, qua plura et maiora impenduntur quam necesse est. *Modus rationis atque abundantiae* est modus, quem hinc ratio, inde abundantia praescribit, h. e. modus et ratione et abundantia mixtus. Iam intelligis modum rationis atque abundantiae non aliud esse quam medium rationis atque abundantiae et utramque veterum librorum scripturam eodem redire. Verbum *duxit* de ludis usurpatum referendum est non ad id quod faciunt histriones vel gladiatores (de qua re valet verbum *edere*), sed ad pompas et solemnia ludorum, quae duci dicuntur eodem iure quo triumphi, exsequiae (An. 16, 6.) aliaque solemnia. Nam *ducere* in eiusmodi formulis est *ducem esse.* Alii *duxit* hoc loco accipiunt pro *putavit*, *arbitratus est* vel simili quo et mirabiles loco adfingunt sententias, quas referre longum est.

famae propior. H. e. propior famae parandae studio. cf. An. 3, 30. *diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et adfluentia luxu propior.* An. 16, 35. *laetitiae propior.* Ibid. c. 9. *propior irae quam timori.* Ceterum verba *uti longe .... propior* non pertinent ad describendum ludorum modum, sed spectant ad Agricolae animum.

ad dona templorum. Edd. Put. V. et Alc. *temporum*, vitio typogr. De re cf. Sueton. Ner. c. 32. extr. Tacit. An. 15, 45. Xiphil. 63, 11.

fecit. Heinsius malebat: *effecit.* Minime vero. Non enim hic cogitandum de effectu, sed de consilio faciendi, ne etc.

sensisset. Aoristus optativi, quod verbi tempus referendum est ad cogitationem Agricolae, qui diligentissima conquisitione fecit, h. e. operam dedit, ne .. res publica ... sensisset, scilicet peracta sacrorum recognitione. Quare nec de enallage temporum cogites cum Krügero (*Untersuchungen a. d. Gebiet d. lat. Spr. Heft* 2. p. 295.), nec de supplemento sententiae post *sensisset* per particulam *si* adnectendo. cf. Iahnii: *Jahrb. f. Philol. u. Paedag.* 1828. VII. *Band.* 2. *Heft.* p. 161. sqq. Locus huic similis exstat apud Plin. Paneg. c. 5. init. *Talem esse oportuit, quem non bella civilia nec armis oppressa res publica, sed pax et adoptio et tandem exorata terris numina dedissent.* Ceterum *sensisset* exprimit rem in facto positam et quae effectum habuerit: *sentiret* rem exhibet ut e cogitatione Agricolae pendentem, non addito, an effectum habuerit.

Cap. 7. *classis Othoniana licenter vaga.* cf. Hist. 2, 12.

dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit: praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola nuntio adfectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, admodum iuvene Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. is missum ad delectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesumae legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat. nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum, suo an militum ingenio. ita successor simul et ultor electus rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse.

dum Intemelios. Sic edd. Ernest. Broter. sqq. ex emendatione Lipsii. — *dum in Templo* MS. Vatic. 3429. (et fortasse 4498.) edd. Put. pr. M. et V. sqq. ad Ernestium. Lipsii emendationem praeivit Ursinus, qui e codice veteri suo prodiderat: *dum in Temelium Liguriae urbs est.* Inde Surita ad Antonin. Itinerar. ed. Wessel. p. 296. coniecit *Intemelio.* Ita et Savilius.

praediis. Operarum vitio in Oberlini editionem venerat *praesidiis*, quod repetitum est ab aliis quibusdam et a Naudeto.

adfectati. Walch. ad h. l. „nicht wie bei Liv. 28, 18, *potiundae Africae spem affectare*, sondern ein vollständiges *in se tracti.*" Igitur postquam Vespasianus imperium plene traxerat, Agricola serum huius rei nuntium accepit? Inutilem certe adnotationem vir doctissimus addidit. Nam *adfectare* non potest non intelligi de conatu possidendi principatum. Sic An. 2, 85. *regnum adfectans.*

a Vespasiano. De scriptura huius nominis vid. not. ad Hist. 1, 1. Hoc loco ed. Put. M. *a Vespesiano.*

deprehensus. H. e. καταληφθεὶς, de re subita et inopinata (*überrascht*). cf. An. 3, 53. *ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem.* Frustra Bipontini *reprehensus*, h. e. retractus, revocatus.

initia principatus . . . regebat. cf. Hist. 4, 11.

admodum iuvene. MS. Vatic. 3429. *iuvene admodum*, quod in locum receperunt Becker. et Hertel. cf. Hist. 2, 78. *iuveni admodum.* Hist. 4, 5. *iuvenis admodum.* Dial. de Oratt. 1. At An. 1, 3. *admodum adulescentem*; 4, 13. *admodum infantem*; Ib. c. 44. *admodum adulescentulum.*

ex paterna .... usurpante. cf. Hist. 4, 2. et 39. Sueton. Domit. c. 1.

vicesumae legioni. cf. Hist. 1, 60. 3, 22.

decessor. Int. *Roscius Caelius* Hist. 1, 60.

ultor. MS. Vatic. 3429. *ulctor.*

VIII. Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus placidius, quam feroci provincia dignum est. temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit, ne incresceret; peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. habuerunt virtutes spatium exemplorum. sed primo Cerialis modo labores et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit: ad auctorem et ducem, ut minister, fortu-

Cap. 8. *Vettius.* Sic MS. Vatic. 4498. edd. Ryck. Broter. sqq. cf. not. ad An. 15, 3. Hist. 2, 65. — *Vectius* MS. Vatic. 3429. edd. Riv. Beroald. sqq. ad Ryckium. — *Voctius* edd. Put. pr. M. et V.

Bolanus. Sic edd. Lips. sqq. secundum locos An. et Hist. modo laudatos. — *Volanus* MS. Vatic. 3429. et edd. ante Lipsium, vulgari litterarum *v* et *b* confusione. Ita in ed. Spir. An. 11, 10. vidimus *Vardanes* pro *Bardanes.*

provincia. Edd. Put. M. et V. Alc. *provinciae.*

dignum est. Acidalius malebat *esset*, quod Walchius vidit in ed. Riv. — Ernestio placebat *erat.* Heinsius: *dignum: sed temperavit* etc. Frustra omnes. Tacitus *dignum est* dicit e sua ipsius aetate. Non enim postea mitior fuit Britannia.

ne incresceret. H. e. ne super Bolanum adsurgeret. At Walchius negat *increscere* per metaphoram dici de homine: quare hoc verbum ipse refert ad *ardorem.* Fallitur. Nam *insurgere* dicitur etiam homo apud Suet. de illust. gramm. 3. *Post hoc magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut* etc. Apud Plin. epp. 8, 4. ingenium docti hominis (Caninii) dicitur *increscere amplis operibus.* Ernestius recte animadvertit verbum *ne insurgeret* inutile esse, si pertineat ad *ardorem.* nam si quis ardorem compescit, hoc per se intelligitur eum facere, ne ardor insurgat.

Petilium Cerialem. Sic edd. Lips. sqq. — *Petilium Cerealem* edd. Riv. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. — *Peretilium Cerealem* edd. Put. pr. M. et V. cf. not. ad An. 14, 32. Hist. 3, 59. 78. sq.

habuerunt virtutes spatium exemplorum. Similis sententia legitur An. 13, 8. *videbaturque locus virtutibus patefactus.* Hic *exempla* sunt *παραδείγματα* (*Beweise*), documenta, habentque virtutes spatium exemplorum, ubi locus virtutibus est patefactus. Lipsius male coniecit: *habuerunt virtutes spatium et exemplum*: peius etiam Heinsius: *addiderunt virtutes spatio exemplorum.*

modo labores. MS. Vatic. 3429. edd. Brot. Becker. Hertel. *labores modo.*

in suam famam gestis exsultavit. H. e. gestis exsultavit, ut in famam suam essent. Brevitatis studio Tacitus locum contrahit. Similia sunt infr. c. 10. *non in comparationem .... referam.* An. 2, 18. *quas* (catenas) *in Romanos portaverant.* 5, 7. *cum in Blaesum multa foedaque incusavisset.*

et ducem. MS. Vatic. 3429. *ac ducem.*

nam referebat. ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

IX. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae in primis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia quamvis inter togatos facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa. ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus, et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona. tristitiam et adrogantiam et

Cap. 9. *adscivit.* Sic scribimus e consensu optimorum codicum, quibus Taciti Annales et Historiae continentur. Vulgo *ascivit.*

splendidae in primis dignitatis. Ita Tacitus sexcenties utitur genitivo qualitatis. cf. Ramshorn. Gr. §. 102. Sic c. 4. *pater Iulii Iulius Graecinus, senatorii ordinis* etc. Hist. 4, 49. *Valerius Festus, sumptuosae adulescentiae.* Quare coniunge: *provinciae Aquitaniae,* (quae est) *splendidae in primis dignitatis.* Hertelius e verbo *praeposuit* elicit substantivum (quasi quae est praefectura, quod est munus etc.), unde genitivus pendeat. Contortius Woltmannus genitivum refert ad Agricolam, ut is dicatur Aquitaniae praepositus *zu vorzüglich glänzender Würde wegen seiner Verwaltung und der Hoffnung des Consulats.*

administratione ac spe consulatus. Haec rationem reddunt splendidae dignitatis.

cui destinarat. Intell. eum revertentem ab legatione legionis, quod praecedit: quare nihil duri hic video.

secura. Harlaeus corrigebat *severa*; Heinsius *secors.* Frustra. *Secura* est minus anxia, sollicita, μικρολογοῦσα, ut bene explicuit I. Fr. Gronovius. Rationem addit Broterius: „quia paucis et perspicuis legibus utitur, fori ambagibus minime intricata."

quamvis inter togatos. Scilicet in conventibus iuridicis per pacatam provinciam habendis. cf. infr. c. 21. *frequens toga.* Grotius frustra emendabat *inter sagatos* vel *non inter togatos.*

divisa. Sic *dividere defensionem* An. 3, 15.; *divisae arboribus patriae* Virgil. Georg. 2, 116.

et saepius misericors. Fortasse exspectaveras: *sed saepius m.* At vid. not. ad An. 1, 13. Nuper vir doctus volebat *immisericos.* Sed iudicia poscunt etiam misericordiam, et aptissime adduntur verba *et saepius misericors*, ne Agricolae inter gravitatem et severitatem desit virtus iudici pernecessaria.

nulla ultra potestatis persona. tristitiam etc. Sic edd. Rhen. Ald. sqq., nisi quod edd. ante Lipsium post *persona* ferunt comma (,). — *nullam ultra potestatis personam, tristitiam* etc. MS. Vatic.

avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit. procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores et vincere

3429. et edd. ante Rhenanum. De altero MSto Broterius tacet, quod an sit accipiendum pro consensu in receptam a Rhenano scripturam, non satis discerno. Beckerus et Hertelius restituerunt accusativum atque ad *personam* intelligunt *induit*, quod e sequenti verbo *exuerat* suppleri posse existimant. Vix credo: nam quae adferuntur exempla non satisfaciunt. Satis verisimile est accusativos *tristitiam* sqq. ex loci confusione traxisse *personam*, sive culpa posita est in particula *ultra*.

exuerat. Locus multum vexatus. Nimirum tristitia et adrogantia et avaritia sunt vitia: iam qui vitia dicitur exuere, praesumitur iisdem ante obnoxius fuisse. Quae res cum non potuisset conciliari cum laude Agricolae, viri docti locum interpretatione huc illuc traxerunt. Alii tristitiam, adrogantiam et avaritiam varie excusant in provinciae administro; alii putant *exuisse vitium* dici pro: liberum esse a vitio. Quod non omnino verum est, sed veritati propius. Etenim tristitia et adrogantia et avaritia sunt vitia plerumque in provinciarum praesidibus conspicua et subiectis molesta: quare praeses provinciae si dicitur illa vitia exuisse, intelligitur, illum suam praesidis personam liberasse ab eiusmodi vitiis, quae solent praesidis personam comitari. Eadem prorsus ratione Agrippina An. 6, 25. dicitur *virilibus curis feminarum vitia exuisse:* quod non intelliges, tanquam Agrippina ante feminarum vitiis fuerit obnoxia, sed scriptor dicit Agrippinam quanquam feminam a feminarum vitiis fuisse liberam. Similiter Hist. 2, 86. *Fuscus ... prima iuventa ... senatorium ordinem exuerat,* h. e. cum posset senator fieri ob dignitatem familiae suae, abstinuit.

deminuit. Sic edd. Lips. sqq. — *diminuit* edd. veteres. cf. not. ad An. 1, 14. et 13, 50.

etiam saepe boni. Sic edd veteres et fortasse MS. Vatic. 4498., de quo Broterius tacet, dum e Vatic. 3429. adfert *cui saepe etiam boni:* quae sunt commoda et, nisi fallor, genuina. At Dronkius ex eodem codice edidit *etiam boni saepe*, quem verborum ordinem adoptarunt Beckerus et Hertelius. Sed uter veracior, Broterius an Dronkius?

ostentanda virtute. Sic edd. Micyll. Lips. sqq. e coniectura Rhenani. — *ostentandam virtute* edd. Put. (pr. *ostendandam*) M. et V. Riv. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et nuper Dronk. At quid est famam quaerendam virtute ostentare? — *ostendendam virtutem* MS. Vatic. 3429. teste Broterio, qui de altero cod. Vatic. tacet.

collegas. Intellige cum Pichena legatos, qui finitimis provinciis praeessent. cf. Hist. 1, 10. (Mucianus Syriae praefectus) *apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis inlecebris potens.*

procuratores. De quo officio cf. infr. c. 15., et exemplum procuratoris adversus legatum contendentis An. 14, 38. Iam quia unus tantum procurator in provincia solebat esse, sumendum est per trien-

inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari: nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando et elegit. Consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit: et statim Britanniae praepositus est adiecto pontificatus sacerdotio.

X. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive refe-

nium illud plures deinceps missos, vel in universum contentionem adversus procuratores intelligi, qua plerumque procuratores utebantur adversum legatos. Ceterum mutavi loci interpunctionem, qua inde a Lipsio post *procuratores* ponebant punctum, et reduxi librorum ante Lipsium editorum rationem, quae invenitur etiam in prima Lipsii recensione (1574.). Nam Tacitus si vellet locum incidi post *procuratores*, dein pergeret: *nam et vincere* etc., vel simili modo. Nec solum ad contentionem adversus procuratores refero, quod Agricola vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur, sed ad aemulationem etiam adversus collegas. Nihil enim obstat, quo minus in utramque partem verba spectent. *Sordidum* est turpe nec honestioris conditionis viro dignum, id quod nos dicimus *niedrig, schimpflich.* Nimis premunt hoc vocabulum, qui putant eo spectari ad inferiorem procuratorum conditionem.

minus triennium. Et triennium erat e praecepto Maecenatis apud Dion. 52, 23. καὶ ἀρχέτωσαν μήτε ἔλαττον ἐτῶν τριῶν (εἰ μή τις ἀδικήσειέ τι) μήτε πλεῖον πέντε.

comitante opinione. Ernestius infeliciter coniectabat legendum *constante opinione.*

nullis in hoc suis sermonibus. Breviter dictum. Sententia: nullis suis sermonibus, qui ad hoc spectarent vel quibus haec res ageretur. Heinsius malebat: *nullis in hoc usus prensationibus*, quae sunt ludibria critico viro non satis digna.

elegit. Sic MSS. Vaticc. et edd. ante Rhenanum, qui emendavit *eligit.* Rhenanum imitati sunt Aldus sqq. ad Ernestium, qui veterem formam restituit. Recte. nam aoristus *elegit* eam habet vim, ut, dum exhibet, quod aliquando factum est, simul idem fieri solitum indicet. cf. Ramshorn. Gr. §. 164. p. 401. b). Spalding not. crit. ad Quint. 1, 6, 21.

egregiae. MS. Vatic. 3429. (test. Dronk.) *graeciae*, in margine: *al. gratae.* Broterius de MSS. tacet. Heinsius frustra emendabat: *egregia aetate ac specie filiam*, vel *egregiam aetate tum specie.* Nam *egregiae spei filia* aptissime dicitur puella tredecim annorum, cui satis decorum est, si egregiam de se facere spem fertur.

collocavit. Edd. Put. V. et Alc. *collavit*, vitio typographico.

Cap. 10. *non in comparationem curae ingeniive referam.* H. e. non referam, ut ea relatio valeat in comparationem curae, quam ego et quam alius adhibuit, ingeniive, quod ego et quod alius ad id opus attulit.

ram: sed quia tum primum perdomita est. itaque, quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac coelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur: Gallis in meridiem etiam inspicitur: septemtrionalia eius nullis contra terris vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere. et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa. sed

spatio ac coelo. Locus variis interpretum opinionibus insignis. Lipsius nesciens, quid sibi vellent haec verba, distinguendo locum sanare studuit: *maxima spatio, ac coelo in Orientem* etc., quanquam ipse in editionibus suis hac distinguendi ratione bene abstinuit. Pichena vulgatam scripturam explicat: „Britanniam Germaniae Hispaniaeque obtendi, non quidem ex proximo, sed spatio ac coelo mediante, h. e. per longum intervallum maris atque aeris." Heinsius emendabat: *spatioso solo* vel *spatio soli.* Bipontini: *spatioso intervallo*, ex Orosio 1, 3. Weikertus edidit: *complectitur, maxima spatio, in Orientem* etc. omissa voce *coelo*, imitatus Iacobsium in: *Klio der Römer.* Vulgatam scripturam retinent et defendunt Dronkius, Beckerus, Hertelius. *Spatium* accipiunt de magnitudine geometrica (*Ausdehnung*), *coelum* de positione coeli s. de latitudine geographica s. de eo, quod Ptolemaeus clima vocat. Et Hertelius quidem putat per zeugma addi vocabulum *coelo*, falsa opinione. Nam ablativi *spatio ac coelo* non sunt artius coniungendi cum verbo *obtenditur* tanquam ablativi instrumenti, sed explicandi per formulam: quod attinet ad spatium ac coelum, ut ita spatium ac coelum quale sit describatur. Roth. de Synonym. etc. p. 42. *spatio ac coelo* non satis recte explicat per formulam ἓν διὰ δυοῖν. Nam infra c. 24. in descriptione Hiberniae *spatium* et *coelum* accurate distinguuntur. Neque tamen nego utriusque vocis notionem hic arte esse coniunctam. Nam *spatium* in universum significat locum, quem insula in orbe terrarum occupat: *coelum* denotat positionem geographicam. Utrumque eodem redit, ut ita de synonymis cogitare possis. Taciti descriptionem rerum naturae non prorsus convenire satis recte observatum est.

Gallis in meridiem etiam inspicitur. H. e. Gallis ita prope obtenditur in meridiem, ut inde etiam inspici possit. Heinsius haec quoque emendandi furore suo invadebat.

aperto mari. H. e. mare sine insulis aut terris. cf. An. 4, 67. *aperto circum pelago*; 2, 23. *in aperta Oceani.* Heinsius corrigebat *inaperto.*

Livius. Cf. Epitom. CV. libri, in quo Livius Iulii Caesaris expeditionem Britannicam narravit.

Fabius Rusticus. cf. An. 13, 20. 61. 14, 2. 15, 61.

adsimulavere. De scriptura verbi cf. not. ad An. 1, 28.

unde et in universum fama est transgressa. Sic edd. Rhenan.

immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. dispecta est et Thule.

Ald. sqq. facili et aptissima sententia: *fama* (eam esse Britanniae faciem) *in universum* (εἰς τὸ ὅλον) *transgressa est.* Particula *et* eodem modo quo saepissime Tacito usurpatur (cf. not. ad An. 1, 4. *aegro et corpore*), ut, qui in ea particula offendat, vix Taciti libros videatur diligenter legisse. Ceterum non credo genuinam Rhenani scripturam ob insignem veterum librorum varietatem. — *unde et universum fama est transgressus* edd. Put. M. et V. Riv. Ber. Alc., quae verba idonea sententia sunt destituta. — *unde et universum fama est transgressis* MSS. Vaticc. et ed Put. pr. In marg. cod. Vatic. 3429. legitur: „alii *universis.*" Illam librorum MSStorum scripturam defendit Selling. in Observv. p. 10. sq. explicans: *daher sind die dort Gewesenen der Meinung, auch das Ganze* (sc. *habe diese Gestalt*). At *fama* non est *Meinung*, et pro *universum* tum erat scribendum *universam* sc. Britanniam. Sed intolerabilis est ellipsis, quam ille Tacito permittit. — Rhenanus in Castigg. coniectaverat: *unde et in universum fama, e transgressis,* quasi dicat: sic narrant, qui transgressi sunt. I. Fr. Gronovius: *unde ea in universum fama est transgressa.* Nuper vir doctus proposuit: *unde et fama est. Transgressis sed immensum* etc., quae a Tacito esse profecta nemini persuadebit.

enorme. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *innorme* MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum. Ed. Riv. *in norme.*

tunc primum. Sc. Agricolae tempore. cf. infr. c. 38. et Dio 66, 20. et in primis 39, 50., qui diserte scribit de Agricola: *καὶ πρῶτός γε Ῥωμαίων, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ἔγνω τοῦθ' ὅτι ἡ Βρεττανία περίῤῥυτός ἐστι.* Altero loco: *τοῖς δὲ ἔπειτα ἐς ἀμφισβήτησιν, εἴ τε ἤπειρος εἴ τε καὶ νῆσος εἴη, ἀφίκετο· καὶ πολλοῖς ἐφ' ἑκάτερον εἰδόσι μὲν οὐδὲν, (ἅτε μήτ' αὐτόπταις, μήτ' αὐτηκόοις τῶν ἐπιχωρίων γενομένοις) τεκμαιρομένοις δὲ, ὡς ἕκαστοι σχολῆς ἢ καὶ φιλολογίας εἶχον, συγγέγραπται. προϊόντος δὲ δὴ τοῦ χρόνου πρότερόν τε ἐπ' Ἀγρικόλου ἀντιστρατήγου καὶ νῦν ἐπὶ Σεβήρου αὐτοκράτορος νῆσος οὖσα σαφῶς ἐλήλεγκται.* Noli igitur cum Dronkio et Rhenano *tunc primum* referre ad Fabii Rustici aetatem; nam eodem iure secundum contextum referes ad Livii aetatem. Sed vocabula *tunc primum* respiciunt ad initium capitis, ubi expressis verbis Noster promisit quaedam prioribus nondum comperta se traditurum esse rerum fide. *Incognitae ad id tempus Orcades* non sunt *ignotae, inauditae* ad id tempus, sed quarum natura hactenus erat incognita. Adesse Orcades Romani pridem audiverant. cf. Mela 3, 6. Plin. N. H. 4, 16. Credo etiam Eusebio et Orosio Claudium Orcades Romano imperio adiecisse, persuasum vero habeo ipsas insulas eius rei vim parum sensisse. Etenim iactantia et gloriae studio talia ferebantur.

dispecta est. Edd. Beroald. Alc. *desperta est.* Sed *dispicere* est cum oculorum contentione aliquid cernere, cognoscere. cf. An. 3, 22. 13, 27. Hist. 4, 55. Virgil. Georg. 2, 187. Aen. 6, 734., quibus Virgilii locis eadem est scripturae varietas. vid. Ernest. Clav. Cic. h. v.

Thule. Sic edd. Ernest. Broter. sqq. secundum Graecos, qui scri-

quam hactenus nix et hiems abdebat, sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli: credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere. unum addiderim: nusquam latius dominari mare,

bunt Θούλη. Edd. ante Ernestium cum MS. Vatic. 3429. *Thyle;* MS. Vatic. 4498. *Tyle.* Simili modo veteres libri variant inter *Sulla* et *Sylla*, *Suria* et *Syria*, *Sibylla* et *Sibulla* aliaque.

quam hactenus nix et hiems abdebat. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. et nuper Bekker. et Walch. — *appetebat* MSS. Vaticc. et edd. ante Rhenanum, quod revocarunt Bipontini et Oberlinus, toto loco in hunc modum mutato: *dispecta est et Thule quadamtenus: nix et hiems adpetebat; sed* etc. Dronkius edidit: *quam hactenus; nix et hiems appetebat; sed* etc., ut ante *quam* intelligas comparativum. Vidit Selling. in Observv. p. 12. Dronkii rationem ab h. l. prorsus esse alienam. Ipse Sellingius urget vocem *hactenus*, ut sit „*nihil aliud quam.*" Sed tale quid vocabulo *hactenus* non inest; significat *usque ad id tempus* (*bis dahin*), quam significationem vir doctissimus non satis recte vocabulo denegat. cf. not. ad An. 13, 41. At si in *hactenus* esset, quod vult Sellingius, sententia tamen non prodiret: *nur Schnee und Winter*; immo hoc: tantam nivem et hiemem nihil aliud fecisse, quam quod appetierint Thulen: quod est contortum. *Adpetere* exponunt: possessionem alicuius rei cupere, possidere, *als Eigenthum inne haben.* Provocant ad locos Germ. c. 22. *apud quos plurimum hiems occupat* et An. 12, 12. *quia hiems occupabat.* Sed hisce studiis id tantum efficiunt, ut intelligatur veterem illam scripturam diserta et perspicua sententia carere. Quare interim retineo Rhenani emendationem, dum plus lucis veteri scripturae adferatur. In sequentibus diversam libri sequuntur distinguendi rationem. Alii punctum ferunt post *perhibent* (Rhen. sqq. et nuper Seebodius, Walch. al.): alii incisionem habent ante *perhibent.* Rectius totum locum cum Bekkero coniungimus.

mare pigrum et grave. cf. Germ. c. 45. *trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum.* De eadem re testimonia et apud alios scriptores et aliis e regionibus supersunt. Quae sint eius rei causae naturales, non consentiunt viri docti.

remigantibus. Sic edd. Alc. Rhen. Ald. sqq. — *remigrantibus* edd. Put. pr. M. et V. Riv. Beroald.

perinde. Sic edd. Ernest. Broter. Oberl. Bekker. al. — *proinde* vett. edd. omnes et recentiorum pleraeque, cf. not. ad An. 3, 17. Sequimur in hac re usum Tacito constantem. cf. An. 14, 21. 15, 27. 43. 16, 29. et alibi. Alterum comparationis membrum, quod debebat sequi post *perinde*, ut *atque alibi* vel simile quid, more suo scriptor omittit.

causa ac materia tempestatum. Haec in MS. Vatic. 3429. sunt cum parenthesi, quam Beckerus quoque admisit in editione. Sed ea lege multa erunt parenthesi circumdanda, omnia scilicet membra, quae sunt in adpositione. Hertelius maluit: *quod rariores terrae montesque causa ac materia tempestatum.*

multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus adcrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

XI. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta. namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus et torti plerumque crines et

huc atque illuc ferre. Heinsius coniiciebat: *hinc atque illinc inferri.* Frustra. nam *flumina* hic sunt *Strömungen*, de quorum genere dicit Pomponius Mela 3, 3. *Super Albim Codanus ingens sinus magnis parvisque insulis refertus est. Hac re mare, quod gremio litorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam mari simile: verum aquis passim interfluentibus ac saepe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur.* Vir doctus in Iahnii *Iahrb.* l. l. cogitat de iis fluminibus, quae Mela 3, 6. dicit *alternis motibus modo in pelagus modo retro fluentia.*

ambire. Heinsius *ambedere.* Frustra. nam *ambire* hic non est capiendum de mari litus ambiente, ut solet universum mare: sed de mari, quod ora maritima superata intus circumfluit colles, ut fiant insulae.

et iugis etiam ac montibus. Sic MS. Vatic. 3429. Recepit Broterius, sed vitiose edidit: *et iugis ac etiam montibus.* Edd. Ernest. Oberl. Bekker. *et iugis etiam atque montibus.* Dronkius, Beckerus, Hertelius, Walchius reposuerunt *ac.* Vett. edd. *ambire etiam iugis atque montibus* etc.

velut in suo. Intellige: *velut in suo ὤν.* cf. Cic. ad Attic. 13, 1. *pedem ubi ponat in suo, non habet.* Pichena loci sententiam non intelligens coniiciebat *velut insulis,* Heinsius *velut in solum* (h. e. planum), Ernestius *veluti suo*, quod placuit Seebodio.

Cap. 11. *Britanniam.* Edd. ante Rhenanum: *in Britanniam.* Rhenanus praepositionem delevit.

ut inter barbaros. Beckerus et his verbis parenthesim circumfudit auctore codice Vatic. 3429. At talia non solent accipi ut in parenthesi posita; sunt pars legitima enuntiati.

namque. Sic MS. Vatic. 3429. et edd. veteres et recentiores exceptis editionibus Gronov. 1672. et Iac. Gronov. 1720., quae ferunt *nam.* De utriusque formae discrimine vid. Ramshorn. Gr. p. 563. Bremi. ad Nepot. Alc. 1, 2. Frotscher. ad Quint. X. p. 21. De eadem scripturae varietate vid. not. ad Hist. 3, 42.

rutilae . . comae. cf. Germ. c. 4.

colorati vultus. Quos si comparas cum *coloratis Indis* apud Virg. Georg. 4, 293. et cum *comitibus fuscis, quos India torret* apud Tibull. 2, 3, 55., satis apparet *coloratos vultus* intelligendos esse vultus fuscatos Hispanis proprios.

et torti. A MS. Vatic. 3429. abest *et:* quare omiserunt Beckerus et Hertelius. Sed non displicet ea vocula, et eximie facit ad loci partes recte iungendas.

posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. proximi Gallis et similes sunt: seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio coeli corporibus habitum dedit. in universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione: sermo haud multum diversus: in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax

posita contra Hispania. MSS. Vaticc. et edd. vett. *posita contra Hispaniam*, aperto vitio. Scilicet *contra* videbatur poscere accusativum. Rhenanus in Castigatt. emendabat: *positu contra Hispaniam*, quod receperunt sequentes editores (Micyll. Gryph. sqq.) ad Ernestium. Pichena malebat: *positus contra Hispaniam.* Optime Muretus: *posita contra Hispania*, quod receperunt Ernest. Broter. sqq.

Iberos. MS. Vatic. 3429. *Hiberos*, uti saepius vidimus veteres libros variare.

occupasse. MS. Vatic. 3429. *habitasse*, in margine *occupasse.*

proximi Gallis. cf. Caes. B. G. 5, 14. *ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.*

originis vi. Sic edd. Rhen Ald. sqq. — *originis usu* MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum. Error ob vicinas litteras perfacilis fuit. De Vatic. 4498. Broterius tacet, et tacite Rhenanus edidit emendationem suam.

procurrentibus in diversa terris. Britannia procurrit contra Galliam, Gallia contra Britanniam, ut ita invicem sint adversae. cf. An. 13, 57. 14, 30. *diversa acies*; 15, 15. *reges per diversum iere.* Hist. 3, 13. *ex diverso legiones.*

corporibus habitum dedit. Scilicet corporibus Britannorum et Gallorum h. e. utrique genti eundem. Ne igitur cum Ernestio putes *eundem* excidisse. cf. c. 10. *fama*, c. 12. *naturam*, c. 19. *pretio.*

aestimanti. cf. not. ad Germ. c. 6. et An. 11, 3. — Edd. Put. pr. M. et Riv. *extimati*, omissa lineola. Edd. Put. V. Beroald. Alc. *extimanti.* Rhenan. sqq. *aestimanti.* cf. not. ad An. 13, 17.

vicinam insulam. Sic MSS. Vaticc. (teste Broterio) edd. Dronk. Becker. Hertel. — *vicinam solum* edd. Put. pr. M. et V. Riv. — *vicinum solum* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et nuper Bekker. Walch. cum aliis.

eorum sacra etc. *Eorum* intell. Gallorum. *Deprehendere* est invenire, cognoscere. cf. Sueton. Cal. c. 60. *ut eo pacto hominum erga se mentes deprehenderet.* — *superstitionum persuasione* intell. Britannorum. Germanice: *Derselben Religion läſst sich in dem Brittischen Aberglauben wieder erkennen.* Edd. inde a Lipsio et nuper Bekker. Walch. al. commate interpungunt post *deprehendas.* Dronkius, Beckerus et Hertelius videntur id comma recte delevisse. De re cf. Caes. B. G. 6, 13.

in deposcendis periculis etc. cf. Caes. B. G. 3, 19. *ut ad bella*

emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus. mox segnitia cum otio intravit amissa virtute pariter ac libertate. quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent, quales Galli fuerunt.

XII. In pedite robur: quaedam nationes et curru proeliantur. honestior auriga, clientes propugnant. olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Coelum crebris

suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.

longa. Sic edd. Beroald. Alc. sqq. — *longas* edd. Put. pr. M. et V. Riv. — Mox ed. Put. M. *emolierit.*

nam Gallos etc. cf. German. c. 28.

quod Britannorum. Sunt qui emendationis causa interponant *et* ante *quod* vel post *quod.* Male. nam *quod* arte cohaeret cum iis, quae ante sunt dicta, neque aliud est quod Britannis olim victis evenit quam quod Gallis. Igitur contextus non patitur *et* ante *quod.* Post *quod* eadem particula inutilis et molesta est ob sequentia: *ceteri manent* etc.

Cap. 12. *curru proeliantur.* cf. Caes. B. G. 4, 24. *essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt.*

factionibus et studiis trahuntur. H. e. per principes huc illuc (in diversas partes) trahuntur, ut ita fiant factiones et diversa studia. Diripiendi notio a verbo *trahuntur* hic certe aliena est. De figura ἓν διὰ δυοῖν quae sit in verbis *factionibus ac studiis* vid. Roth. p. 42.

tribusque. Sic edd. ante Pichenam et nuper Dronk. Hertel. Walch. — *tribusve* ex ingenio edidit Pichena, quem imitati sunt sequentes editores et nuper Bekkerus. Sed hic non requiritur particula quae disiungat, immo quae copulet. Eodem modo dicimus *ter quaterque*, *bis terque* Horat. epod. 5, 33.

conventus. Ernestius malebat *consensus*, quod Lipsius e sua coniectura in margine posuerat. Alii vocem *conventus* eodem significatu accipiunt, ut sit *Uebereinkunft*, *Uebereinstimmung;* quod non inest. Est potius *Vereinigung*, *Zusammenkunft* ad res communi officio peragendas. Festus sub h. v.: *significatur multitudo ex pluribus generibus hominum contracta in unum locum.* Idem vitium vituperatur in Helvetiis Hist. 1, 68. init. et in rebellibus Galliae civitatibus Hist. 4, 70. init.

ita, dum singuli pugnant. MS. Vatic. 3429. et ed. Beckeri omittunt *dum*, non necessariam particulam putavit Broterius; retinent ceteri libri omnes, nec inepte. cf. Iustin. 8, 1. *Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt.*

imbribus ac nebulis foedum: asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, et nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere, sed transire adfirmant. scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque coelum et sidera nox cadit. Solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta patiens, frugum fecundum. tarde mitescunt, cito proveniunt. eademque utriusque rei causa multus humor terrarum coelique. Fert Bri-

asperitas frigorum abest. cf. Caes. B. G. 5, 12. *Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.*

dierum spatia. cf. Caes. B. G. 5, 13. Plin. N. H. 2, 75.

et nox clara. MS. Vatic. 3429. edd. Broter. Seebod. Becker. Hertel. omittunt *et;* habent ceteri libri omnes, nec inepte. cf. not. ad cap. 11.

occidere. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *concidere* edd. Put. pr. M. et V. Riv. Beroald. Alc., quae varietas ob compendium *ɔcidere* (h. e. concidere) facile potuit oriri. De codd. MSS. silentium est.

non erigunt tenebras. Plin. N. H. 2, 10. *neque aliud esse noctem quam terrae umbram.* Quae umbra primo ortu surgit e terra et dein sensim attollitur in coelum. In illis autem terris, de quibus Noster loquitur, umbra manet humilis nec eriguntur tenebrae infraque coelum et sidera nox cadit.

patiens, frugum fecundum. Ita locus erat distinguendus ex auctoritate codicis Vatic. 3429. Ad vocem *patiens* intellige ea quae terris oriri solent (*Gewächse*), ut sententia sit: Oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri solita solum Britanniae non patitur, ceterorum, quae terris oriri solent, patiens est, in primis frugum, quarum non tantum est patiens, sed etiam fecundum. Vulgaris loci distinctio (*patiens frugum, fecundum*) contorta est et miror patientiam interpretum, qui adhuc tolerarunt. Nam si dicis solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta patiens esse frugum, immo fecundum, tum adfirmas solum illud non tantum prodere oleam vitemque et cetera c. t. o. solita, sed etiam frugum esse patiens, immo fecundum (etenim olea, vitis et talia non sunt fruges, sed invicem sibi opponuntur fruges et illa). Verum scimus Tacito dici contrarium, nempe solum esse patiens rerum, quae terris provenire solent, praeter oleam vitemque et cetera c. t. o. sueta: frugum non tantum patiens, sed fecundum.

eademque. Sic editiones veteres et nuper Dronk. Becker. Hertel. Walch. — Contra Oberlin. Weikert. Naudet. Bekker. alii omiserunt copulam *que*, ut videtur, ob *κακοφωνίαν*. Sed ea lege non licet grassari in Tacitum.

tannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. quidam artem abesse legentibus arbitrantur. nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. ego facilius crediderim, naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

XIII. Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti, ut pareant, nondum, ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum.

aurum et argentum. Consentit Strabo 4, 5, 2.: tacet Caesar: negat Cicero ad Att. 4, 16., ad div. 7, 7.

naturam. Intellige naturam, quae bonis margaritis esse solet. Sic Germ. c. 45. *naturam succini.*

CAP. 13. *imperii munera.* Alibi Noster plerumque scribit *munia.* cf. An. 4, 39. 41. 50. 6, 8. Ceterum *imperii munia* duplici sensu dicuntur, et *munia imperantium* ut An. 4, 41., et *munia imperio subiectorum*, uti h. l. Quae sint provincialium officia intelligenda docet Boudicea apud Xiphil. 62, 3. Verbum *obeunt* praecipue ad *munera imperii* spectat. cf. An. 6, 8. 2, 26. Hist. 1, 77. 2, 92. Ad *delectum* ac *tributa* verbum *ἀνάλογον* intelligas veluti *pati*, *tolerare.* *Iniuncta* i. q. imposita An. 4, 39. cf. infr. c. 15. *iniungi delectus.*

igitur. H. e. *demnach.* Errat Hertelius, qui ad h. l. scribit per vocem *igitur* scriptorem, absolutis iis quae de soli natura narraverit, tanquam ad primarium, ad historiam insulae, redire. Nullus hic est reditus, sed continuatio et conclusio e praecedentibus.

primus. Edd. Bipont. Engel. *primum*, ex malo emendandi studio.

Tiberius praeceptum. Sic Lipsius coniecit legendum et Ursinus idem vidit in suo codice. Pichena recepit in marginem, Berneggerus sqq. in contextum. Veteres editiones pro *praeceptum* habent *praecipue*, et Rhenanus interpunxit: *Tiberius praecipue. Agitasse* etc. Priores: *Tiberius praecipue agitasse. C. Caesarem* etc. Dronkius testatur *praeceptum* esse in MS. Vatic. 3429. Contra Broterius: „in MSS. Vaticc. et edd. vett. *Tiberius praecipue.*" Utri igitur credendum? Pro recepta scriptura faciunt loci An. 1, 11. *consilium coercendi intra terminos imperii;* 1, 77. *neque fas Tiberio infringere dicta eius;* 4, 37. *qui omnia facta dictaque eius vice legis observem.*

Agitasse C. Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis transvectis legionibus auxiliisque et adsumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit. domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

XIV. Consularium primus Aulus Plautius praepositus ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae. addita insuper veteranorum colonia. quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox

satis constat. cf. Sueton. Cal. c. 19. et 44. Dio 59, 25.

ni .... fuissent. cf. not. ad c. 4. sub v. *hausisse.*

mobilis poenitentia. Sic editiones omnes. — *mobilis poenitentiae* e MS. Vatic. 4498. Beckerus. — *mobili poenitentiae* MS. Vatic. 3429. — Walchius in referenda codicum MSStorum scriptura falsus est.

ingentes adversus G. conatus. cf. Germ. c. 37. Hist. 4, 15. Sueton. Cal. c. 43. Dio 59, 21.

divus Claudius. cf. Dio 60, 19. sqq. (non 40, 19., uti habent Oberlinus, Dronkius, Hertelius). Sueton. Claud. c. 17.

auctor operis. MS. Vatic. 3429. *auctoritate.* — Idem liber mox *domitiae gentis* pro *domitae gentes* nullo sensu.

monstratus fatis. H. e. designatus, destinatus a fatis, quae iam tunc Vespasianum imperatorem futurum destinabant et rebus in Britannia gestis quasi monstrabant destinatum. — Contortam Ernestii interpretationem Walchius refutavit.

Cap. 14. *A. Plautius.* Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. cf. An. 13, 32. Sueton. Claud. c. 24., Vespas. c. 4. et praecipue Dio 60, 19. sqq. — Vulgari vitio MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum ferunt *Plancius* vel *Plantius.*

Ostorius Scapula. cf. An. 12, 31. 35. 38. sq.

veteranorum colonia. cf. An. 12, 32. 14, 31.

Cogidumno. Sic e MS. Vatic. 3429. edd. Dronk. Becker. cum aliis. — *Cogidunno* MS. Vatic. 4498., quae scriptura suffragatur ei formae, quam recepimus. — *Cogiduno* edd. Puteol. sqq. et nuper Walch. — *Cogiduo* ed. Put. V. Cogidumnum hunc non esse eundem cum Togodumno, qui legitur apud Dion. 60, 20. et 21. contra Schefferum aliosque Walchius satis docuit.

vetere ...., ut haberet ... reges. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *ut vetere .... haberet ... regis* MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum. Dronkius particulam *ut* veteri loco restituit. Sed recte vidit Rhenanus, et satis verisimile est

Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit subactis nationibus firmatisque praesidiis: quorum fiducia Monam insulam, ut viros rebellibus ministrantem, adgressus terga occasioni patefecit.

XV. Namque absentia legati remoto metu Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: nihil profici patientia, nisi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi: e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam

veterem verborum ordinem deberi contortae totius loci interpretationi.

Didius Gallus. cf. An. 12, 15. 40. 14, 29.

officii. H. e. provinciae, quatenus ut officium tradita fuit Didio. cf. Sueton. Tib. c. 63. *manente officii titulo.*

Veranius. cf. An. 14, 29.

subactis nationibus. H. e. eo quod subegit vel subigendo. cf. not. ad An. 12, 17. sub v. *interfectis.* An. 16, 21. *interfecto Thrasea Paeto* etc.

ut viros. Sic MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum, qui e sua coniectura edidit *ut vires*, quod duravit per sequentes editiones omnes, nisi quod Dronkius reposuit *ut viros.* Recte. Nam An. 14, 29. Tacitus expressis verbis insulam dicit *validam incolis et receptaculum perfugarum*, unde facile intelligas viros rebellibus ministratos. Ceterum *vires ministrari* Tacito dici non satis memini: *viros* dixit Hist. 4, 12.

Cap. 15. *ex facili.* cf. not. ad Hist. 3, 49.

e quibus legatus . . . saeviret. Ernestius malebat: *e quibus legatum* (s. legatos) *in sanguinem, procuratorem* (s. procuratores) *in bona saevire.* Nam si nominativi veri essent, debere scribi *saeviat*, non *saeviret.* Fallitur. non enim res in facto posita hic simpliciter narratur (illos saevire in sanguinem et bona), sed dicebant Britanni binos imponi, ut duo essent qui saevire possent, unus in sanguinem, alter in bona (duos imponi, qui saevirent). Quae sententia non debebat enuntiari nisi modo optativo. Walchius putat consilii notionem ab hoc loco esse alienam et rem in facto positam narrari, quia in consilio aliquid sit contorti. At tum recte Ernestius iudicavit legendum esse *saeviat*: nam *saeviret* e Walchii sententia acceptum adversatur latinitatis legibus.

aeque . . . aeque . . . Sunt qui malint *aeque . . . atque . . .* cf. Ernest. et Dronk. ad h. l. Brüggemannus *aeque . . . aeque . . .* elliptice dictum putat, ut intelligas:

subiectis exitiosam. alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere: nihil iam cupi-

„aeque concordiam praepositorum atque discordiam; aeque discordiam praepositorum atque concordiam subiectis exitiosam esse." Qua ratione repudiata Hertelius prodidit: „ubi duae res inter se comparantur, ibi *aeque ... ac;* ubi duo absque comparatione ut prorsus paria ponuntur ibi *aeque ... aeque.* Vernacule dic: *auf gleiche Weise.*" Sed utriusque viri artificium nil efficit. Est hic usitatissima illa ratio oratorie loquendi, qua particula emphasis causa repetitur, omissa copula. cf. Ramshorn. Gr. p. 652. nr. 3. *Aeque* pertinet ad vocabulum *exitiosam*, dicitque Noster aeque exitiosam esse utramque rationem, concordiam et discordiam etc. Oratorie loquenti pro copula repetitur vocabulum *aeque.* Sic infr. c. 25. *simul terra, simul mari.* Horatius epist. 1, 1, 25. *id quod aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque*, quem versum cur verbis ineptis interpolatum censuerit Handius non assequor. Ovid. Metam. 12, 36. *et pariter Phoebes, pariter maris ira recessit.*

alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. Sic MS. Vatic. 3429. teste Dronkio, nisi quod ibi legitur *centurionis*, quae est antiqua scriptura accusativi. Broterius tacet de codd. MSStis. Codex vetus Ursini consentit cum Vaticano. Edd. Put. pr. M. et V. Riv. Beroald. Alc. *alterius manus centurionis: alterius vim* etc. (omissa voce *servos*). Rhenanus *centurionis* mutavit in *centuriones.* Pichena et Berneggerus aliique ediderunt: *alterius, manus, centuriones; alterius, vim et contumelias miscere*, e sententia Salinerii, ut intelligeres: „alterius, scilicet legati concordiam, manus et centuriones procuratori commodare: alterius, id est procuratoris concordiam, vim et contumelias circa praedas et raptus legato permittere." Quae quam sint vana, non est quod doceam. Lipsius emendabat: *alterum manus, centuriones; alterum, vim et contumelias miscere.* Alii alia proposuere minus speciosa. I. Fr. Gronovius diatribe in Statii Silv. IV, 3. p. 411. *ed. Hand.* ita verba divisit: *alterius manus, centuriones alterius vim et contumelias miscere:* eaque ratio ab Ernestio recepta dein placuit plerisque editoribus. Intelligunt: *alterius* (sc. procuratoris) *manus* (h. e. servos cohortemque eius), *centuriones alterius* (sc. legati) etc. Sed nemo unquam exemplis probavit *manus* recte ita dici pro servis, et *alterius manus, centuriones alterius* apte invicem opponi. Nec procuratoris mentio priore, sed posteriore loco erat ponenda, quia paulo ante prior legatus et deinde procurator nominatus est: quare vocabula *alterius ... alterius ...* nunc eodem ordine erunt intelligenda. Inest tamen verbis sana sententia, si legas: *alterius manus centuriones alterius vim et contumelias miscere*, h. e. *des einen Hände die Centurionen mischten des andern Gewaltthaten und Mifshandlungen.* Cogitabis de auxiliis militaribus, quae a legato erant praestanda procuratori in exsequendo officio: *miscere* ibi dicitur, ut saepe, pro eo quod nos dicimus *zurechtmachen, handhaben.* Sed magis placent verba codicis MSti Vatic., quae ita sunt accipienda: *alterius* (legati) *manus centuriones, alterius* (procuratoris manus) *servos vim et contumelias miscere.* cf. Selling. in Observv. p. 13. Quae loci explicatio ne tibi durior videatur propter adpositionem *manus centuriones*, reputa Tacitum more suo duas sententias in unam contrahere. Plenius dixisset: *alterius manus esse centuriones, alterius servos, eosque miscere vim et*

ditati, nihil libidini exceptum. in proelio fortiorem esse, qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus tanquam mori tantum pro patria nescientibus. quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum: et flumine, non Oceano defendi. sibi patriam, coniuges, parentes: illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo vir-

contumelias, vel: *centuriones et servos vim et contumelias miscere, illos ut legati, hos ut procuratoris manus.* Dronkius edidit: *Alterius manus, centurionis alterius servos, vim et contumelias miscere.* Addidit pro explicatione: „Alterius manus sunt procuratoris, et ipsae quidem, non solum servi, neque alia eius cohors; servi autem centurionis sunt legatorum." Quae vix habebunt cui placeant. Beckerus et Hertelius maluerunt haec: *alterius centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere.* At vetus scriptura non est ita desperata, ut atrox illa emendandi ratio excusari possit.

exceptum. Heinsius malebat *exemptum*, secundum Hist. 3, 4. *exemptum discrimini.* At *excipitur* aliquid discrimini, cum ita ponitur, ut discrimen prorsus non cadat in illud; *eximitur*, cum e discrimine iam premente eripitur.

imbellibus. MS. Vatic. 3429. teste Broterio (sed non Maggioranio) *imbecillibus.* Praestat vulgatum: nam *ignavi et imbelles* (synonyma) opponuntur forti viro.

eripi. Heinsius coniectabat: *diripi.* Frustra et male. cf. An. 14, 31. *acerrimo in veteranos odio: quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris* etc.

quantulum. Sic MSS. Vaticc. (teste Broterio) edd. Broter. Becker. Hertel. Errat Walchius, qui *quantulum* tribuit uni codici Vatic. 3429. et studio emendandi, quia *quantum*, quod praeferunt veteres et recentiores editiones, eandem vim usurpet diminuendi. Nam Taciti usus haud dubie est pro scriptura codicum Vaticanorum. cf. An. 3, 54. *quantulum istud est, de quo aediles admonent.* Germ. c. 28. *quantulum enim amnis obstabat.* Dial. de Oratt. c. 29. *obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit.*

transisse. Cave, ne admittas *transisset*, quod Walchio etiam perinde esse videtur. Nam diversa prorsus est utriusque formae vis. *Transisset* rem enuntiat cum conditione et plane contortum est ob sequentia: *si sese Br. numerent?* Altera forma *transisse* vere exprimitur id quod sibi vult ille: quantulum esse qui transierint militum? Quod Walchius provocat ad Hist. 3, 70. *Cur enim e rostris fratris domum — petisset?* spero neminem fore qui putet ibi dici posse *petisse.* nam *cur* nunquam ita cum infinitivo coniungitur. cf. An. 1, 17. 19. 26. etc.

divus Iulius. Divum dici Iulium ab ore hostium offendebat Engelium. Walchius hoc suo more excusat vagis argumentis, quia veram loci rationem non perspiciebat. Nimirum haec non sunt ipsa hostium verba, et quomodo ex hostium ore proficiscebantur posita, sed oratione obliqua e scriptoris

tutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent. plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere.

XVI. His atque talibus invicem instincti, Boudicea, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum: ac sparsos per castella milites consectati expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis. nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria.

sententia atque ore dicta: quare satis licebat scriptori haec ita efferre, ut viderentur enuntiata sensu Romano. Oratione recta Britannos non decebat dicere *divum* Iulium. De loco An. 1, 59. *ille delectus Tiberius*, quem Walchius exempli causa adfert, vide ibi notata.

virtutem. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Becker. Hertel. Vulgo *virtutes*, quod esse in MS. Vatic. 4498. ob Broterii silentium minime adfirmaverim. Recte autem reponimus *virtutem*, quia sermo est de fortitudine maiorum, quo sensu constanter Noster dicit *virtutem*, non *virtutes*. cf. An. 1, 52. 2, 21. 11, 19. 12, 39.; Hist. 1, 83. et alibi.

plus impetus, maiorem constantiam etc. Ernestius cum Acidalio frustra quaerebat vocem, quae poneretur ante *plus*, ut *integris* vel simile quid ex oppositione *miserorum*. Immo inest his verbis argumentum exhortationis praecedentis: *neve ... pavescerent*, h. e. ne in miseria quidem spem abiicerent: nam plus impetus ... penes miseros esse. De vocabulo *impetus* cf. An. 2, 14. Germ. c. 4. Hist. 2, 32. E quibus locis cognoscitur impetum et constantiam non semper esse coniuncta, sed praecipue laudari impetum cum constantia coniunctum.

relegatum. Lipsius malebat: *religatum*. Sed editores bene abstinuerunt ab ea emendatione. Verba *in alia insula* pertinent ad *detinerent; relegatum* dicit exercitum, quia ipsi dii Britannorum miseriti videbantur exercitum Romanum relegasse. cf. An. 2, 82. *ideo nimirum in extremas terras relegatum* (Germanicum). Contemtim ita dici *relegatum* cum Ernestio animadverterunt Dronkius, Hertelius, Walchius.

quod difficillimum fuerit. cf. c. 12. *in commune non consulunt.*

Cap. 16. *Boudicea*. cf. not. ad An. 14, 31. Hic MS. Vatic. 3429. *Voadicca*. MS. Vatic. 4498. *Voaduca*. Edd. vett. *Voadica*. De permutatione litterarum *b.* et *v.* dictum est ad c. 8.

omisit. Hoc reposuit Rhenanus. Priores edd. *amisit*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 14, 26. 15, 5. et 18.

ira et victoria. Ἓν διὰ δυοῖν, ut *ira et dissimulatio* An. 2, 57. Heinsius frustra coniecit: *ira victoris*; Scriverius: *irata victoria*.

Quod nisi Paullinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret: quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat, ne quanquam egregius cetera adroganter in deditos et ut suae quoque iniuriae ultor durius consuleret. missus igitur Petronius Turpilianus, tanquam exorabilior et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior, et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus. et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. sed discordia laboratum: cum adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius fuga ac la-

cognito provinciae motu. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Put. pr. M. Ernest. Broter. sqq. — *eo cognito* etc. edd. Put. V. Riv. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. De MS. Vatic. 4498. Broterius, ut saepe, tacet.

tenentibus etc. Sic Hist. 2, 51. *concedentibus ad victorem* etc. Vid. ibi not.

propius. Sic MS. Vatic. 3429. teste Dronkio (Broterius tacet de utroque Vaticano) edd. Put. pr. M. et V. Riv. Beroald. Alc. et deinde Ernest. Broter sqq. — *proprius* edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Ernestium. cf. An. 2, 77. *propria mandata;* 3, 67. *proprio in metu.* Sed veteres libri poscunt *propius,* h. e. magis ex propinquo. cf. An. 13, 57. *propius audiri;* 2, 70. *quo propius regrederetur.*

agitabat, ne quanquam egregius cetera adroganter in deditos et ut suae quoque iniuriae ultor durius consuleret. missus igitur etc. Sic totum locum e vestigiis veterum librorum esse restituendum pridem intellexeram et nuper confirmavit Walchius. Vulgo edunt: *agitabat, Hic cum egregius cetera . . . consuleret, missus Petronius* etc. At MSS. Vaticc. habent: *agitabat, nequaquam egregius cetera* etc. Idem vitium Mercerus sustulit Hist. 4, 68. Vid. ibi not. Iidem libri cum edd. Put. pr. M. et V. Riv. post *missus* ferunt *igitur*, quod abest ab edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. In qua verborum serie satis apparet *nequaquam* accipiendum esse pro *nequanquam*, ut ita *ne* pendeat e vocabulo *timor.*

tanquam exorabilior et delictis hostium novus etc. E nostra loci correctione haec bene fluunt nec quidquam impedimenti superest. In priorum editionum scriptura dubium erat, quomodo verba coniungerentur aut dividerentur: unde varia interpungendi ratio exorta est, quam nunc noscere non est pretium.

novus. Sic MS. Vatic. 3429. et editiones veteres cum recentioribus. cf. Silius Ital. 6, 254. *terrigena impatiens dare terga novusque dolori.* — MS. Vatic. 4498. *novis.*

tebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis precario mox praefuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina. eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

XVII. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numero-

indecorus. MS. Vatic. 3429. edd. Becker. Hertel. *indecoris*, quam formam vide apud Virgil. Aen. 11, 845. et alibi saepe. Sed in Taciti libris constanter est *indecorus*, *a*, *um*.

ac velut pacti etc. In diversas partes hic abeunt interpretes atque editores. Alii post *salutem* plenius interpungunt (Rhenan. sqq. et Bekker. al. per (.), Broterius, Oberlin. sqq. per (:)), ut sequentia *haec seditio . . . stetit* per se constent. Ad verbum *pacti* intelligunt *sunt:* qua ratione nihil intolerabilius inveniri potest, nec ullum abrupte et contorte dicendi exemplum apud Nostrum exstat huic simile. Aliquo saltem vinculo illae sententiae erant iungendae, et dicendum: *Ita haec seditio* etc. vel simile quid. Quare alii rectius dividunt ita, ut verba: *haec seditio* sqq. efficiant apodosim. Ad verbum *pacti* intelligitur *essent.* Cuius ellipsis exempla vide An. 1, 9. *quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus.* Ibid. c. 65. *cum apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces.* Hist. 4, 34. *tanquam perditae apud Romanos res.* Vides hanc rationem non ita esse absurdam ac Walchius nimia cum fiducia pronuntiavit. Ipse hic emendat: *ac veluti pacti, exercitus licentiam, dux salutem: h o c seditio sine sanguine stetit.* Sed *haec* e nostra locum dividendi ratione bene se habet: nam distinguitur ita *haec seditio* a priore tumultu, qui multo sanguine steterat.

Vettius Bolanus. Edd. vett. *Vectius Volanus.* De MSS. Vaticc. silentium est. cf. not. ad c. 8.

eadem inertia. Dissentit Noster a Statio Sylv. 3, 2, 53. Sed is poeta.

Cap. 17. *reciperavit.* Sic edd. Lips. sqq. ex usu Taciti, quem ubique fere praefert cod. MS. Florent. — *recuperavit* MS. Vatic. 3429. et edd. ante Lipsium, nuper edd. Dronk. Becker. Hertel.

Petilius Cerialis. Sic edd. Lips. sqq. cf. c. 8. et An. 14, 32. Hist. 3, 59. 77. et alibi. — *Cerealis* edd. ante Lipsium. — *Caerealis* MS. Vatic. 3429.

Brigantum. Sic edd. omnes. cf. An. 12, 32. Hist. 3, 45. — *Bregantium* MS. Vatic. 4498. — *Bregantum* et mox *Bregantium* MS. Vatic. 3429.

sissima provinciae totius perhibetur, adgressus. multa proelia, et aliquando non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorumque difficultates eluctatus.

perhibetur. Ed. Put. Ven. *prohibetur*, vitio operarum: nam ed. Put. Med. habet *perhibetur*, ut ceteri libri.

amplexus est. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Becker. et Hertel. — Vulgo omittitur *est*, quod rectius restituitur. Nam subintelligi id durum videtur, et participiorum series continuari apte nequit ob interposita: *multa proelia, et aliquando non incruenta.*

et cum Cerialis. MS. Vatic. 3429. omittit *cum*, quod vix omitti potest. Nam ut *cum* omitteres, post *obruisset* debebat pergi: *Iulius Frontinus tamen molem sustinuit* etc.

alterius successoris. Ernestius ad h. l. „Friget *quidem*, nisi *alter successor* diversus a Iulio Frontino. Id ni sit, putem verum esse *cuiusvis* vel *cuiusvis alterius.*" Est vero *alter successor* haud dubie i. q. alius, diversus a Frontino. cf. Hist. 2, 90. *Tanquam apud alterius civitatis senatum.* Vid. ibi not. Supra c. 5. *quae cuncta etsi consiliis ductuque* a l t e r i u s *agebantur.* Sueton. Iul. c. 61. *nec patientem sessoris* a l t e r i u s. Igitur sententia loci est: si Cerialis alium successorem (scil. non ita strenuum et magnum virum, quam fuit Iulius Frontinus) habuisset, obruisset curam eius famamque; at Iulii Frontini fama non est obruta, quia et ipse ille vir magnus sustinuit quoque molem etc. Walchius contorte: *Wiewohl Cerialis auch eines andern, d. h. gröſsern Nachfolgers Ruhm hätte verdunkeln können, leistete doch auch Frontinus seinem Amte Genüge.* Minime vero. Haec neque verbis insunt, neque cadebat ea contumelia in Cerialem. Sunt aliae huius loci explicandi viae contortiores, quas noscere non est pretium.

obruisset. Sic edd. Put. Med. Ven. sqq. — *obruisse* ed. Put. pr.

quantum licebat. Dronkius et Hertelius cum Boxhornio haec referunt ad praecedentia *sustinuit belli molem*: „sustinuit molem non tanta quidem cum gloria, quam Petilius consequutus erat, sed quantum post illius facta fieri licebat." Oberlinus ad antecessorem Cerialem: „quantum licebat ob huius virtutem et gloriam." Sed ita verba: *quantum licebat* alieno posita sunt loco. Ubi nunc leguntur, non possunt referri nisi ad *vir magnus.* Nimirum illis temporibus non licebat tantum esse virum, quantus pro indole et animi viribus in libera re publica fuisset futurus. Nam etiam sub bono principe sunt certi fines, quibus magnitudo civis circumscribitur, ne excedat, et fortissimis viris rebus gerendis gloriam quaerere eatenus tantum licet, quatenus placet principi.

validamque. Sic edd. Put. M. Riv. Beroald. sqq. — *validasque* ed. Put. pr. — *validansque* ed. Put. Ven.

locorumque. Sic veteres editiones. cf. not. ad An. 1, 28. Etenim *que* hic ponitur pro *quoque*, quod

XVIII. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit. cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem uterentur, Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia, ut quibus bellum volentibus erat, probare

pro *que* posuerunt Rhenan. Ald. sqq. — Beckerus et Hertelius restituerunt *que*, neque tamen satis recte locum explicuerunt.

eluctatus. cf. Hist. 3, 59. *vix quieto agmine nives eluctantibus.*

Cap. 18. *invenit. cum et milites* etc. Vulgo interpungunt: *Hunc .... invenit, cum .... verterentur Ordovicum* etc. At verba: *Hunc .... invenit* constant per se. Sequentia: *cum et milites* etc. rationem reddunt, quomodo factum sit, ut Ordovicum civitas alam obtriverit.

uterentur. Sic MS. Vatic. 3429. Recte. cf. not. ad An. 16, 27. Nam quod Beckerus animadvertit, ut *uterentur* retineatur, scribendum esse: *cum velut omissa expeditione et milites ad securitatem et hostes ad occasionem uterentur*, eius rei necessitatem video nullam. nec particula *velut* vetabit codicis Vatic. scripturam, quod putat Hertelius. nam *velut omissa expeditione* Noster brevius dicit pro: *eo statu, quo omissa expeditio videretur.* Vulgo editur *verterentur*, quod vix exemplo poterit defendi: nec credo dici posse *verti ad occasionem* pro intentum esse occasioni. Quod Walchius dicit de zeugmate, nihili est: nam ad remotiora verbum ἀναλόγως saepe intelligitur, non item ad ea vocabula, quibuscum arte est coniunctum.

erecta. cf. not. ad An. 3, 7. Intellige: ad spem reciperandae libertatis. Sic An. 14, 57. *erectas Gallias ad nomen dictatorium.*

ut quibus bellum volentibus erat. Sic edd. Put. sqq. et nuper Dronk. Walch. et I. Bekkerus. — *et quibus* etc. MS. Vat. 3429. edd. Broter. Ernest. sqq. — Lipsius volebat: *eoque initio erecta provincia, ut quibusque* etc., quod mire commendatur per exemplum An. 1, 59. *Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.* Sed eadem sententia inest vulgatae scripturae, in qua *ut quibus* dictum est pro *ut aliquibus* vel *ut quibusque:* nam ita Noster sexcentis locis posuit *ut quis* pro *ut quisque.* cf. An. 2, 73. *ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.* Similia sunt An. 2, 83. 4, 23. 36. Walchius formulam *ut quibus* accipit pro *quippe quibus*, docetque *quibus* ita ad *provinciam*, cui insit multitudinis notio, apte referri posse. Sed frustra laboravit, ut excusaret constructionem *ut quibus .... erat* pro *esset.* nam quae attulit pro ea re, minime sufficiunt, et spero nunquam fore qui satis excuset. cf. Hist. 2, 12. *ut quibus .... neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium.* Sueton. Octav. c. 66. *ut qui nunquam .... sustinuerit*, aliaque exempla multa, quae Baumgarten-Crus. colligit in Clav. Suet. p. 797. Nimirum si eo nexu causali, qui nostro loco est, per *ut qui* verba subiunguntur, latinitas semper poscit subiunctivum. Quod Broterius et Ernestius e cod. Vatic. repetierunt *et quibus*, propterea tolerari nequit, quod sententiam

exemplum, ac recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quanquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit: contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. caesaque

praebet multo minus aptam loco. Iubet enim intelligi quosdam, qui bellum non cupiverint in erecta provincia: qui licet fuerint, id nunc non intererat scire.

ac recentis legati. Sic libri vett. et nuper edd. Dronk. al. — Rhenanus tacite edidit *aut recentis* etc., quod Walchio unice verum videtur. Sed qui probant exemplum, iidem sunt, qui recentis legati animum opperiuntur. Probant enim exemplum, h. e. animo et confessione in Ordovicas inclinant eorumque partibus favent; at quia non satis confidunt, antequam recentis legati animum cognoverint, a bello incipiendo abstinent atque recentis legati animum opperiuntur. Igitur *ac* eadem vi adversativa utitur (*ac tamen*), qua saepius ponuntur particulae copulandi. cf. not. ad An. 1, 13. Particula *aut* iubet intelligi alios exemplum probasse non ante cognito legati animo, alios legatum exspectasse exemplo non probato: quod dicere Tacito non in animo fuit.

opperiri. Edd. Alc. Rhen. Micyll. *operiri.* — ed. Ald. *operi.*

transvecta. Sic MS. Vatic. 3429. et edd. ante Rhenanum, qui posuit *transacta.* Veterem scripturam reduxerunt Dronkius sqq. cf. Hist. 2, 76. *abiit iam et transvectum est tempus.*

numeri. cf. not. ad Hist. 1, 6.

tarda .... inchoaturo. Haec verba tanquam e voce *quanquam* non pendentia Walchius circumdedit parenthesi. Verum sunt haec in adpositione eius generis, de quo dictum est ad An. 1, 27. — MS. Vatic. 3429. *incohaturo.* cf. not. ad Hist. 4, 41.

custodiri .... videbatur. Haec non sunt pro *custodienda videbantur*, uti adfirmavit Walchius: sed infinitivus *custodiri* fungitur vice substantivi, ut saepissime, et *potius* est adiectivum. cf. An. 15, 20. *emendari quam peccare posterius est.* De verbo *videri* ita posito cf. An. 11, 9. *potiorque Bardanes visus retinendo regno.* — Eodem errore Walchius locum Hist. 3, 56. *cum fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret* accepit dictum pro *adgrediendos esse.* Immo idem ibi est infinitivus substantivi vice fungens, et *in aperto esse* quid sit, docuimus supra ad c. 1.

legionum vexillis. De his vid. not. ad An. 1, 38.

degredi. Sic e coniectura Acidalii edd. Pichen. Bernegg. sqq. Recte. nam contextus hoc poscit, quia sermo est de descendentibus in aequum. cf. not. ad An. 4, 49. — *digredi* MS. Vatic. 3429. edd. ante Pichenam, et nuper Dronk. Becker. Hertel., illi scilicet ob auctoritatem codicis MSti. Sed veteres libri in hoc genere saepius peccant, quam ut iis fides sit habenda.

erexit aciem. cf. infr. c. 36. Hist. 3, 71. et 4, 71. Liv. 1, 27. et 3, 18.

prope universa gente, non ignarus instandum famae, ac, prout prima cessissent, fore terrorem ceteris, Monam insulam, a cuius possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque

non ignarus etc. Ob similitudinem sententiae conf. Hist. 2, 20. *gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* An. 12, 31. *ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni.* An. 13, 8. *qui ut famae inserviret, quae in novis coeptis validissima est.* — In sequentibus edd. vett. cum recentioribus habent: *ac, prout prima cessissent, fore universa.* At MS. Vatic. 3429. teste Broterio: *cessissent, terrorem ceteris fore,* omissa voce *universa;* teste Dronkio: *terrorem caeteris fore universa.* Quam scripturae varietatem Walchius contemtim refutat ut glossema e margine in contextum receptum. Beckerus et Hertelius maluerunt edere, quae Broterius prodidit e codice Vatic. Et si licet hunc locum comparare cum similis sententiae locis, quos paulo ante excitavimus, apparet similiora illis haud dubie esse verba codicis MSti. Immo vana est scriptura vulgata. nam quis unquam audivit solere, prout prima cesserint, esse universa. Hoc tantum abest a vero, ut in permultis rebus universa valde discrepent a primo initio. Quare nihil cunctatus sequor duumviros, qui codici MSto obtemperarunt. Iam vocabulum *universa* potuit huc irrepere e versu proximo priore: potuit vero etiam Tacitus scribere: *terrorem fore in universa.* Nam praepositio *in* per compendium scripta *ī* saepissime in vett. libris excidit.

cuius possessione. De vocabulo *possessione* cf. not. ad An. 2, 5. Edd. Bipont. Engel. al. ante *cuius* addunt *a* et contra veterum librorum auctoritatem et frustra. cf. Virgil. Georg. 4, 88. *ubi ductores acie revocaveris ambo.* Liv. 36, 25. *oppugnatione absisteret.* Tac. An. 6, 23. *extractum custodia;* 1, 41. *progrediuntur contuberniis.*

sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio etc. *Dubia consilia* sunt, quae an eventum sint habitura, adhuc incertum est. Nimirum Agricola cum contra Ordovicas iret, non poterat non dubius esse, an Monam insulam mox adgrederetur: nam res pendebat ex belli contra Ordovicas suscepti exitu. Quare ut in dubiis consiliis naves non paraverat ad expeditionem, quippe incertam; unde factum est, ut peracta contra Ordovicas expeditione, cum instandum famae censeret, naves deessent. Viri docti igitur in emendando loco operam perdiderunt. Acidalius more suo transponebat: *naves deerant: sed, ut in dubiis consiliis, ratio* etc. Io. Fr. Gronovius probante Ernestio: *sed, ut in subitis consiliis, naves deerant.* Vir doctus in Ephem. lit. Ien. a. 1816. p. 74. *sed, ut in dubiis consiliis (naves deerant), ratio et c. d. tr.* Sellingius in Observv. pag. 14 sq. particulam *ut* pro adverbio temporis accepit: *Als aber in der Verlegenheit keine Schiffe da waren,* de cuius interpretationis veritate nemini persuadebit.

patrius nandi usus. Haec ad

et arma et equos regunt, ita repente inmisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est. sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

XIX. Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. a se suisque orsus primam domum suam coercuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam

Germanos imprimisque Batavos spectant. cf. Hist. 4, 12. An. 14, 29. *naves.* MS. Vatic. 3429. *navis,* antiqua forma.

qui mare exspectabant. I. Fr. Gronovius explicat: „qui sibi persuaserant ipsum mare pro muro ipsis fore atque accessu prohibiturum Romanos." Consentiunt Dronkius, Hertelius, Walchius. At alia prorsus sententia inest. *Exspectabant mare*, h. e. exspectabant hostem venturum non a terra continenti per vada et freta inter Monam insulam et litus Britanniae sita, sed per mare vastum insulam circumfluens cum classe et navibus. Vix memoratu digna est coniectura Bipontinorum: *qui mare respectabant.*

invictum. H. e. quod vinci nequit. cf. Germ. c. 20. *inexhausta pubertas.* Heinsius frustra coniecit: *invium.*

laureatis. Intell. *litteris.* cf. Liv. 5, 28. Brodaei Miscell. I, 33.

Cap. 19. *experimenta.* MS. Vatican. 3429. (test. Dronk.) *exempla,* in margine *experimenta,* cuius discrepantiae Broterius mentionem non fecit. Illud receperunt Becker. et Hertel. Perperam. cf. An. 12, 14. 13, 24. 15, 24. dial. de oratt. c. 34.

excidere. Sic edd. vett. et recentt. omnes inde ab Ernestio. — *exscindere* sive *excindere* edd. Ald. Lips. sqq. ad Ernestium. Placet illud, tropus enim ab radicibus ductus est. cf. Interpr. ad Cicer. de senect. 6, 18. Beneke ad Iustin. 8, 3, 11. Eadem varietas est Hist. 5, 16. alibi, vide Beier. ad Cic. Offic. 1, 22, 76.

primam. Sic edd. vett. et inter recentt. Broter. Ernest. Oberlin. Dronk. Becker. Hertel. Walch. — *primum* edd. Francof. ann. 1542. Micyll. (1557.) I. Fr. Gronov. Ryck. Iacob. Gronov. [Imm. Bekker.]. Utrumque recte dici potest.

coercuit e Rhenani correctione edd. Ald. sqq. — *coerāt* edd. Put. pr. Mediol. — *coerant* ed. Put. Ven. — *coerceant* edd. Beroald. Alc.

provinciam regere. nihil per libertos servosque publicae rei: non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem

nihil per libertos servosque publicae rei. Sic libri vett. omnes; sed quum *agere* verbum intelligendum esse Rhenanus, idque ob praecedens *regere* excidisse Ernestius censuissent, edd. Bipont. Oberl. Seebod. Becker. (uncisis circumpositis) in verborum contextum id receperunt, sed collocarunt pessime sic: *agere nihil* cet., quum scribi debuisset aut *nihil agere* aut *nihil per libertos agere*, ut An. 12, 40. *per ministros agere.* Recte veterem scripturam restituerunt nuperi edd., ut Dronk., cui tamen contra animi leges et omnino *ἄλογον* hoc genus dicendi videtur; Hertel., qui certum aliquod verbum scriptori non suffecisse scribit, nullum igitur positum esse; Walchius, qui *agere* verbi ellipsim, qua nihil frequentius, multis confirmavit exemplis. cf. not. ad An. 1, 32. sub vv. *quod neque disiecti* cet. [Item l. Bekker.]. Vide Selling. observ. crit. p. 16. Schedius novam excogitavit rationem hanc: *quam provinciam. Regere nihil per lib.* Groslot. correxit: *nihil per lib. servosque publice geri.* — Pro *libertos* in MS. Vatic. 3429. exstat *liberos*, confusione pervulgari. — *per* om. ed. Ald.

precibus centurionum milites ascire. Sic edd. Puteol. pr. Med. Ven. Alc. Rhen. Ald. Lips. primi. (1574.) Pichen., inter recentt. Hertel. Walch. [Bekker.]. — *adscire* edd. Lips. Ryck. Brot. Ernest. — *accire* Bipont. Oberl. Dronk. Becker. alii — *nescire* MS. Vat. 3429. (t. Dronk.), vitiose. Probanda est veterum librorum scriptura, si quidem Tacitus de militibus e tironum numero, ex adscriptivis, accensis, ferentariis (cf. Nonius v. *legio*) in legionum cohortes adsumendis promovendisque loquitur. Nam auctore Varrone in fragm. apud Nonium v. *Optiones: referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, ut semper plenae essent legiones.* Qua in re usurpari *ascire* verbum docent loci a Walchio excitati An. 1, 3. Hist. 4, 24. 80. Vides mendasse potius quam emendasse locum Boxhornium, qui correxit: *centuriones militum ascire* (scilicet centuriones *optantur*, *eliguntur*); Ernestium, qui Tacitum *expeditionum comites* scripsisse opinatur, sermonem enim esse non de re militari, sed de disciplina domestica; Danesium, qui *centurionum comites adsciscere* scribi voluit. cf. Walch. ad h. l. — Pro *precibus* in ed. Put. Venet. exaratum est *precipibus.*

optimum quemque fidelissimum. Cf. Sall. Cat. 59, 3. *ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit.* *Optimus* dicitur fortissimus, ut docuerunt interpr. ad Sall. l. l. Pro *fidelissimum* ex MS. Vatic. 3429. auctoritate Beckerus scripsit *fidissimum*, non satis recte, quanquam firmatum illud videri possit Cicer. Phil. 10, 11, 24. *exercitus fidissimus et constantissimus*; Tac. Hist. 2, 46. *fidissimum exercitum*; Ammian. Marcell. 20, 5. *propugnatores ... fortes et fidi*, sed vide tu An. 15, 67. *nec quisquam tibi fidelior militum*; Liv. 24, 47. *opera eorum* (Hispanos dicit) *forti ac fideli persaepe res publ. usa est*; id. 22, 60. *haberetis — millia fortia ac fidelia.* De utriusque vocis discrimine vid. Drakenb. ad Liv. 33, 28, 13.; eandem confusionem reperimus An. 3, 1.

severitatem commodare. Neque zeugma neque dicendi auda-

commodare: nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse. officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, cum peccassent. Frumenti et tributorum auctionem aequalitate

ciam in his agnosco cum Walchio. Nequit enim cogitari de benigne praebente et concedente, sed intelligendus est promptus ad praebendum, et plane vocabulum respondet nostro: *mit etwas dienen, bei der Hand sein*; ut transferendus sit locus: *leichten Vergehungen diente er mit Verzeihung, grofsen mit Strenge.* Licet conferre Ovid. Amor. 1, 8, 86. *commodat illusis numina surda Venus;* Stat. Theb. 4, 76. *commodare alicui iras*; Senec. Med. 907. *scelera.* — Similiter zeugma verbis *nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse* inesse Ernestius suspicatus est, *uti* intelligens, sed perperam, *contentus* iungas cum *poena.* Sententia haec est: Agricolam saepius acquievisse in poenitentia, nec semper opus fuisse poena, ut contentus esset. Bene vertit Boetticherus: *auch dann strafte er nicht immer, oft genügte ihm Reue.*

potius non peccaturos praeponere. Sic e MSS. Vatic. 3429. et 4498. Broter. Ernest. Bip. Seebod. Becker. Dronk. Hertel. Walch. [I. Bekker.]; idemque verborum ordine immutato *praepon. potius non peccat.* in codice reperit Ursinus, qui in alio libro *praeficere* scriptum esse testatur. Illud coniecit Muretus, hoc probavit Pichena cum censore in ephem. lit. Ienens. a. 1816. p. 74. Edd. vett. omnes *praeponere* verbum omiserunt ad Lipsium usque, qui *praeficere* verbum deesse margini adscripsit. Alii alia coniecerunt scribenda, I. Fr. Gronov.: *imponere non peccaturos*, Heinsius: *potiri* vel *officii et administrationis potiri.* In tam praeclaro Vaticanorum librorum consensu quomodo cum Doederleinio Sellingius verbi ellipsim defendere potuerint non assequor.

tributorum auctionem. Sic MSS. Vatic. 3429. in textu, 4498. in margine, edd. Put. pr. Mediol. Venet. Alc. Rhen. Ald., recentiores Broter. Doederlein. Dronk. Becker. Walch. — Rhenan. (in castigatt.) Lips. Acidal. suaserunt *tributorum exactionem*, receperunt Ernest. Bipont. Oberl. Bekk. Hertel., eandem scripturam exhibuerunt MSS. Vaticc. 3429. in margine, 4498. in textu. Ex Vaticanorum librorum fluctuatione veterem esse scripturae discrepantiam recte colligimus. Utrumque probabile est, nam si receperis *exactionem*, sententia haec erit: exactionem tributorum, rem cuivis provinciae molestissimam, eo mollivit, quod inaequalitatem munerum, quippe quae prius provinciales offenderit cummaxime, tolleret et unicuique pro opibus ea imponeret. *Auctionem* ubi servaveris ex editionibus veteribus, intelliges auctionem tributorum a Vespasiano provinciis recenti memoria imperatam. Narrat enim Sueton. Vespas. c. 16.: *non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis nonnullis et duplicasse.* Adde Xiphilin. 66, 8. Eam vero auctionem, utpote graviorem multo et molestiorem rem, si mitigare aliquatenus studuit Agricola, maiori vertendum erat laudi, quam si idem fecisse eum in exactione, iusta scilicet et legitima, tradidisset Tacitus. Acquiescendum igitur duco in scriptura vulgata. Eadem varietas An. 13, 51.

aequalitate munerum. MS. Vatic. 3429. (test. Dronk.) *in aequalitatem*, unde nata est Beckeri suspicio: *tributorum auctionem et in aequalitatem munerum mollire.* Acidalius et Muretus *aequitate*

munerum mollire, circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. namque per ludibrium adsidere clausis horreis et emere ultro fru-

scripserunt sine idonea causa; Heinsius, ut solet, temere correxit: *aequa* (vel *aequabili*) *vilitate imminuere et mollire*, vel *imminutam mollire.* — Pro *munerum* Puteolani edd. omnes et Beroald. operarum errore exhibent *numerum. munera* intellige officia, quae praestantur, vectigalia, tributa, quae imperata sunt. Omnino vero sententia haec est: frumenti et tributorum auctionem ab Agricola ita mollitam esse, ut, quod posceretur amplius, aequa lege dispertiret inter omnes, nec quicquam remitteret iis, qui aut praesidis gratia aut manca exactionis formula minus dederant.

circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tr. gr. tol. Edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. *circumcisis in quaestum reperta, quae* etc.; ed. Riv. *circumcisis quae in quaestum reperta, quae;* transposito pronomine relativo emendavit locum Rhenanus, quem sequuti sunt editores omnes praeter Pichenam, qui *repertis* malebat contra latinitatem.

per ludibrium adsidere clausis horreis etc, *Clausa horrea* utrum sint Romanorum an provincialium intelligenda, inter interpretes disceptatur. Omnium accuratissime de hoc loco disputavit Walchius, quem si sequimur, horrea hic sunt Romanorum, in quibus frumenta a provincialibus in Britannici et Germanici exercitus usum empta adservarentur. his Romanorum horreis Britanni adsidere per ludibrium cogebantur empturi frumentum, si quando aut ob annui proventus sterilitatem aut ob frumenti copiam agrorum vires excedentem ipsis imperatam penuria laborarent. quando vero ex horreis istis emendicantes quasi immenso pretio sibi paraverant frumentum, idem pretio statuto eoque minore vendere Romanis cogebantur, ut frumentum imperatum praestarent. Vertit is igitur: *denn wie zum Hohn waren sie an verschlossenen Scheuern zu harren und Getraide von selbst zu erhandeln, und um Gesetztes abzulassen genöthigt.* At enim vero quid sibi velit illud *von selbst* (*ultro*) in tali verborum serie vix apparet; ea vocis significatio ab hoc loco prorsus est aliena, nam quomodo tandem is, qui ultro i. e. sua sponte emit frumentum, poterit quereri. est potius *ultro* accipiendum pro *amplius, insuper, praeterea*, scriptorque indicavit qua ratione vexati sint Britanni. Qui imperata frumenta ad Romanorum horrea asportaverant, per ludibrium detinebantur, dum acciperentur frumenta (*adsidere clausis horreis*), quid quod etiam aut alia indicebantur horrea, ad quae ferrentur frumenta (*devortia itinerum et longinquitas regionum — deferrent*), aut omnino frumenta ab civitatibus adlata improbabantur. Quas molestias ut vitarent, malebant provinciales sua frumenta retinere et ultro emere a Romanis, pretio tamen grandiore, quia vecturae sumptus aestimabantur. Neutiquam vero sermo est de provincialium horreis ab publicanis vel praefectis clausis. Ad nostri loci comparationem adpositi sunt Ciceroniani in oratt. Verrinar. act. II. lib. 3. c. 72.: *civitatum frumentum improbare, suum probare; cum suum probasset, pretium ei frumento constituere: quod constituisset, id civitatibus auferre;* ibid. c. 77.: *permultos aratores in alteras decumas et in haec octingenta millia modium, quod emptum populo Romano darent, non habuisse, et a tuo procuratore . . emisse;* cap. 82.: *instituerunt* (*avariores magistra-*

menta, ac vendere pretio cogebantur. devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

XX. Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur.

tus) *semper in ultima ac difficillima adportandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent.* Aliorum interpretum commenta si desideras cognoscere, adeas Walchium. Pro *ludibrium* in ed. Put. Venet. est *ludibrum* — pro *vendere pretio* in MS. Vat. 3429. *ludere pretio* scriptum esse testantur Broter. et Dronk. Coniecturis tentarunt locum sanare Muretus: *pendere pretium*, quod Acidalius probat; Virdungus: *vendere praedia;* I. Fr. Gronov.: *vendere parvo*, quod Lamallio placuit. Non opus; *vendere pretio*, sc. eo pretio, quod erat aestimatum, statutum frumentis imperatis. cf. not. ad c. 11. sub vv. *corporibus habitum dedit.*

devortia itinerum. Sic edd. Lips. sqq. — *divortia* MS. Vat. 3429. edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et nuper Hertel., cui fortius hoc videtur melius. Sed derivandum est a *devertere* h. e. a via ordinaria deflectere (sic Drakenb. ad Liv. 1, 51.), ut An. 13, 25. *deverticula.* [cf. Ruhnken. dict. in Terent. p. 122. Ernest. Clav. Cic. p. 382. Giese ad Cic. de divinat. I, 27, 57.]

a proximis hibernis. a praepositionem MS. Vatic. 3429. omisit. cf. not. ad c. 18. sub vv. *cuius possessione revocatum.*

deferrent. Sic edd. vett. omnes; *referrent* edd. Ernest. Oberl. Bip. al., typothetarum, ut videtur, errore.

donec ... paucis lucrosum fieret. Loci sententiam non assequutus est Ernestius. Quod omnibus in promptu est, inde nemini lucrum nasci solet, malis vero procuratoris eiusque ministrorum artibus factum est, ut sibi lucrosum fieret frumentum, licet eius penuria nullibi esset.

Cap. 20. *famam paci circumdedit.* Locutio a Graecis quoque scriptoribus usurpata (vid. Walch. ad h. l.) apud Tacitum recurrit Hist. 4, 11. *qui principatus inanem ei famam circumdarent;* dial. de oratt. c. 37. *hanc illi famam circumdederunt.* cf. Ulit. ad Gratii Cyneg. v. 10. *altaque circum Firmamenta dedit.*

vel incuria vel intolerantia. Sic e MS. Vatic. 3429. ediderunt Dronk. Becker. Hertel. Vulgatum est a Rhenano *vel tolerantia.* Edd. Put. pr. Med. Venet. Beroald. Alc. *vel* particula omissa *vel incuria intolerantia;* ed. Riv. *vel in curia vel tolerantia.* Rhenani correctionem servari volebat Walchius, cum Virdungo intelligens *incuriam* (*Unachtsamkeit*) praesidum in ministrorum facinora non inquirentium, *tolerantiam* (*Schlaffheit*) eorundem ad delicta suorum conniventium. Sed loquitur Tacitus de pace, quae haud minus quam bellum timebatur vel ob incuriam priorum, qui provincialibus illatas iniurias minus curaverant, vel ob intolerantiam eorum, qui ab Agricolae moribus diversi omnia exsequebantur, peccatis non veniam dabant, poenitentia non con-

Sed, ubi aestas advenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, disiectos coercere: loca castris ipse capere: aestuaria ac silvas ipse praetentare: et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur. atque, ubi satis terruerat, parcendo rursus inritamenta pacis ostentare. qui-

tenti erant. Eo vero significatu recte dici *intolerantiam*, docent loci An. 3, 45. *intolerantior servitus iterum victis*; 11, 10. *subiectis intolerantior*. cf. Gronov. ad An. locum priorem. [I. Bekkerus *tolerantia*.]

militum in agmine laudare modestiam. Emendationis auctor Rhenanus, cuius verba adpono: „Posset sic quoque legi, imo sic legendum est, *contracto exercitu, militum in agmine* etc.", eam comprobarunt Lips. Gronov. Ernest. Bipont. Oberlin. Seebod. Walch. [et nuperrime I. Bekkerus]. Edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. *multum in agmine: laudare modestiam*; edd. Alc. Rhen. (1533.) Ald. *multum in agmine laud. mod.* (interpunctione deleta); MS. Vatic. 3429. (testibus Broter. et Dronk.) et vetus cod. Ursini *multus in agmine*, *laud. mod.*, quam scripturam admiserunt Broter., la Bletterie, Dronk. Becker. Hertel. Videamus singula. Quod in codicibus scriptum est, possit firmatum videri locis similibus, velut Agr. c. 37. *frequens ubique Agricola*; An. 14, 56. *rarus per urbem*; Hist. 3, 7. *alacres veniunt*; 3, 47. *subitus irrumpit*; Germ. c. 6. *rari utuntur gladiis*; Sallust. Iug. c. 96. *in agmine atque ad vigilias multus adesse*, sed repugnat id in tali verborum nexu latinitati (placeret fortasse *multus in agmine adesse*, *laud. mod.*) et sententiam habemus si non ineptam, at certe supervacaneam, si quidem imperator semper versatur in agmine, apud exercitum. Nec probabile est absolute positum *laudare modestiam*; quod perspiciens Broter. legendum putavit: *multus in agmine*, *militum laudare modestiam.* Eadem ratio adversatur vett. edd. scripturae *multum .. laudare mod.* Egregie igitur his difficultatibus consuluit Rhenanus, cuius correctione et membrorum augetur concinnitas et sententia exsistit aptissima. Uti *laudare* et *coercere* verba invicem sibi opposita sunt, ita *milites in agmine* et *disiecti*, qui ab agmine discedunt et rapiendi causa circumpalantur. Recte vertit Boetticherus: *lobte die Mannszucht der Krieger auf dem Marsche, hielt die sich Zerstreuenden zusammen.* Multos esse locos, in quibus vocabula *militum* et *multum* confundantur, adnotavimus ad An. 15, 29. Hist. 1, 12.

praetentare. Sic edd. Rhen. sqq. — *praetemptare* MS. Vatic. 3429. edd. vett. ante Rhenanum. Significat: ante scrutari, ut apud Suet. Octav. c. 35.

quo minus .. popularetur. sc. Agricola, id enim verba sqq. *ubi satis terruerat* docent. Eandem *quo minus* formulae rationem vide An. 2, 10. 40., infra cap. 27. *nihil ex adrogantia remittere*, *quo minus iuventutem armarent.* cf. Walch. ad h. l. Cum Dronkio Hertelius explicat: quo minus hostis subitis excursibus popularetur agrum s. castra Romana. Male, nec melius Dahlius animadv. p. 13. scribendum censet aut *popularentur* aut *apud hostem* pro *apud hostes.* Fuerunt etiam, qui *populari* verbum passivo acciperent significatu, quod non latinum est; quamvis particip. *depopulatus* passive usurpatum sit a Caesar. B. G. 1, 11. Iustin. 42, 2, 1.

inritamenta pacis. Cf. Hist. 2, 62. *inritamenta gulae*; Quintil. Inst. 1, 1, 26. *irritandae ad discen-*

bus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis ca-

dum infantiae gratia. Nil igitur opus est Acidalii coniectura *invitamenta*, quae probata est Lipsio et Buchnero, vel *imitamenta*, h. e. pacis speciem quandam. Illud Broterio quoque placuisset, si libri faverent; falsa autem de eo tradit Walchius.

ex aequo egerant. Cf. Hist. 4, 64. *sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperitabitis*; An. 15, 13. *pacem ex aequo utilem*; Germ. c. 36. *ex aequo socii.* Intellige eos, qui in bello pares fuerant Romanis, invicti neque in eorum potestatem redacti, liberi ergo et sui iuris. Si spectamus oppositum *iram posuere*, reiicienda est Oberlini explicatio: obsequium detrectare; et speciosius quam verius interpretatur Walchius: pro defendenda libertate, quantum vires ferant, collatis armis dimicare.

et praesidiis castellisque circumdatae tanta ratione curaque, ut nulla ante Brit. nova pars inlacessita transierit. Locus interpretum opinionibus vexatissimus et ad hunc diem non satis recte intellectus. Plurimi de verbis veterum librorum auctoritate firmatis desperantes coniecturis rem conficere studuerunt. Freinshemius: *ut paullo ante Britanniae nova pax illacessita manserit*; Boxhornius: *ut nulla inde* (i. e. postea, exinde) *Britannorum pars illacessita transierit*, idque Oberlino placuit servanti tantum *Britanniae nova pars*; I. Fr. Gronovius: *nulla ante Britanniae nota pars*; Heinsius: *ut nulla arte Britanniae, iam* (vel *tunc*) *bona pars illacessita transierit* vel *manserit*, idem tollit *et* ante *praesidia*, tentat quoque *nobis pars illacessita* vel *invia pars*; Bipontini: *nulla arte*; Anquetil (Extraits de Tacite etc. Paris. 1810. cf. Seebod. biblioth. crit. a. 1819. nr. 11. p. 1054.) *ut nulla inde* (ex eo loco) *Brit. nova pars illac. transierit*; Doederlein. (Act. phil. Monac. II., 3. p. 371.): *tanta ratione curaque, ut ea, ut nulla ante Brit. nova p. illac. tr.*; Susius (cf. Ephem. lit. Ien. a. 1817. n. 166.) *ut nulla ante Brit. nova pars. Illacessita transit sequens hiems*; Moebius in Seebod. biblioth. crit. a. 1819. p. 706.: *ut nulla ante. Britanniae nova pars illacessita. Transit hiems* etc.; Vir doctus in Ephem. lit. Ienens. a. 1826. n. 127. *circumdatae sunt: tanta ratione curaque, ut nulla ante Brit. nova pars magis illacessita manserit*; Dronkius et Sellingius: *circumdatae sunt, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars ill. transierit*; Walchius, qui in specim. meletem. p. 10. scribendum suaserat: *circumdatae,* (*tanta ratione curaque, ut* (sicut) *nulla ante Br. nova pars,*) *illacessitae transierunt*, in editione scripsit: *quae praesidiis castellisque circumdatae,* (*tanta ratione et cura, quanta nulla ante nova Britanniae pars,*) *illacessitae transierunt*; eiusque censor: *aut praesidiis castellisque circumdata, tanta ratione curaque, ut nulla ante Br. nova pars, illacessita transierunt*; Becker. Hertel. [et I. Bekker.]: *circumdatae, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.* Qui vulgatae scripturae aut integrae, aut paullulum immutatae explicandae operam dederunt, in diversas abierunt partes. Berneggerus: „tanta cum prudentia et cura circumdatae castellis civitates fuere, ut nulla antehac ignota Romanis Britanniae pars exstiterit, quae non ex illis castellis, tanquam ὁρμητηρίοις, bello lacesseretur", at vero *nulla ante Br. nova pars* non indicat partes Romanis antea ignotas et *transire* verbi explicatio friget. Ernestius, suspicatus *sic* vel *ita*

stellisque circumdatae tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars inlacessita transierit.

post *pars* excidisse (placuit ea ratio Lamallio quoque et Ricklefsio): „ita bene munita oppida, ut nunquam ab hostibus lacessita sint bello, quum alias novae partes provinciae Rom. adiectae crebro ab barbaris tentarentur, si forte recipere possent." Engelius quoque post *pars* supplendo intelligit *ita* vel *tam* et explicat, ut Dronkii verbis utar, „ut nulla — pars tam illacessita (sc. a Romanis) transierit ad Romanos, in ditionem eorum; primum barbaros iram posuisse, non vero statim in ditionem venisse, quum castellis et praesidiis Rom. circumdati et a reliquis Britannis nondum perdomitis segregati essent, tum eos ad Romanorum amicitiam se applicuisse." Hertelius denique: et circumdatae sc. ita transierunt, ut (i. e. sicut) nulla etc. At neque hac dura, quam finxit Hertelius, ellipsi neque interpositis vel cogitando suppletis particulis *sic*, *ita*, *tam* opus est, ut loci ratio constet. Primum contra Walchium dicendum est, *et* copula ante *praesidiis* posita minime sententiam coniungi cum *quibus rebus*, sed continuari tantum narrationem et indicari id, quod factum sit, postquam civitates iram posuerant; quasi scriptum sit: quod vero adtinet ad praesidia castellaque, quae in deditorum populorum terris poni solent (cf. c. 22. *ponendisque insuper castellis spatium fuit*), civitates illis circumdatae sunt tanta cura et ratione, ut etc. Sic An. 2, 28. *statim corripit reum, adit consules, cognitionem senatus poscit. et vocantur patres* etc. Qui *sunt* desiderant post *circumdatae*, Tacitum sui dissimilem esse iubent. *Et* ante *tanta*, quod exstat in MS. Vatic. 3429. et edd. antiquis ante Rhenanum, a MS. Vatic. 4498. rectius abesse videtur, quare id a Rhenano deletum nollem a Walchio revocatum esse. *Cura* spectat ad diligentiam ac celeritatem, qua in locandis castellis Agricola usus sit. In tali verborum nexu *ut* esse coniunctionem et indicare tantae rationis et curae eventum, vel primo oculorum obtutu apparet. Non igitur audiendi sunt, qui, veluti Susius, Hertelius, Walchius, *ut* pro *sicut* dictum esse opinantur; minus etiam ii, qui *ut* et coniunctionis et adverbii vi uti fabulantur, velut Selling. in observv. p. 18. *Ante* intellige ante praesidiorum et castellorum locationem. *Nova Britanniae pars* est pars nuper deditione Romanae provinciae addita. cf. c. 22. *tertius expeditionum annus novas gentes aperuit. Transire* accipiendum est de defectione, transitione (cf. Hist. 2, 99. 3, 61.) ad hostiles partes, et saepe ponitur pro *transfugere*, ut et Oudendorp. docuit ad Frontin. Strateg. 3, 16, 22., et comprobatur Nep. Datam. 6, 6. Caesar. bell. civ. 1, 60. 3, 60. cf. Suet. Iul. c. 75. Neron. c. 3. *Inlacessiti* transeunt, quibus nullum in transitu occurrit impedimentum, quos igitur nemo adgreditur et ab transeundo deterret, qui bello pugnaque vacui transeunt. Sententia totius loci haec est: Agricola civitates in deditionem acceptas praesidiis castellisque circumdedit tanta diligentia, ut nulla Britanniae pars nuper capta, antequam praesidia et castella ponerentur, inlacessita ad gentes nondum perdomitas deficere potuerit. Eam explicandi rationem firmant, quae infra c. 22. leguntur: *nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione aut fuga desertum.* Laudatur igitur singularis huius imperatoris providentia, qua cavebat, ne civitates, quas novas ceperat, incuria adlicerentur ad defectionem; solebant enim victores contenti victoria incuriosi esse circa alia ad civitates in potestate retinendas necessaria. Vertendum est sic: *So geschahe es, dafs viele Völ-*

XXI. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. namque, ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles quieti et otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos et castigando segnes. ita honoris aemulatio pro necessitate erat. iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et

kerschaften, welche bisher ihre Unabhängigkeit behauptet hatten, Geiseln lieferten und ihrem Zorne entsagten; und mit Besatzungen und Burgen wurden sie so einsichtsvoll und sorgsam umgeben, dafs kein jüngst umfafster Theil Britanniens zuvorkommend und ungehindert abfallen konnte. Ricklefs.: *dafs kein neuer Theil Britanniens zuvor so unangefochten übergegangen ist*, intelligit is: in deditionem Romanam. Strombeck.: *dafs nie ein neu eroberter Theil Britanniens so sehr unangefallen geblieben ist.*

Cap. 21. *in bella faciles.* MSS. Vaticc. et edd. antiquae ante Rhenanum *eoque in bello faciles.* Rhenan. in castigatt. coniecit vel *eoque bello fac.* vel *eoque in bellum fac.*, et illud Lips. Gronov. sqq. receperunt. Attamen Bipont. Oberl. et qui illos sequuntur et nuper Seebod. (a. 1812.) Dronkius *in bello* restituere, adversantibus Beckero, Hertelio et potissimum Walchio, qui legi volunt *bello.* Walchius utriusque structurae discrimen esse opinatus (nam *facilis in aliquo* sive *aliquo* esse *mitis, lenis, exorabilis*; *facilis alicui, ad aliquid* significare *promptus, idoneus, aptus* contendit) *bello* dativum tantum probat. Sed prius refutatur Terent. Adelph. 5, 7, 29. *te isti facilem et festivum putant;* Ovid. Heroid. 16, 285. *sic habeas faciles in tua vota deos.* Duplex enim *facilis* (εὐχερής) vocabuli vis est, passiva, quod fit sine labore aut molestia (nostrum *thunlich*), de homine miti ac leni; activa, is qui difficultatibus non impeditur, agilis, celer, veluti Virgilianum Aen. 8, 310. *faciles oculi;* Suet. Tib. c. 71. *sermone Graeco — promptus et facilis;* id. Tit. c. 3. *Latine Graeceque vel in orando vel in fingendis poematibus promptus et facilis.* Iam vero nil impedit, quo minus homines dicantur *faciles in bello*, h. e. facile parabiles, agiles, expediti, qui ex facili bello funguntur. Sed quum commemoretur in sqq. Agricolae studium, ut *quieti et otio* adsuescerent ei, accommodatissimum esset scribere vel *bello* vel *in bellum faciles* h. e. ad capessendum bellum proni, quorum animi ad bellum facile incitantur (*kampflustig, leicht zum Kriege zu bewegen*), nisi adversaretur librorum veterum consensus *in bello* exhibentium. Quare malim scribi *in bella*, quam coniecturam nescio quo iure Rhenano adscripserunt Broterius et Bipont., Bosio vindicavit Walchius. [Ita editum est a I. Bekkero et Boetticbero Lex. Tacit. p. 192.] Rectissime vertunt Strombeck. et Boetticher.: *zum Kriege geneigt;* perperam Ricklefs.: *im Kriege leicht aufgeregt.* Nec opus, ut *bella* intelligamus *proelia.*

quieti et otio. Synonyma haec coniuncta praeter locos ad cap. 6. adlatos vid. dial. de oratt. c. 38. *longa temporum quies et continuum populi otium et adsidua senatus tranquillitas*; Cic. de senect. 23, 82. *otiosam aetatem et quietam.* cf. Doederlein. Lat. Etym. u. Synon. I. p. 79. sq. — Pro *hortari* in ed. Alc. *hortare.*

ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor et frequens toga. paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam. idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

XXII. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes quanquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi. ponendisque insuper castellis spatium fuit. adnotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse. nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum. crebrae eruptiones; nam adversus mo-

anteferre. Non *praeferre*, ut sit iudicandi verbum, sed προφέρειν, ultra Gallorum studia proferre, ut sit verbum agendi. cf. Walch. ad h. l.

qui.. linguam Romanam abnuebant. Ernestius, subiunctivorum amator (cf. Garaton. ad Cic. orat. pro Planc. c. 4.), legendum suaserat *abnuerent*, quod postea *abnuerant* corrigi voluit. Non opus.

discessum ad delenimenta vitiorum. Pichena coniecit *descensum* (quae vocabula saepe permutari in libris docuerunt interpr. ad Hor. Ep. 1, 16, 7.) non eleganter, ut Ernestio videbatur, sed male. nam, Hertel. inquit, virtus una est, vitia admodum varia, in quae pro sua quisque natura discesserunt. *Delenimenta* vero (θέλγητρον, θέλγμα) sunt invitamenta vitiorum, res eae, quibus animi mitigantur, placantur, molliores redduntur. Perperam vero Walchium contendisse, ubique in Taciti libris reperiri *delinimentum, delinitus, delinire*, docui ad An. 2, 33. 11, 37. Librariorum ab errore profectam esse eam scribendi rationem, cum Latinis inauditum sit verbum *linire* ostenderunt Drakenborch. ad Liv. 5, 30. 7, 38. 9, 11. Duker. ad Liv. 39, 11. Rupert. ad Liv. 4, 57.

Cap. 22. *novas gentes aperuit.* Vid. Passov. ad Germ. p. 85. Cort. ad Lucan. 4, 352. Cic. pro leg. Manil. 8, 21. *patefactumque nostris legionibus esse pontum.* Tertius expeditionis annus est ab U. C. DCCCXXXIII.

usque ad Taum. „MSS. Vatic. *ad Tanaum.* Sed in margine MS. Vatic. 3429. *Taum.*" *Broter.* Dronkio teste MS. Vat. 3429. *ad Taum* in textu, in margine *Taus sive Tanaus;* MS. Vat. 4498. *Tanaum.* Est hodie *firth of Tay;* multi putaverunt *Tuedam.*

castellis. Vet. cod. Ursini *telis.*

aut pactione ac fuga. Ed. Oberl. operarum vitio *aut fuga*, quod repetierunt Weikert. Naudet. Weisius. — Pro *vi* in ed. Put. Venet. expressum est *vim.*

crebrae eruptiones: nam .... firmabantur. Ernest.: „*nam*

ras obsidionis annuis copiis firmabantur. ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, inritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat. apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, ut erat bonis comis, ita adversus malos iniucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat. secretum et silentium eius non timeres. honestius putabat offendere quam odisse.

XXIII. Quarta aestas obtinendis, quae percurrerat, insumpta. ac si virtus exercituum et Romani no-

transitioni servit." Immo rationem reddit. Crebris nimirum eruptionibus, quas per hiemem factas esse facile coniicies, hostes ad castellorum obsidionem poterant incitari; at vero imprudenter egissent Romani, nisi adversus obsidionis moras *copiis* h. e. commeatu, frumento (noli enim cum Engelio milites, qui quotannis commutarentur, intelligere) satis firmati fuissent. De quo *copiae* vocabuli significatu vide Hess. ad Germ. c. 30, 6. *copiis onerant.*

pellebantur. Ed. Put. Venet. *pellabantur.*

avidus intercepit. Aviditatem intellige laudis et gloriae. Adiectiva relativa saepius sic usurpantur a scriptoribus. cf. An. 1, 51. *Caesar avidas legiones .. dispertit;* ibid. 1, 68. *rebus secundis avidi seu centurio seu praefectus, incorruptum* etc. Dronk. Becker. Hertel. male scripserunt *seu cent. seu praefect.. incorrupt.* Immo post praefectus cogitando supplendum *est*, *testem* intellige ipsum Agricolam.

ut erat comis bonis. Sic MS. Vat. 3429. — *ut erat bonis comis* edd. antiquae ante Rhenanum, qui omisit *erat* probantibus editoribus sqq. nuper Ernest. Bipont. Oberlin. Seebod. [I. Bekkero], donec *erat* revocatum est a Broter. Dronk. Hertel. Beckero. Recte. Nam omisso verbo *erat* genuina loci ratio turbatur, si quidem verba *ut comis bonis, ita adversus malos iniucundus* tum referenda sunt ad *narrabatur*, sed explicandi causa et ut acerbitatis illius rationem redderet, scriptor haec addidisse videtur. Verborum ordo, quem Vaticano libro auctore restituimus, eximie Tacito convenit, qui invicem sibi opposita, ut h. l. *bonis* et *adversus malos*, includere solet verbis item oppositis sibi, ut *comis* et *iniucundus.* — Pro *iracundia* ed. Alc. *iracunda.*

secretum et silentium .. non timeres. MS. Vat. 3429. *ut silentium*, quod receptum est in edd. Becker. et Hertel. Sed et ob aliorum librorum in vulgata consensum et ob eius scripturae praestantiam nolui quicquam mutare.

Cap. 23. *obtinendis, quae percurrerat.* Quum de *obtinere* vocabuli potestate non constaret apud interpretes, aliique, ut Bernegger. explicarent: quae praecedenti anno vincendo percurrit et obtinuit, praesidiis impositis firmavit; alii, ut Savilius, interpretarentur co-

minis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. nam Clota et Bodotria, diversi maris aestibus per inmensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur. quod tum praesidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

XXIV. Quinto expeditionum anno nave prima

gnoscere, ordinare, disponere, alii denique, ut Boxhorn., totum suum facere et omnino in potestatem suam redigere, mirandum non erat, Barclaium scribendum suasisse *percurrendis*, *quae obtinuerat*, *insumpta*. *Obtinere* est: perseverare in tenendo, nostrum *behaupten*, *in dauernden Besitz nehmen*. cf. infra c. 24. *debellari obtinerique Hiberniam posse*; An. 15, 8. *longinquis itineribus percursando*, *quae obtineri nequibant*; ibid. 13, 34. *inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur*. — *Percurrerat* cum Rhenano edd. sqq. omnes. — *praecurrerat* edd. antiquae ante Rhen. Haec scriptura antiquitus tradita defendi posse videtur, si *praecurrere* dictum est pro *praetercurrere*, ut An. 2, 6. *qua Germaniam praevehitur*. cf. not. ad An. l. l. et add. Hist. 5, 23. Agric. c. 28. Horat. Carm. 4, 3, 10. Nimirum Agricola per priorem aestatem hostes fugientes persequutus percurrerat quidem earum nationum fines, neque tamen credendum est, quemcunque angulum ab eo subactum esse, immo eum haud parvam partem praecurrisse veri est simillimum. iam vero ea praesidiis firmare et in provinciae formam redigere debebat. Sed quum *prae* et *per* confundantur saepissime (cf. An. 4, 37. 14, 54. 15, 15. 64. Hist. 1, 29. 84. 2, 4.), malim Rhenani correctionem recipere.

Clota. Sic MSS. Vaticc. edd. Put. pr. Mediol. Ven. — *Glota* edd. Riv. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. Priorem scribendi rationem, quae apud Ptolemaeum quoque exstat (*Κλώτα*), restituit Broterius.

diversi maris aestibus in inmensum revectae. diversi maris, pro quo in MS. Vat. 3429. scriptum est *diversis m*, quid sit, explicavimus ad An. 2, 10. et supra ad c. 11. — Pro *aestibus*, quod firmatum est MSS. et vett. edd. testimoniis, in ed. Rhenani operarum, ut videtur, vitio expressum est *aestus*, quod correxit Lipsius in *aestu*. Sed recte veterem scripturam reposuerunt Broter. sqq. — *revectae* denique, quod exstat in MSS. et edd. vett. ad Rhenanum usque, ab hoc correctum est in *revecti*, quia Bodotriam et Clotam intelligebat fluvios impetu maris repulsos quasi ac retro actos. Bene vero restitutum est a Broterio sqq. *revectae*; nam aestuaria illa aquas accipiunt e terra profluentes; maris aestu prohibentur eae, quo minus in Oceanum se effundant, immo repelluntur et in continentem terram se insinuant.

omnis propior sinus. Sinum plerique Passovio ad Germ. c. 1. auctore intelligunt *terrae* sive *terrarum*. Walchius: *des Landes nähere Angrenzung*, quod vix cuiquam placebit. Consultius duco sinum intelligere maris, qui ab uno latere per Clotam, ab altero per Bodotriam efficitur. *Omnis propior sinus* intelligo positum pro omnibus isthmo propioribus sinus partibus, quae *tenebantur*, non navibus, sed praesidiis in ora positis. quibus cautum ibant, ne aestuaria locis angustioribus ab hostibus superarentur.

Cap. 24. *nave prima transgressus.* Sic libri omnes. In explicandis tamen verbis diversi sunt interpretes. Alii, ut Broter. Ober-

transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit: eamque partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit, copiis instruxit in spem magis quam ob formidinem: si quidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt. in melius adi-

lin. Dronk., intelligunt navem omnium Romanarum primam, quae oras illas scrutari ausa sit; sed navibus non opus erat, ut exercitum trans Clotae aestuarium duceret, si quidem angustum terrae spatium inter aestuarium utrumque situm tenebat Agricola. Alii, ut Walchius, ex locorum quorundam comparatione (neque tamen comparari possunt, quia adiectiva ibi leguntur praeposita, h. l. *prima* postpositum est), velut An. 14, 10. *prima centurionum adulatio* et supra c. 19. *primam domum suam*, vertere volunt: *zum erstenmal zu Schiffe übersegelnd*, quasi alia etiam transnavigandi ratio cogitari possit. Ceterum Suetonium Paullinum Monam insulam adgressurum iam antea fabricasse naves, traditum est An. 14, 29.; *classem* vero sequenti demum anno in partem virium adsumptam esse, cap. 25. narratur. Nec placet eorum ratio, qui statuunt, prima nave Agricolam navigasse, quo, in regiones adhuc incognitas iter facturus, militum animos erigeret. Quorum nihil cum satisfaceret, coniecturis locum tentarunt VV. DD.: Huetius (apud Broter.): *navibus tum primum transgressus;* de la Bleterie (apud eundem): *gnave transgr.*; Becker. *vere primo transgr.*, quod placuit Hertelio. Sanissima sunt omnia, dummodo recte explicentur. Bene enim Selling. observv. p. 19. et Ricklefs. perspexerunt, ad *transgressus* intelligendum esse *in Britanniam*, uti c. 18. *media iam aestate transgressus.* Veri est simillimum, Agricolam per hiemem vel Romae vel alibi versatum esse apud Domitiam, quum sexto expeditionis anno ei natus sit filius (cf. cap. 29. init.). tale iter inter quartum et quintum annum susceptum esse, credibilius videtur, quia velut in aliam insulam summoti erant hostes (cap. 23.), Agricolae igitur absentia perniciosa esse non potuit. Iam vero praeterita hieme, ubi *siccas carinas traxerunt machinae* (Hor. Carm. 1, 3.), prima nave rediit in Britanniam. Si quis obiiciat cum Walchio ad c. 40. p. 395., iter in Britanniam semper fuisse terrestre ab Massilia, refutabitur is Sueton. Claud. c. 17. Claudius enim, ab Ostia in Britanniam navigaturus, procellis tantummodo motus est, ut Massiliam adpelleret et per Galliam proficisceretur.

in spem. Lipsius coniecit *in speciem*, male. nam Tacitus occurrit falsae eorum opinioni, qui putent illam partem ideo copiis instructam esse, quod timuerit Agricola, ne Hiberni traiecto freto expeditionem contra Britannos irritarent; immo in spem Hiberniae potiundae, cogitavit enim Agricola de expeditione in Hiberniam suscipienda, uti verba sqq. docent.

valentissimam imperii partem. sc. ob exercitus validos ibi agentes.

haud multum a Britannia differt. in melius aditus . . cogniti.

tus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiae in occasionem reti-

Sic in MSS. Vaticc. et edd. antiquis ante Rhenanum, qui locum foede, ut ipsi videbatur, corruptum immutavit sic: *differunt. melius aditus .. cogniti*, quam emendationem servarunt edd. Ald. Lips. et sqq.. et nuper Broter. Ernest Seebodius (a. 1812.) et Walchius. Idem Rhenanus in castigatt. volebat corrigi *differunt. eius* (sc. insulae Hiberniae) *adit.*; similiterque Danesius *differt. eius aditus* etc., unde Seebodium composuisse suam correctionem *differunt et eius aditus* etc. credibile est. Acidalii coniecturam *differunt, nec in melius. aditus* etc. amplexi sunt Bipont. Oberlin. et qui eos sequi solent [cum I. Bekkero]. Idem ille, si cui haec placerent minus, audacius suadet corrigendum: *differunt. militibus adit.* etc.; Muretus: *differunt in melius. aditus* etc.; V. D. in ephem. lit. Lips. a. 1827. p. 376. *differt. et* (sive *at*) *melius adit.* etc.; Doederlein. (in vers. germ. p. 55.) Dronk. Becker. Hertel., codd. et edd. vett. interpunctione tantum mutata, malunt *differt in melius, aditus* etc. Neque illorum nec Rhenani ratio placet; sic enim iuberetur Tacitus dicere ea, quae ipsum non dixisse contenderim acriter. Postquam scripsit, solum coelumque et ingenia cultumque Hibernorum haud multum a Britannia differre, rem narrans satis sibi cognitam et sine ulla dubitatione adfirmandam, non poterat subiungere, aditus melius cognitos esse. Tum praemittendum erat, coeli solique rationem hominumque in Hibernia viventium naturam se non adeo habere cognitam et exploratam, ut certi quid de hisce adfirmare possit. Cadat igitur Rhenani correctio necesse est. Altera scriptura *differt* sive *differunt in melius* non solum enuntiat de Hibernia, quod idoneis testibus probari nequit, sed eadem etiam laborat inconcinnitate. Verba enim *aditus .. cogniti* non commodo orationis nexu addita, sed inepte adsuta viderentur esse; et locutio *haud multum differre in melius* ut idoneis firmetur exemplis non spero fore. Veterum librorum scriptura est sanissima. Nam *differt* verbum singularis numeri iunctum nominibus, quorum pars plurali numero effertur, Tacito haud raro usurpatur ita, ut altera dicendi ratio ab eius usu aliena videri possit. cf. An. 2, 71. *si quos* s p e s m e a e, *si quos propinquus sanguis*, *etiam quae invidia erga viventem* m o v e b a t; ibid. c. 69. *c a r m i n a et d e v o t i o n e s et nomen Germanici plumbeis tabulis* i n s c u l p t u m; An. 4, 49. *corpora hominum, quos* v u l n e r a, *quos sitis* p e r e m e r a t; Hist. 2, 78. *triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus implesse fidem ominis* v i d e b a t u r (mallem ibi praelatam a me hanc meliorum librorum scripturam); Germ. c. 27. *sua cuique arma, quorundam igni et equus* a d i i c i t u r. cf. not. ad An. 1, 10. sub v. *abstulerat.* Haec sufficiant. Narrat igitur scriptor, earum rerum non ita magnum inter Britannos Hibernosque discrimen esse, de aditibus vero et portubus dicturus addere debebat, eos aut meliores aut deteriores esse quam Britanniae, aut non multum differre. Addit vero *in melius aditus .. cogniti*, h. e. commerciorum exercitatione et negotiatorum opera (exercitu enim nondum transierant in Hiberniam) aditus portusque cognitos esse Romanis, quod sint meliores. Sic An. 14, 39. *cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata*, i. e. relatum ad imp., cuncta molliora esse; Hist. 3, 7. *desiderata diu res in maius accipitur*, i. e. accipitur ea tanquam

nebat. saepe ex eo audivi, legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

XXV. Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas,

maior quam re vera est; ibid. c. 38. *cetera in maius* (sc. nuntiantur), h. e. cetera maiora esse nuntiantur. Nec supervacaneum videtur monere, ne quis cogitet, negotiatores in melius cognovisse aditus portusque, immo per eos, dicit Noster, Romanis in melius cogniti sunt. Nostrum: *sie sind rühmlicher bekannt geworden.*

saepe ex eo audivi. Sunt qui *ex eo* referunt ad regulum, et inde Tacitum in Britannia adfuisse colligunt, ut Passovius, V. D. in Seebod. bibl. crit. a. 1824. p. 1380., Becker. p. XIX. alii. Sed ex Agricola Tacitum audivisse rectius censent alii. Nam si de regulo cogitari voluisset Noster, commodius erat scribere *ex quo s. audivi. Ex eo* ad antecedentis enuntiati subiectum respicere, ex eo apparet, quod seq. capitis initio Agricolae nomen omissum est, quod ponendum erat, si ex regulo ista audivisset Tacitus. Verba *Agricola . . retinebat* eo consilio addita esse coniicio, ut, quo ex fonte tam accuratam de Hibernia notitiam hauserit Agricola, pateret lectoribus. — In ed. Bipont. typothetae errore expressum est *audivit.*

Cap. 25. *amplexus civitates . . . . . portus classe exploravit. Amplexus* exhibetur in MS. Vat. 3429., unde in verborum contextum receptum est a Broter. Bipont. Oberl. Seebod. Dronk. Becker. Walch. Hertel. [probantibus quoque Ricklefs. et I. Bekkero]. Edd. Put. pr. Med. Ven. Riv. hac interpunctione: *ceterum aestate, qua sextum off. annum inchoabat, amplas civitates trans B. sitas: quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit.* Id a Beroald. et Alc. mutatum est sic: *timebantur, portus* etc. De MS. Vat. 4498. Broter. tacet, quod an indicet eo in libro *amplas* scriptum esse dubito equidem. Lipsius tacite edidit *ampla civitate trans B. sita*, contra quod et librorum auctoritas et historia ipsa dicit; Pichena, *amplas* etc. scriptura restituta, *portus* ex Rhenani iudicio mutavit in *prius.* Pichenam sequuti sunt editores sqq. fere omnes ad Broterium usque, praeter Gronov., qui coniiciebat: *amplae civitatis trans Bodotriam sitae, quia . . . . timebantur, portus classe exploravit.* Quibus correctionibus sine dubio supersedissent illi, si nota fuisset Vaticani libri egregia scriptura *amplexus*, quam et ego amplector. Non enim uno modo id verbum dicitur pro comprehendere animo vel oratione, verum etiam de armis, de bello, ut Agric. c. 17. *magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello.* Et hic quoque, ut l. l. factum est, subintelligendum est *bello.* Bene Ricklefs. et Walch. vertunt: *die jenseit der Bodotria gelegenen Ortschaften ins Auge fassend.* De ratione participii huius grammatica cf. Ramshorn. §. 171. p. 455. not. 1., Heindorf. ad Horat. Sat. I, 2, 66. et Selling. observv. p. 20. Perperam vero Ernestius post *sitas* aut ante *amplas* aliquid excidisse putavit de exercitu terrestri, velut *adgressurus*, quapropter V. D. in Ephem. lit. Ien. apud Dronk. correxit: *amplas civ. . . sitas . . . . infesta*

quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit: quae ab Agricola primum adsumpta in partem virium sequebatur egregia specie, cum simul terra, simul mari bellum impellitur, ac saepe iisdem castris pedes eques-

hostibus itinera timebantur, exercitu portus, classe exploravit.

infesta hostilis exercitus itinera. Sic MS. Vatic. 3429. (test. Broter. et Dronk.) cod. Ursini et edd. vett. ante Rhenan. omnes, qui tacite edidit *hostili exercitu*, comprobatum illud ab edd. sqq. et nuper a Walch. et Bekkero. Falso Sellingius l. l. dubitavit, num barbarorum agmina *exercitus* nomine appellari possint; vide modo Germ. c. 35., ubi de Chaucorum gente sermo est, *prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus;* Caes. de B. G. 1, 47. 48. alibi. Utut est, locus nec Rhenani emendationem postulat nec aliorum coniecturas, velut Beckeri, qui volebat *infesta hostibus itinera*, quod possit defendi Suet. Aug. c. 8. *per infestas hostibus vias;* Sellingii, qui suspicabatur *et infesta itinera timebantur*, verbis *hostilis exercitus* utpote inepto glossemate eiectis. Nimirum *hostilis exercitus* non necessario accipiendum est pro *hostium exercitu*, immo potest intelligi ac rectius intelligitur exercitus hostiliter inrumpens, h. e. Agricolae exercitus, qui civitates trans Bodotriam sitas tum adgressurus erat. Sic infra c. 32. *vitia hostium* Calgacus dicit de sua gente loquens, et Hist. 3, 82. *simul fulgentia per colles vexilla . . . speciem hostilis exercitus fecerant.* Igitur *infesta hostilis exercitus itinera timebantur* explicandum est sic: timebatur, ne infestarentur itinera, quando hostilis Romanorum exercitus inrumperet. *Hostilis* ex barbarorum dicitur mente; ii autem ne Romani exercitus itinera infestarent timebatur. Brevitas scriptoris decepit, ut saepe, interpretes. Nulla vero ratione fulcitur Dronkii explicatio, qui *hostilis exercitus itinera* interpretatur „irruptionem, sive ipsos hostes, qui Romanos infesti erant aggressuri," nec Hertelii, cui „*host. exerc.* est simpliciter gen. activus: itinera hostilis exercitus, Romanis progressum impedientia."

in partem virium. Non Tacito solum frequentatur haec dictio, verum etiam Cic. ep. ad divers. 14, 2, 7., Virgil. Aen. 3, 222. eiusque imitatori Gratio Falisco, v. 247, ubi cf. Burmann.

impellitur. Sic MS. Vat. 3429. (de altero Vatic. tacent) et edd. vett. ante Rhenan., qui in castigatt. corrigebat *impelleretur* ob sequentia *attollerent* et *compararentur.* Rhenanum dein omnes editores sequuti sunt. Perperam. Nam tantum abest, ut optativi *attollerent* et *compararentur* antecedens verbum postulent eodem modo positum, ut contra indicativus et optativus h. l. commode se excipiant. Diversos modos per copulativas particulas coniungi posse, exemplis docuit Ramshorn. p. 694. [cf. Otto. ad Cic. de Fin. p. 141.] Simile quid deprehenditur apud scriptores Graecos, velut Isocrat. de Biga p. 348. A. §. 6. c. 3. *εἰςήγγελλον εἰς τὴν βουλὴν λέγοντες, ὡς ὁ πατὴρ μὲν συνάγει* [apud Bremium excurs. I. T. I. p. 198. *συνάγοι*] *τὴν ἑταιρείαν ἐπὶ νεωτέροις πράγμασιν, οὗτοι δ' ἐν τῇ Πουλυτίωνος οἰκίᾳ συνδειπνοῦντες τὰ μυστήρια ποιήσειαν;* id. Trapez. p. 369. A. *ἔλεγεν, ὅτι ἐλεύθερός ἐστι καὶ τὸ γένος εἴη Μιλήσιος, πέμψειε δὲ αὐτὸν Πασίων.* cf. Matth. gr. gr. ampl. T. II. p. 1031. Bernhardy. de art. Graec. syntact. p. 389. Sic apud Tacitum *impellitur* et *attollerent* sq. diverso exhibentur modo, quia diversa est eorum sententia. Nam terra marique tum bellum impulsum esse, ita certum est et ex praecedentibus cogni-

que et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent; ac modo silvarum et montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc auctus Oceanus mi-

tum, ut rectissime scriptor ex sua persona dicat *impellitur*, ineptumque esset *impelleretur*. Non enim primum nunc id refert ut rem ex eo, quod audiverit, pendentem, sed revocat lectori in memoriam, ut vocum *egregia specie* rationem reddat, quasi scriptum sit ... *impellitur, uti dixi* vel *uti scis*. Contra *quum saepe — attollerent; ac — compararentur* nunc demum refert, ut rem pendentem ex eo, quod ipsi innotuerit. Ceterum *impellere* verbum quum insolentius dictum videretur, Ernestius corrigendum putabat *inferretur, impingeretur*. Sed quid opus est mutatione? *impellere aliquem* vel *aliquid* est pellere ita, ut vacillet, cedat, labefactetur, corruat, (velut Hist. 3, 2. *impulsas Vitellii res audietis*; An. 1, 63. *missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae*), aut ut incitetur et vehementius agitetur, ut *animos impellere* An. 1, 16. Nostro loco posteriorem explicationem adhibendam esse plerique putant, ut *bellum impellere* sit *den Krieg anregen, in Bewegung setzen* (sic Walchius). At vero Agricola tum non erat bellum excitaturus aut provocaturus, immo id profligaturus, ut quies pararetur provinciae eaque pacaretur. Quare *bellum impellitur terra et mari* transtulerim: *der Krieg erhält einen Stofs, er wird zu Wasser u. zu Lande bekämpft*, scilicet arma geruntur, ut debelletur. Adpositus est ad comparationem Lucani locus 5, 330. *impulsi quae praemia belli*, quae verba male explicantur ab editore Bipontino.

mixti copiis et laetitia. Male Woltmannus: *gemischt in Menge u. Freude*, Strombeck.: *in freudigen Schaaren gemischt*, et Böttich.: *fröhlich in buntem Gemisch*, *Copiae* intelligendae sunt abundans castrorum commeatus, ut Hist. 3, 15. 4, 22.

ac modo silvarum et montium profunda — compararentur. MS. Vat. 3429. edd. Becker. Hertel. *ac montium*. Universi loci haec sententia est: silvarum et montium profunda comparata esse cum tempestatum ac fluctuum adversis, ut quique suos casus prae alterorum adversis rebus extollerent. Iam vero Noster scripsit *compararentur*, i. e. comparationis causa adferrentur, vel adferrentur et compararentur. Solet enim brevitatis studio ductus scriptor pro eo verbo, quod ex sententiae ratione requiritur, aliud usurpare, quo simul eventus vel finis significetur. Sic Germ. c. 29. *nec tributis contemnuntur*, i. e. nec tributa imponuntur, quippe quibus contemnantur, vel nec ita contemnuntur, ut tributa imponantur.

auctus Oceanus. Sic libri veteres et recentiores plerique. Lipsius putabat *victus*, quod probavit Pichena aliique multi, quamvis ipsi Lipsio non deplorata videbatur scriptura vulgata. Sed male is explicavit *auctus*, „quia incognitum mare iam navigatum, et reliquo Oceano quasi adiectum", quae quidem sententia ab hoc loco alienissima est. Consentiunt tamen I. Fr. Gronov. Dronk. Hertelius. Oberlinus Broterium et Bipont. sequutus „auxere milites iactabundi terras, hostem, Oceanum, ut An 2, 82. *cuncta in deterius aucta adferebantur*." Eam sententiam acriter defendit nuper Selling. observv. pag. 21 sqq. uberiusque eam exposuit. Scilicet is vocem *auctus* ad *silv. et mont. prof.* et *tempest. ac fluct. adv.* et *terra et hostis* retulit, vocabula *modo — modo, hinc — hinc* et *militari iactantia* non

litari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tanquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro,

cum *compararentur*, sed cum *auctus* iungenda censuit; qua structura contortiorem scio equidem nullam. Verba *militari iactantia* propter locum, quo posita sunt, nequeunt coniungi nisi cum *compararentur*, nec *auctus* quidquam habet commune cum silvarum et montium profundis aut tempestatum ac fluctuum adversis. Veram interpretationis viam monstravit quidem Oberlinus, quanquam non satis recte ea ingressus est. *Modo silvarum et montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa* comparationis causa adlata esse, supra iam docui, *hinc* (i. e. ab eorum parte, qui silvarum et montium profunda iactabant) *terra* (i. e. terrae, soli natura, quod sit montibus et silvis horrida) *et hostis* (quocum tam iniquis locis pugnandum sit) sc. auctus, *hinc* (i. e. ab eorum parte, qui tempestatum ac fluctuum adversa adferebant, ab nauticis militibus) *auctus Oceanus* (h. e. in maiorem et terribiliorem speciem descriptus). cf. not. ad Hist. 1, 29. Iam verte: *und bald Wald- und Bergschlünde, bald die Gefahren der Stürme u. Fluthen, auf der einen Seite unter übertriebenen Schilderungen des Terrains u. der Feinde, auf der andern des Oceans, mit soldatischer Prahlerei in Vergleichung gestellt wurden.* Nihilominus inutilem Lipsii correctionem nuper restituerunt Walchius [et I. Bekker.], quod miror, cum de victo Oceano (Suet. Claud. c. 17. *domiti Oceani insigne*) nullus sit dicendi locus, et iure quaeritur, quem Oceanum vicerint illi.

manus et arma. Synonyma. cf. Roth. p. 9. Hist. 3, 20. 53.

Caledoniam. Sic edd. Riv. Rhenan. sqq. — *Calidoniam* MS. Vat. 3429. edd. Put. pr. Med. Ven. Alc.

populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro castella adorti metum ut provocantes addiderant. Verba sic coniunge: *populi — oppugnasse ultro castella adorti* (sc. uti nuntiatum est, narratum, quod supplendum esse ex totius loci ratione intelligitur) *metum — addiderant.* audacius sane structurae genus, sed nolim Pichenam sequi, qui *oppugnasse* aptum facit ex *fama* vocabulo, quamvis certatim consentiant Gronov. Dronk. Hertel. Walchius; tum enim haud dubie scripsisset Tacitus *castella adortos.* Verba *paratu — ignotis* per se constant nec quidquam pertinent ad sqq. Verte igitur: *die Völker Caledoniens, zu Kampf und Waffen gewandt, unter grofsen und durch das Gerücht — wie es bei ungekannten Dingen zu geschehen pflegt — vermehrten Rüstungen, hatten dadurch, dafs sie aus freien Stücken Festen angegriffen und bestürmt, Furcht erweckt als Herausfordernde.* Quae quum bene procedant, reiiciemus VV. DD. mutationes. Rhenanus in castigatt. malueral *oppugnare*, quod exstat quoque in codice Ursini; Lipsius *oppugnare ultro, castella adoriri*, idemque antea suspicatus erat *oppugnantes* vel *oppugnavere*; prius *oppugnare* probarunt edd. Bipont. Engel et Anquetil (cf. Seebod. bibl. crit. a. 1819. p. 1054.). Novam enuntiati distinguendi rationem proponebat Pichena hanc: *paratu magno (maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro) castella adorti.*

uti mos est de ignotis. Ne con-

castella adorti metum ut provocantes addiderant: regrediendumque citra Bodotriam, et excedendum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant: cum interim cognoscit hostes pluribus agminibus inrupturos. ac, ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

XXVI. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus inrupere. iamque in ipsis castris pugnabant, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium iubet, mox ab

iungas *mos de ignotis*, sed intellige: uti mos est maiorem esse famam de ignotis. cf. not. ad An. 1, 12. sub vv. *addidit laudem de Augusto.*

castella adorti. MS. Vat. 3429. *castella*um. Cod. Ursini et edit. Bipont. *oppugnare ultro castellum adorsi.* Et rectius fortasse *castellum* sc. quoddam, quod in textum recepit Becker. et Hertel. Verbum *adoriri* saepius dictum est de conatu, velut apud Nepot. Dion. 6, 1. *demergere est adorta*, id. Thrasyb. 2, 5. *oppugnare sunt adorti.* Si qui velint defendere *adorsi* cum Drakenb. ad Liv. 35, 51, 8., quocum consentit Oudend. ad Appul. Met. I. pag. 35., consultent ii Bremi. ad Nepot. Thrasyb. l. l. et Müller. ad Cic. de orat. II, 51. §. 205.

ignavi specie prudentium admonebant. Sic MS. Vat. 3429., quem verborum ordinem requiri, Rhenanus (in castigatt.) iam perspexerat, restituerunt eum Brot. Seebod. Dronk. Becker. Hertel. — *specie ignavi prudentium adm.* edd. antiquae, quae iam ante Lipsium in ed. Micylli (a. 1557.) transposita sunt sic: *specie prudentium ignavi admon.*, ut etiamnunc exstat apud Oberlin. Walch. Bekker.

quum interim cognoscit. Sic libri omnes. Nuper vero a Dronkio, quem sequuntur Becker. et Hertel., nescio unde interposita est *at* particula: *at quum interim cogn.* cf. Walch. ad h. l.

circumiretur. Haec omnium librorum scriptura in Lipsii editionibus mutata est in *circumirentur* nulla idonea causa. — Ceterum pro *diviso* in ed. Put. Ven. impressum est *divisio*, et paulo ante pro *excedendum potius quam pellerentur* I. F. Gronovius volebat *priusquam* scribi. Non opus.

numero et peritia locorum. Ἓν διὰ δυοῖν, indicatur enim hostium numerus locorum peritus.

Cap. 26. *nonam legionem, ut maxime invalidam.* cf. An. 14, 32. sqq.

caesis. Ed. Put. Venet. *caesas*, operarum vitio.

pugnabant. MS. Vatic. 3429. (t. Dronkio) *pugnabatur*, quod in verborum continuitatem receptum est a Beckero et Hertelio. De utroque libro Vatic. Broter. tacet.

universis adiici clamorem. et propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni: et Romanis redit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. ultro quin etiam erupere: et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes; utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

XXVII. Cuius constantia ac fama ferox exerci-

securi pro salute de gloria certabant. Sic MSS. et edd. ad Ernestium usque, qui e sententia Acidalii dubitantis de structurae latinitate edidit *securi de salute pro gloria cert.* Ita Lallemand. Oberlin. Dronk. Bekker. Frustra. cf. Hist. 4, 58. *nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior;* Ovid. Met. 1, 182. *non ego pro mundi regno magis anxius illa tempestate fui.* — *De gloria certabant*, non *pro gloria* i. e. ad gloriam parandam, non ut paratam tuerentur. Sic apud Sueton. Vespas. c. 5. *Othone atque Vitellio de principatu certantibus*; Nepot. Themist. 5, 3. *de principatu sibi cum his certamen fore;* Tacit. An. 12, 22. *quod secum de matrimonio principis certavisset.*

erupere. Quod Acidalius conie cerat, nunc firmatum est MS. Vatic. 3429. testimonio et inde translatum in edd. Ernest. Bekker. Becker. Hertel. — Edd. vett. et nuper Bipont. Dronk. et Walch. *irrupere.* Perperam. nam non utrumque bonum sensum facit, ut visum est Oberlino. *Irrupisse* eos, non erat dicendum, postquam traditum est, territos Britannos et Romanos defendendi necessitate solutos (*securos pro salute*) in hostem impetum fecisse. Id vero significatur *erupere* verbo, quod nolim accipi de castris statim relictis, sed de conatu potius erumpendi, quod patet e sqq. *et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium.*

his ut tulisse. MS. Vatic. 3429. test. Dronk. *his intulisse* (sic).

Cap. 27. *Cuius constantia ac fama.* In hac antiquarum edd. scriptura explicanda varia tentarunt interpretes. Huetius apud Broter.: „quod per summam constantiam exercitus hanc victoriam peperisset." At vero tum *sua constantia*, non *victoriae* dicendum erat. Oberlinus aliique eum sequuti constantiam censuerunt in ea esse victoria, quae nulla adversarum rerum vicissitudine sit interrupta, nulla clade polluta. Sed quomodo tandem victoriae recens reportatae constantia, quam nondum experti erant, feroces esse poterant milites? Walchius agnovit ἓν διὰ δυοῖν, ut sit fama constans (*der dauernde, gleichbleibende, überall hin verbreitete Ruf*), sed, quidquid vir doctissimus pugnat exemplis, quae ne adposita quidem sunt ad rem probandam, scribi debuit: *cuius fama et constantia.* Errarunt interpretes, quod *cuius* pronomen ad *victoriam illam* capite antecedenti extr. memoratam referre maluerunt, quam in universum intelligere quamcunque victoriam, cuius *constantia* in eo quaerenda est, quod etiamtum victoria nondum recesserit a Romano exercitu. Quid tum mirum, si milites, qui adhuc semper victores decesserant e proeliis, victoriae nuper reportatae fama feroces redduntur. Vel si mavis, explica per Hendiadyn, ita

tus, nihil virtuti suae invium: penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant. iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis rati, nihil ex adrogantia remittere, quo minus iuven-

quidem, ut exercitus dicatur ferox constantis sibi victoriae fama. Nec opus admittere lectionem MS. Vat. 3429. *conscientia*, quippe quae correctoris manum prodat apertissime. Ea scriptura, quae Lipsio quoque, Acidalio et Pichenae venerat in mentem, nuper in textu posita est ab Ernestio, Dronk. Becker. Hertel. Quo nihil languidius, praesertim si in comparationem adhibeatur An. 12, 31. *atque illi conscientia rebellionis — multa et clara facinora fecere.* Plane eadem inter utramque vocem dubitatio vexavit interpr. Plin. epist. 3. 3. *mihi modestior constantia* (al. *conscientia*) *est* etc.

penetrandam. MS. Vatic. 3429. (teste Broterio) *et penetrandam*, quod receperunt Becker. et Hertel., male seduli.

proeliorum. Edd. vett. *proelium* usque ad Rhenan., qui tacite correxit *proeliorum.*

vindicant. Ed. Alc. *vendicant.*

adversa uni imputantur. [De *imputare* vocabulo conf. Bötticher. Lex. Tacit. p. 246. ibique laudatis add. Ruhnken. dictat. ad Ovid. Her. p. 44.] — *uni*, quod vulgo h. l. scriptum est, exstat in edd. Riv. Rhenan. sqq. — Edd. Puteol. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. exhibent *cum.* Perperam correxit Beckerus *duci imputantur*, quia opponantur sibi *milites* et *dux.* Sed fuere etiam, qui de vulgatae scripturae veritate dubitarent, quia sat multae adversae res non uni imputentur, sed duobus vel tribus vel pluribus, scilicet non memores illi, *unus* vocabulum non alios excludere, sed unum tantum ponere praecipuum. Videant Schmid. ad Hor. Epist. vol. I. p. 134.

At Britanni, non virtute sed occasione et arte ducis rati etc. Sic edd. antiquae, de MSS. Vaticc. vero nihil innotuit. Quae quum mutila plerisque interpretibus viderentur, coniecturarum nube obscurata sunt omnia. Rhenanus *arte ducis irati* scribendum opinabatur. Lipsius, qui prius suaserat *arte ducis victos rati*, probatum illud a Lamallio et Seebodio, postea maluit scribere sic: *non ut virtute, sed occasione et arte ducis superati.* Pichena: *arte victos rati*, scilicet *ducis* vocem redundare opinabatur; unde originem suam duxerunt Broterii et Dahlii (animadverss. p. 16.) correctiones: *arte ducis se victos rati.* Gruterus: *ut non virtute, sed occasione et arte duces strati* vel *superati*; Acidalius: *strati* vel *fracti*; Freinshemius: *non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati*, quae quidem correctio facillima est et valde probabilis. Boxhornius eadem fere sententia: *non virtute, sed occasione atque arte ducis superati*, quod *atque* mutato in *et* probarunt Broterius et Beckerus. Heumannus: *occasione et arte superati* vel *casune an arte superati.* Ernestius: *arte vicisse* sc. Romanos *rati*; Bipontini: *non virtute, sed occasione et arte usos rati* sc. Romanos, quod receptum est ab Oberlin. Weikert. Naudet. Bekkero. Walchius de-

tutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. atque ita inritatis utrimque animis discessum.

XXVIII. Eadem aestate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus adscendere: et uno remigrante, suspectis duobus eoque in-

nique ingeniosius quam verius in meletem. p. 13. coniecturam proponebat hanc: *non virtute se, sed occasione et arte ducis elusos rati*, quam suam fecit censor in Ephemerid. lit. Ienens. a. 1816. nr. 127. Sed illis correctionibus non opus, dummodo vulgata recte explicentur. Salinerius subintelligebat *victos*, Virdungus: „deest vox *viros* (?) aut alia talis"; Dronkius *vinci* excidisse putabat; Hertelius ellipsim statuebat: *rati* sc. victos esse, ut Salinerio iam visum erat. Malim sic explicari: verba *non virtute, sed occasione et arte ducis* pro ipsis Britannorum verbis accipienda sunt, quibus iactationi Romanorum militum *nil virtuti suae invium* frementium responderint. ellipsis ex ore abrupte loquentium tolerabilior sane est; ablativo vero utendum erat, ut causa exprimeretur, ob quam illud factum sit. cf. Hist. 1, 83. *tumultus proximi initium non cupiditate vel odio (quae multos exercitus in discordiam egere), ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum* (sc. excitatum esse): *nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit.* Praeterea contra Walchium et Ricklefsium dicendum est, qui, si quis probaverit *superati* scripturam, talem sententiam Romanis, Agricola, Tacito indignam esse opinantur. Si quidem ita se habuit, quidni dicere potest Tacitus, cui omnino veritas indigna videri nequit. Sed adquiesco in librorum scriptura [uti nuperrime I. Bekkerus].

coniuges ac liberos ... transferrent. Ed. Put. pr. *transferent.* Frequentem vocabulorum *coniuges ac liberi* coniunctionem illustravit Doederlein. Lat. Syn. u. Etym. T. IV. p. 329.

Cap. 28. *cohors Usipiorum.* De re cf. Dion. 66, 20. *στρατιῶται γάρ τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρχόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον· καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ θάτερα, πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσσχόντες.* De Usipiis cf. not. ad Germ. c. 32.

et in Britanniam. Sic MS. Vat. 3429. (teste Broter.), indeque edd. Broter. Oberlin. Becker. Hertel., probante Dronkio. Vulgo omittitur *et.*

immixti manipulis. MS. Vatic. 3429. *immixtis manipulis*, male.

et uno remigrante. Sic editiones veteres. — *remigante* MS. Vatic. 3429. edd. Lallemand. Bipont. Oberlin. Bekker. [in edit. novissima idem *remigrante* restituit.] Becker. Hertel. Sed quis unquam

terfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. mox hac atque illa rapti, et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum in-

remigare dixit pro *gubernare*, immo utrumque officium accurate distinguitur ab Ovid. Metam. 13, 366. *quantoque ratem qui temperat, anteit Remigis officium, quanto dux milite maior: Tanto ego te supero.* Et pugnat huius scripturae sensus cum sqq. *amissis per inscitiam regendi navibus*, ex quibus recte colligitur, ne unum quidem gubernatorem iis superfuisse, qui si adfuisset, navis gubernandae rationem alios docere potuisset. Quare servandum duco *remigrante.* Alii id accipiunt pro participio perfectae actionis, ut sit *quum unus remigrasset*, quem igitur fugisse statuunt; alii iique rectius et remigrantem (h. e. navem eo, unde profecta erat, reducere conantem) et duos suspectos (h. e. tanquam idem consilium volverent animo) interfectos esse. Tres igitur trium liburnicarum gubernatores interfecti sunt.

praevehebantur. Sic MSS. Vaticc. (teste Broter.), sed in marg. cod. 3429.: „alius habet *praebebantur.*" Illud receperunt Bipont. Oberlin. sqq. omnes pro vulgato *provehebantur.* Immo praevehebantur Britanniae oras, hominibus e terra prospectantibus, quare additum puta *ut miraculum.* Praepositionis *prae* significatum explicavi supra ad cap. 23., ubi add. Hist. 2, 2. *oram Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus.*

mox hac atque illa rapti et cum etc. Sic tacite correxit Rhenanus, quem editores ad unum omnes sequuti sunt. MS. Vat. 3429. *mox ad aquam atque ut illa rapti secum*; edd. antiquae usque ad Alciat. *mox ad aquam atque ut illa raptis secum.* Bosius correxit *mox ab aqua hac atque illac rapti*, Dionis fortasse sequutus verba: *περιέπλευσαν — ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε*; similiterque Iacobus: *mox ab aqua atque vi procellarum acti.* Male uterque. Alias emendationes proposuit Selling. observatt. p. 25. suadens, ut scribatur vel *mox ad aquam atque utilia rapienda cum plerisque*, vel *mox autem aquam atque utensilia raptantes cum plerisque.* In hac displicet *autem*, quam particulam non solet Tacitus interponere tam otiosam, tum *utensilia raptantes* non minus a veterum librorum scriptura recedit, quam Rhenani correctio. Quam priore loco Selling. posuit emendationem, eam aegrius etiam fero tum ob *rapienda*, in quod tam facili negotio vix commutari potuit *rapti se*, tum *ob aquam atque utilia*, tanquam *aqua* et *utilia* res sint diversissimae, immo proclive est corrigere *ad aquam aliaque utilia.* Sed melius rem expedies legendo: *mox ad aquam atque utilia rapturi secum plerisque Britannorum — congressi. Ad aquam* explica, si quando in terram transiverant aquam petituri; *rapturi* ob scripturae compendium facile abire potuit in *rapti. Congredi* dativo iungi aeque bene quam ablat. et *cum* praepositioni, non est quod doceam uberius. cf. Ovid. Metam. 12, 76. *congreditur Cygno;* Virg. Aen. 1, 479. *congressus Achilli;* quem antiquorum morem vocat Servius ad h. l. Sic demum verba sqq. *sua defensantium*, quae in Rhenani lectione non habent quo referantur, egregie respondent *utilia rapturis secum.*

sua defensantium. In margine MS. Vatic. 3429. *ut sua defensantium*, quod a Pomponio Laeto ibi adscriptum prodidit Broterius.

opiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. ac fuere, quos per commercia venumdatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos, indicium anti casus inlustravit.

XXIX. Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus anno ante natum filium amisit. quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose, neque

atque ita circumvecti. ita, quod in MS. Vat. 3429. deest, omiserunt Becker. et Hertelius, se non desideraturum profitetur Dronkius.

primum a Suevis, mox a Frisiis. Suevos intellige Anglos et Aviones, qui trans Albim siti ad mare occidentale pertinuisse videntur. cf. Germ. c. 40. et Walch. ad h. l. Eos autem primum a Suevis, mox a Frisiis interceptos esse, ita intellige, ut non omnes simul, sed alios primum a Suevis, alios deinde a Frisiis captos esse putes. Non enim crediderim tres naves eodem temporis momento amissas esse, unam potius post alteram, ut sic Usipiorum alii ad terram adpellerentur, dum alii proveherentur. Nam, quod Walchius opinatus est, Usipios primum a Suevis, praedonibus maritimis, et deinde una cum his a Frisiis interceptos esse, e Taciti verbis colligi omnino nequit. Ceterum pro *Suevis* Seebodius scripsit *Suecis*, non opus.

inlustravit. cf. Ramshorn. p. 551. § 184., 2. not. 2.

Cap. 29. *Initio aestatis.* Novum caput incipiebatur plerumque a verbis: *igitur praemissa classe*, ut verba: *initio — remedia erat* ad praecedens caput referrentur. At vero aestatem aliam hic inchoari, apparet satis cum e cap. 34.: *ii sunt quos proximo anno unam legionem furto noctis adgressos clamore debellastis*, tum e totius narrationis ordine. Nam verba, quae c. 27. extr. leguntur: *ita inritatis utrinque animis discessum*, illius expeditionis finem indicant aperte; cap. 29. de Usipiis additur narratiuncula ad eandem aestatem pertinens. Verba igitur *initio aestatis* etc. non possunt intelligi nisi de septima aestate: quare non opus esse patet Broterii et Ernestii emendationibus, *sequentis* vel *proximae* vel *septimae initio aestatis.* Tam accuratam numeri notationem quis obtrudat Tacito, ubi sententiarum nexus eam ostendit luce clarius.

ictus — amisit. Male Beckerus et Hertelius cum Ramshorn. p. 696. per hypallagen explicant: amisso filio ictus est. Immo primum scriptor dicit Agricolam domestico vulnere ictum esse, deinde vero addit, quale vulnus fuerit. Participii *ictus* rationem grammaticam demonstravit Walch. ad c. 33. *adhortatus disseruit*, cuius exemplis add. An. 3, 19. *pollicitus monuit*; ibid. 3, 42. *Florus . . . victores frustratus ... sua manu cecidit.*

ambitiose. Nequit comparari cum verbis de Germ. c. 27. *funerum nulla ambitio*, ut sumptuosa intelligatur pompa. Est potius Stoicorum firmitatem aemulata animi constantia et fortitudo a lamentis et lacrimis aliena, id quod sqq. docent. Varia enim est ambitio, *militaris* An. 3, 13., *municipalis* An. 4, 62.

per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit. et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium pervenit, quem iam hostes insederant. nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu et ultionem aut servitium exspectantes tandemque docti, commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. iamque super triginta millia armatorum adspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes: cum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum loquutus fertur:

rursus. cf. not. ad An. 13, 14. et Kritz. ad Sall. Cat. c. 53, 5.

et in luctu. Perperam a Gisb. Koenio specim. inaug. p. 5. correctum esse *sed in l.*, docebunt ea, quae adnotavi ad An. 1, 11.

Grampium. MS. Vat. 3429. t. Broter. *Graupium.*

hostes insederant. MS. Vatic. 3429. *hostis insederat*, unde a Dronkio praelatum et a Becker. et Hertel. receptum est. Ed. Put. pr. *insederat.*

legationibus et foederibus i. e. foederibus per legationes factis. cf. Roth. l. l. p. 54.

quibus cruda ac viridis senectus. Synonyma. cf. Roth. l. l. p. 15. Est vero locutio ducta ex imitatione Virgil. Aen. 6, 304. *sed cruda deo viridisque senectus.* eorundem verborum coniunctio est apud Silium 5, 569. *in arma ille quidem cruda mente et viridissimus irae ibat.* Sic Homericum illud Il. 23, 791. *ὠμογέρων.*

et sua quisque decora gestantes. et sua edd. vett. ante Rhenan. et nuper Dronk. — *ac sua*, quod Rhenano debetur, exhibent deinceps omnes. *Decora* Ernestius intelligebat praemia ob virtutem bellicam accepta; Hertel. et Walch. cogitabant de manubiis, quas interfectis hostibus detraxerint. Equidem tam accurate distinguendum esse non puto. Sunt enim decora sive avita ob generis nobilitatem sive ob virtutem tributa sive ex interfecto hoste rapta.

Calgacus. Sic MSS. Vaticc. 3429. 4498. et (Broter. teste) Pomponius Laetus in exempl. suo, item edd. antiquae ante Alciat. et Rhenan. et nuper Broter. sqq. Edd. Alc. Rhen. sqq. ad Broter. *Galgacus.* Cambdenus volebat substitui *Galaneum*, Beckerus ex Ossiani carminibus *Calgarum.*

contractam. Edd. Put. pr. Med. Venet. *contracta.*

XXX. „Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum „diem consensumque vestrum initium libertatis totius „Britanniae fore. Nam et universi servitutis expertes, „et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium „in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius „Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium litora adspicientes oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. nos terrarum ac

Cap. 30. *Quotiens.* Edd. Seebod. Becker. et Hertel. *quoties;* sed cf. not. ad cap. 1. [adde Bötticher. Lexic. Tacit. p. 397. Ed. Wunder. praef. Cic. orat. pro Plancio p. XV.]

magnus mihi animus est. Apte contulit Walchius Sallust. Catil. 40, 6. *quo legatis animus amplior esset;* vide praeterea Ciceron. de offic. 1, 8, 25. *in quibus autem maior est animus,* ad eumque loc. Beierum.

universi servitutis expertes. i. e. imperiti sumus et propterea servitutem tolerare non possumus. cf. An. 2, 52. *atque hic — bellorum expers habebatur.* Ad *universi* vocem intellige *nos*, quod e sequenti *nobis* supplendum est.

proelium atque arma. Synonyma. cf. Roth. l. l. p. 10. Sic *bellum* et *arma* coniuncta reperiuntur Hist. 2, 1. *aderant qui arma Vitellii bellumque adfirmarent;* Virg. Aen. 7, 235. *seu quis bello est expertus et armis;* Liv. 3, 69. *arma et bellum spectabat.*

priores pugnae. Frustra Freinshemius probante Boxhornio *pugnae* volebat deleri. Est enim per *μετωνυμίαν* dictum pro iis, qui priores pugnas pugnaverunt.

nobilissimi — in ipsis penetralibus siti. cf. Caes. B. G. 5, 12. *interior pars ab iis colitur, quos natos in insula ipsa memoriae proditur.* Aboriginum igitur gloriam sibi vindicant. Mirum sane videtur, Ernestium horum verborum sententiam non assequutum corrigere voluisse *novissimi* i. e. ultimi. In penetralibus vero praestantissima quaeque (*κειμήλια*) posita esse, in vulgus est notum. Pro *totius* in ed. Put. Ven. exstat *tutius.*

a contactu. Sic legendum suasit Rhenanus, quem omnes sequuti sunt; idem in ed. Puteol. pr. et codd. Vaticc. esse, unde resciverint Dronkius et Beckerus, nescio. — *contractu* edd. vett. ante Rhen. Tropus a morbis ductus. cf. Bötticher. Lex. Tacit. p. 126.

habebamus. Edd. Bipont. Engel. *habemus*, vitiose.

terrarum ac libertatis extremos. h. e. qui in extremis terris habitant et eorum, qui libertatem servarunt integram, ultimi.

„libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famae in „hunc diem defendit. nunc terminus Britanniae patet:

recessus ipse ac sinus famae. Locus, qui mirum in modum interpretum ingenia exercuit, immo vexavit, quum alte scrutando quaererent, quod ante pedes est positum. Lipsius explicat: „defendit nos, quod longinqui, occulti et vix fama noti fuimus (in sinu famae conditi)." Sed vix mihi persuadeam, tam modeste loquutos esse nobilissimos totius Britanniae, in quorum manibus priores pugnae spem ac subsidium habebant; nec fero hunc verborum *famae sinus* significatum. Eadem sententia inest I. Fr. Gronovii explicationi, quam proposuit Observatt. I. c. 4. [p. 29. ed. Frotsch.], *sinum* esse partem secretam et locum maxime remotum, ut de Germ. c. 29., ubi vero homines nulli, ibi nec famam, quae hominum ore seritur; intelligendum igitur esse: sinum ac recessum orae habitabilis. Qua in explicatione acquieverunt plerique. Novam rationem excogitavit Walchius; progrediens enim is a dicendi formulis *spelunca alto recessu*, *mare alto recessu* vocem *recessus famae* accipit de fama e conspectu Britannorum in remotissimas terras recedente (*intensiv stark gewordener Ruf*); *sinus famae* de fama sinum quasi sermonibus praebente (*extensiv ausgebreiteter Ruf*) et ad illustrandam sententiam ita eam describit: *Uns, das letzte Volk des Erdkreises u. der Freiheit, der aus dem Anblick der Britannier in weiteste Ferne sich zurückzog, u. der Fama gleichsam den Busen öffnete, bis auf den heutigen Tag geschützt.* Quae omnia mirabiliter dicta esse, fateor ingenue. Alia explicandi ratio ab Rothio proposita est l. l. p. 10. sq., is enim *famae* casu tertio cum verbo *defendit* iungendum censet, ut sit: recessus ipse ac sinus nos a fama defendit, procul habuit, isque sententiam firmatam putat verbis sqq.: *omne ignotum pro magnifico est.* Hanc *defendere* verbi propriam significationem esse, ut sit pro *arceo*, *propulso*, neminem fugit [cf. Beier. ad Cicer. Off. 1, 7, 23.], id vero a pedestris orationis scriptoribus cum dativo iunctum esse nunquam, contendo. cf. Drakenborch. ad Sil. 5, 490. Sed ut sit, eadem tamen residet in ipsa sententia difficultas, quam notavimus supra in Lipsii verbis. Sellingius in observv. pag. 25. *sinus* ac *recessus* synonyma esse et ex utroque *famae* genitivum pendere statuebat hac sententia: „Romani usque ad hunc diem nos non aggressi sunt, non solum propter longinquitatem regionis nostrae, sed etiam, quod ne nomen quidem nostrum ad aures eorum pervenit." Sed tanto labore non erat opus, ut genuina sententia loco redderetur. Dicendum est primum, verba cohaerere sic: *priores pugnae — spem ac subsidium in nostris manibus habebant; — nos — recessus ipse ac sinus famae defendit*, ut ita *nos* et *priores pugnae* invicem sibi sint opposita. *Recessus* ad antecedentia spectare idemque significare, quam quod verbis *terrarum extremi* et *in penetralibus siti* inest, edocemur *ipse* pronomine; est igitur nostrum *die Entfernung*. Diversum ab hoc est alterum illud *sinus famae*, quod neutiquam pro synonymo *recessus* vocabuli cum Rothio et Sellingio accipi potest. Quid sit, demonstrari poterit ex dicendi formulis *gestare in sinu*, *habere sinu*, quae de intima familiaritate et caritate usurpantur frequentissime. Quare *sinus famae nos defendit*, h. e. id nos defendit, quod in sinu famae sumus; egregia illa et magnifica gloria, quae nos utpote totius Britanniae nobilissimos exornat, defendit nos. Sic demum sequentia

„atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla „iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa et infestiores „Romani: quorum superbiam frustra per obsequium „et modestiam effugeris. raptores orbis, postquam „cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur:

verba habent, unde explicentur. Pergit enim Calgacus: *nunc terminus Britanniae patet*, h. e. recessus ille non amplius nos defendit, quum terminus Britanniae Romanis adhuc clausus pateat iam; *atque omne ignotum pro magnifico est*, h. e. magnifica gloria, qua adhuc fuimus tuti, minorem nunc habet vim, postquam Romani propius accessere. Quae quum non persentiscerent interpretes, locum ut deploratum coniecturis persanare volebant. Rhenanus corrigebat *fama*, i. e. per famam defendit; Muretus delebat *atque omne ignotum pro magn. est* et probabat *fama;* transpositionem tentabant Acidalius et Broterius, ille vel: *recessus ipse ac sinus* (*famae* vel *fama, namque omne ign. pro magn. est*:) *in hunc diem def.*; vel: *recessus ipse ac sinus in h. d. defendit. Famae namque omne ign. p. m. est;* hic vero in hunc modum: *sinus famae in hunc diem defendit, atque omne ign. pro magn. est. Sed nunc term. Brit. patet* etc. *Situs* scribendum pro *sinus* in mentem venerat Boxhornio. Verte: *die Entfernung selbst und der Schoofs des Ruhms hat uns geschützt.* Animi causa aliorum placet subiungere conversiones vernaculas, Strombeckii: *Uns — vertheidigte bis zu diesem Tage unsere Abgeschiedenheit selbst und des Rufes Verborgenheit;* Ricklefsii: *Uns — hat die Abgeschiedenheit selbst und die Verborgenheit des Rufs bis auf diesen Tag geschützt;* Walchii: *Uns — schützte Tiefe und Busen unseres Rufs bis zum heutigen Tag;* Bötticheri: *der Erde Grenzbewohner und der Freiheit letztes Bollwerk, hat uns eben unsres Rufs geheimnifsvoll schützendes Dunkel bis auf diesen Tag vertheidigt.*

atque omne ignotum. Pro *atque*, Rhenanus inquit, nihil sit incommodi, si quis *atqui* legat. Idem malebat Gesnerus, alii. Sed inutilis est et molesta correctio, quum *atque* duas coniungat sententias, quae eodem modo se excipiunt, quo supra *recessus* ac *sinus famae*. *Atqui* particulae, quae obiectioni inservit, nullus locus. cf. Drakenborch. ad Liv. 3, 52, 8. apud Beier. ad Cic. de offic. 3, 11, 48. Ad sententiam contulisse iuvabit Liv. 28, 44.: *Ad hoc maior ignotarum rerum est terror. Bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias.*

et infestiores Romani sc. quam fluctus et saxa. Scriptura *infestiores* debetur MS. Vat. 3429., ex quo eam receperunt Broter. Ernest. sqq. Eandem in castigatt. suaserat Rhenanus *eo* pronomine addito, quod Pichena probavit. Edd. antiquae exhibent *inferiores*, unde operarum, ut videtur, errore in edd. sqq. venit *interiores*. Lipsius corrigebat *et iis feriores*, V. D.: *et inter ea Rom.*, I. Fr. Gronov.: *et infestiora Romanis*, Anquetil in Seebod. bibl. crit. a. 1819. nr. 11. p. 1054. et Seebodius: *infra feriores Romani.* Sed sanissimum est *infestiores*.

obsequium et modestiam. H. l. et c. 42. synonyma. cf. Roth. l. l. p. 11. Sic Liv. 29, 15. *fide atque obsequio.*

cuncta. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Rhenan. sqq. Ed. Put. pr. *cuncts*, hinc edd. Put. Med. Venet. Riv. Alc. *cunctis.*

terrae. MS. Vatic. 3429. et edd.

„locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi: quos „non Oriens, non Occidens satiaverit. soli omnium „opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. au- „ferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium „atque, ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.

XXXI. „Liberos cuique ac propinquos suos na- „tura carissimos esse voluit. hi per delectus, alibi ser- „vituri, auferuntur; coniuges sororesque, etsi hostilem „libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum „polluuntur. Bona fortunaeque in tributum aggerata, „annus in frumentum. corpora ipsa ac manus silvis

ante Rhenanum *defuere: terram*, quod Rhenanus felicissima correctione emendavit in *defuere terrae*.

ambitiosi. Cf. An. 3, 13. *ambitiose avareque habitam Hispaniam.*

soli omnium opes atque inopiam. Sic edd. Riv. Rhen. sqq. — Edd. Put. Venet. Beroald. Alc. *soli omnium atque opes inopiam.* Ad sententiam adpositus est locus Sall. fragm. Hist. 4, 15. in epistola a rege Mithridate scripta ad regem Arsacem: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum. — An ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agrum, imperium? convenas olim sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul iuxta sitos, inopes potentesque trahant, excidant. omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant.*

Cap. 31. *etsi hostilem.* Sic edd. Ernest. sqq.; antea edebatur *et si hostilem*; in MS. Vat. 3429. *etiamsi*, quod receperunt Becker. et Hertelius.

bona fortunaeque in tributum aggerata, annus in frumentum. MS. Vatic. 3429. Broter. teste *bona fortunae quae in tributum aggerat animus in frumentum*, teste Dronk. *bona fortunae quae* (in margine *quoque*) *in tributum agerat* (ed. Alc. *egerat*) *annus: in frumentum;* quae quum corrupta sint aperte, Rhenanus emendavit *bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum*, quem verbi *egerere* usum illustrarunt plerique Quintil. declam. 5, 17. *cur in exsequias totos egerat census*, ubi consumtum, ad nihilum redactum censum notari docuit cum Barthio Burmannus. Rhenani emendationem omnes fere editores amplexi sunt; offensi nonnulli, et quidem iniuria Ernestius, in *annonae* vocabuli usu. Quare Walchius in emendatt. Liv. p. 107. coniecit: *annos in frumentum*, idque in suam editionem recepit. Sed nimium id a librorum testimoniis recedit; quare Doederleinio auctore a Dronk. Becker. Hertel. editum est *bona fortunasque in tributum aggerant, annum in frumentum;* audacius vero Woltmannus correxit: *bona fortunae in tributum; quae aggerat annus, in frumentum, corpora ipsa* etc. Nihil sufficit; ad Vaticani libri scriptu.

„ac paludibus emuniendis verbera inter ac contumelias „conterunt. nata servituti mancipia semel veneunt, „atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem „suam quotidie emit, quotidie pascit. ac sicut in fa„milia recentissimus quisque servorum et conservis lu„dibrio est: sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu „novi nos et viles in excidium petimur. neque enim „arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exer„cendis reservemur. virtus porro ac ferocia subiecto„rum ingrata imperantibus: et longinquitas ac secre„tum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe „veniae tandem sumite animum, tam quibus salus, „quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina

ram aptissime mecum repone, una tantummodo litterula, quam *annus* vocabulum absorpserat, addita: *bona fortunaeque in tributum aggerata, annus in frumentum. Annus* de proventu anni usurpari post I. Fr. Gronov. Observv. I, 2. [p. 19. ed. Frotsch.] et Ruhnken. praef. lex. Scheller. docuit et probat Tacit. de Germ. c. 4. *arare terram aut exspectare annum.* Calgacus igitur postquam dixit de liberis ac propinquis, de coniugibus ac sororibus, pergit ad bona fortunasque, queriturque ea aggerata i. e. coacervata in tributum, annum i. e. messem in frumentum. Utitur vero scriptor praeterito tempore, quia bona pridem cumulata a Romanis tributorum nomine eripiuntur, frumenta vero ex horreis hauriuntur (cf. cap. 19.). Ceterum nota synonyma *bona fortunaeque,* cf. Roth. l. l. p. 11. et Cicer. orat. pro Rosc. Amer. 3, 8. *pecunia fortunisque nostris contentus,* id. Philipp. 11, 5. *possessiones atque fortunas.*

verbera inter ac contumelias. Edd. antiquae ante Rhenan.: *silvis ac paludibus verbera emuniendis inter ac contum.*, quae verborum transpositione in scripturam hodie vulgatam mutavit Rhenanus. Recte. cf. Hist. 5, 29. *insulam inter Germanosque;* An. 4, 69. *tectum inter et laquearia;* An. 4, 5. *Misenum apud et Ravennam;* ibid. 13, 12 *uxore ab Octavia.* MS. Vatic. 3429. (Broter. teste, Dronkio tamen nihil de discrepantia innotuit) *inter verbera ac contumelias*, quod praetulerunt Broter. Seebod. Becker. Hertel.

et conservis. MS. Vatic. 3429. et inde edd. Becker. Hertel. *etiam conservis*, quod ex interpretamento ortum apparet.

arva. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Rhenan. sqq., quod cur suspectum fuerit Pichenae de armorum officinis cogitanti nescio. Ante Rhenanum edebatur *arma.* Sed cf. Caes. Bell. Gall. 5, 14. *interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt,*

aut portus. Walchius explicat: „neque portus, quorum reditibus redimendis reservemur." Immo portus exercentur navibus, quare *portubus exercendis reservari* ad remigum laborem referri malim. Schefferus in epist. ad Nic. Heinsium missa (Burmann. syllog. T. V. p. 5.) corrigebat *pastus.*

Brigantes. Sic MS. Vatic. 3429. et edd. ante Broterium et Erne-

„duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi fe-„licitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: „nos integri et indomiti et libertatem non in poeniten-„tiam laturi, primo statim concursu ostendamus, quos

stium, qui ex Cambdeni sententia a Virdungo quoque probata posuere *Trinobantes* secundum An. 14, 31. Séd recte veterem lectionem restituerunt cum Doederleinio in vern. transl. p.57. Dronk. Becker. Hertel. Walch. I. Bekker.

socordiam. Edd. antiquae *secordiam.* Eandem discrepantiam in *socors* adiectivo notavimus ad An. 4,39. [cf. Kritz. ad Sall. Cat. c.4,1.]

nos integri et indomiti et libertatem non in poenitentiam laturi, primo statim concursu ostendamus. Sic MS. Vatic. 3429. Dronkio quidem teste, Broterius enim inde profert: *et in libertatem non in poenitentiam*, ubi prior praepositio haud dubie abundat. Nimirum Caledonii illo bello laturi erant libertatem h. e. recuperaturi, reportaturi, accepturi (quem vocabuli significatum illustravit I. Fr. Gronov. diatr. in Statii Silv. I, 1. p. 49. ed. Hand. et Emeric. Cruceus in antidiatr. p. 78.), at non in poenitentiam, h. e. non tanquam ipsos poeniteret libertatis prius amissae, sicuti Brigantes, non ut iugo Romano dudum oppressi, sed indomiti et avitae libertatis retinentes. Cf. Suet. Octav. c. 27. *in cuius tamen pertinaciae poenitentiam postea T. Vinium Philopoemenem — equestri dignitate honoravit.* Edd. antiquae ad Rhenan.: *et in libertatem non in praesentiam laturi primo statim congressu unde ostendamus*; ed. Rhen.: *et libertatem non in praesentia laturi pr. st. c. unde ostendamus*, sed idem in castigatt. *inlaturi* scribi volebat. Salinerius: *et libertatem non in praesentia laturi primo statim congr.? unde ostendamus* etc. Lipsius: *et libert. non in praesenti ablaturi* (vel *illaturi*), *prima statim congressione ostendamus* vel *pr. st. c. nonne* etc. Harlaeus: *et libert. nos in praesens etiam relaturi* (vel *daturi*), *pr. st. congressu nonne ostendemus.* Bipont. et Engel.: *et ii libert. non in praesens tantum laturi, pr. st. c. nonne ostendemus.* Dahl. animadv. p. 17.: *et libertatem non in praesens vindicaturi.* Heumannus: *et libertatem in praesentia ulturi, non prima st. congressione ostendamus,* Doederl. Lat. Etym. et Syn. tom. I. p. 144.: *et libertatem non in praesentiam laturi, primo st. congr. uno die ostendamus.* Audaciores aliquanto fuerunt alii, ut Acidalius, qui suadebat vel: *et minui libertatem non in praesentia laturi, prima st. congressione ostendamus* vel: *et libertatem non imperio in praesentia mutaturi* vel: *et libertati, non imperio sueti, alacri prima st. congressione;* Muretus in Var. Lect. XV, 3.: *et in libertatem, non in populi Romani servitium nati prima st. congressione ostendamus.* Cannegieterus observv. iuris Roman. p. 115.: *et in libertatem proni, in praesenti arma laturi.* Broterius: *et in libertatem, non in praedam, certaturi, primo st. congressu vivide ostendamus.* Ernestius: *et libertatem in praemium* (vel *praemia*) *laturi, non prima st. congressione ostendamus.* Arzt.: *et libertati novissima praesidia laturi.* I. Fr. Gronovius: *et libertatem nunc demum periclitaturi* vel *et libertatem omnem in procinctu laturi.* Walchius: *et libertatem in praecipitem aleam daturi, primo st. congressu non ostendamus.* V. D.: *et, ni libertatem, non poenitentiam laturi.* Nuperis denique editoribus ita

„sibi Caledonia viros seposuerit? an eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam adesse „creditis?

XXXII. „Nostris illi dissensionibus ac discordiis „clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: „quem contractum ex diversissimis gentibus ut secun„dae res tenent, ita adversae dissolvent: nisi si Gallos „et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, „licet dominationi alienae sanguinem commendent, diu-

placuit constituere enuntiatum; Dronk.: *et libertatem non in praesentiam laturi, primo st. congressu ostendamus;* Beckerus cum Hertelio *concursu* pro *congressu* receperunt; Walchius: *et in libertatem non in praesentiam laturi, primo st. congressu non ostendemus;* I. Bekkerus: *et libertatem non in praesentia laturi, primo st. congressu non ostendamus.* — Non minus interpretes exercuerunt extrema verba, quae ex Vaticani libri auctoritate constituimus. Nam praeter *non ostendamus*, quod a Danesio profectum est, corrigebant Gruterus *undecunque*, Grotius *abunde*, Virdungus *mundo ostendamus*, I. Fr. Gronovius diatr. in Stat. I. l. et III, 2. p. 269. ed. Hand.: *inde ostendamus* ita quidem, ut *primo congressu inde* pro *a primo congressu incipientes* positum esse censeret ex Taciti more adverbia pro nominibus adiectivis usurpantis. Adoptavit eam correctionem Seebodius; *vivide* vero, quod amplexus est Broterius, ab Ios. Scaligero exemplari suo adscriptum et ab Rutgersio Lect. Venus. c. 31. p. 451. probatum est. Censor Ienens. *cuncti ostendamus.* Frustra omnes, acquiescamus in Vatic. codicis scriptura.

Cap. 32. *dissensionibus.* Sic MS. Vatic. 3429. (Dronk. teste), vetus cod. Ursini, idem malebat Rhenan. in castigatt. probantibus Mureto, Danesio, Faërno, Acidalio, Broter. et nuper Bekker. Dronk. Becker. Hertel. — Edd. antiquae, Ernest. Bipont. Oberl. Seebod. Walch. *discessionibus.* Praefero illud, quamvis multo languidius visum sit nupero Forcellini thes. editori. cf. dialog. de oratt. c. 40. *nostra quoque civitas — donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit.* Utraque scriptura convenit cum illis, quae cap. 12. narrata sunt.

clari vitia. Edd. Put. Venet. Riv. *clari. Vita;* edd. Beroald. Alciat. *clari. Vitia;* ed. Rhen. *clari, vitia* etc., quam verborum distinctionem, uti par erat, omnes servarunt editores. Nihil vero mutandum est, nam *elati* friget ob *gloria* vocabulum. — Male pro *hostium* Muretus corrigebat *nostra.* cf. not. ad cap. 25. — Pro *dissolvent* in ed. Puteol. Ven. *dissolent* expressum est.

nisi si. cf. Observv. mearum specim. prim. p. 16. et not. ad An. 2, 63. 6, 25., [add. Herzog. ad Caes. de bell. Gall. 1, 31. Ruhnken. dict. Ovid. Heroid. p. 31.]

pudet dictu. cf. Ramshorn. gr. §. 170., 2. p. 452.

licet ... sanguinem commendent. Sic edd. Put. pr. et Mediol.; *licet*, quod omissum est in edd. Puteol. Ven. Riv. Beroald. Alciat., recte restituerunt ex MS. Vatic. 3429. auctoritate Broterius

„tius tamen hostes quam servos, fide et adfectu teneri „putatis. metus et terror est, infirma vincla caritatis: „quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse inci- „pient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt. „nullae Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fu- „gam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria aut

et Ernestius, quos praeter Seebodium et Doederleinium omnes deinceps sequuti sunt. Rhenani emendatione *commodantes* ob fidem libri nunc non opus. *Commendent*, quod pro vulgato *commodent* in MS. Vatic. 3429. repertum est, placuit Beckero et Hertelio. [Solitum in illo vocabulo errorem dicit Orellius ad Phaedri fabul. 1, 47, 3.]

hostes quam servos. Edd. ante Rhenanum *hostes servos;* MS. Vatic. 3429. *servos hostes*, quod probaverunt Beckerus et Hertel., quibus „*servi hostes* sunt homines, qui etiamsi serviant, hostes tamen nunquam esse desiverunt." Qua tandem ratione id fieri possit, equidem non adsequor. Praestat haud dubie Rhenani emendatio, quidquid dicunt *inepti Membranarum admiratores*. Sed tamen ubi religiosior aliquis est, per me licet corrigat *hostis*, ut aut iungatur genitivus cum *servos* (*als Sclaven des Feindes*) aut cum *fide et adfectu.*

metus et terror est, infirma vincla. Male edd. Beroald. Alc. *met. et terror sunt inf.*, vulgata scriptura nititur antiquarum edd. testimoniis. *vincla* exhibuimus ex MS. Vatic. 3429., ut Hist. 3, 23. 47.; *vincula caritatis* reperias quoque An. 1, 55. [De adpositione vide Kritz. ad Sall. Cat. c. 4, 2.]

quae ubi. Edd. Puteol. pr. Med. Ven. *qua ubi.*

qui timere desierint. Lipsio placebat *quos timere*, at melius *timere* et *odisse* absolute accipiuntur, ut An. 15, 67. et Agric. c. 22.

accendunt. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Puteol. pr. Mediol. Riv. — *accedunt* vitiose edd. Put. Venet. Beroald. Alc., quem errorem correxit Rhenanus. Mirum sane, Doederleinium Act. phil. Monac. II. p. 337. *accedunt* scripturae patronum exstitisse. cf. de Germ. c. 7. *hortamina pugnantibus gestant.* Caes. de bell. gall. 1, 51. *mulieres imposuerunt, quae in proelium proficiscentes milites passis manibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.* Eandem discrepantiam notavit Drakenborch. ad Liv. 3, 68., adde Cicer. pro Archia c. 6, 14. *nisi litterarum lumen accederet*, pro quo vulgabatur *accenderet.* Sic *militem accendere* An. 14, 7.; *mihi animus accenditur* Sall. Catil. c. 20, 6.

exprobraturi. Edd. Puteol. et Riv. *exprobaturi.*

aut nulla plerisque patria aut alia est. Plerumque Barclaio praeeunte *quibus nulla patria* intelliguntur Britanni, qui patriae desertores dominationi alienae sanguinem suum commodaverunt. Id Ernestio quoque, Walchio, aliis probatum est. At vero nonne hisce patria est ipsa Britannia? Consideres velim sententiarum nexum; Calgacus recenset victoriae incitamenta, omnia dicit pro Caledoniis esse, deesse vero hostili exercitui. Uti Caledonios, sic argumentatur, patriae amor incitat ad victoriam referendam, ita hostium plerisque aut nulla patria est, h. e. patria non est, pro qua militent, cuius de gloria certent, aut alia, h. e. diversis terris orti sunt, Batavi, Tungri, Galli, Britanni, alii, ut ita animorum studiorumque consensus prorsus desit. Quare intelligi malim vagos, qui mercedis causa et ad quaestum faciendum militiam

„alia est. paucos numero, circum trepidos ignorantia, „coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum- „spectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis „tradiderunt. ne terreat vanus adspectus et auri fulgor „atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. in „ipsa hostium acie inveniemus nostras manus: agnoscent „Britanni suam causam; recordabuntur Galli priorem „libertatem; deserent illos ceteri Germani, tanquam „nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formi-

exercebant, eosque opponi credo militibus, qui delectus lege e civium Romanorum numero et ex provinciis ad exercitum venerant. Cf. An. 4, 4. *voluntarium militem deesse: ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi militiam sumant.* [Commendeturne ea opinio, ex qua intelliguntur servi libertique in cohortes recepti? cf. An. 14, 7. *cohortes etiam in urbe conscriptas*]. Vulgo *alia* vocem interpretantur diversa a Britannia. „Aliis patria quidem, Dronkius inquit, sed eam non defendunt in Britannia"; *sie kämpfen nicht in ihrem Vaterlande,* Walchius, sed id nullius est ad rem momenti.

paucos numero, circum trepidos ignorantia. Paucos numero, quod in libris antiquis scriptum erat, Lipsius mutabat in *paucos numeros,* ut intelligerentur cohortes. cf. not. ad Hist. 1, 6. Retinebant Lipsianam correctionem Pichena sqq. ad Broterium. *numero* vulgo sic addi solet, velut apud Cic. de orat. 2, 28, 123. *haec sunt enim tria numero;* Liv. 2, 16. *trecenti numero;* Iustin. 10, 1. *apud tot numero filios,* magisque h. l. requiritur id ob parallelismum membrorum. Perperam vero explicant: pauci, qui sunt in numero aliquo i. e. pretio. — *circum trepidos* exstat in libris antiquis, quorum nonnulli *circumtrepidos,* ut una sit vox. Interpretes vim vocabuli eius ignorantes aut deleverunt particulam, ut Heumannus, Oberlinus aliique, aut correxerunt, ut Ernestius, cui *civium* in mentem venit, Anquetil. (cf. Seebod. biblioth. crit. a. 1819. p. 1054.) et Seebod. *locorum trepidos ignorantia,* Walchius, cui *locorum* vel *regionum* vel *viarum* excidisse videtur. Frustra, nam *circum* adverbii loco est ad vim *trepidos* vocabuli augendam, ut sit: quocunque se vertunt, ex omni parte. Frequentat noster id adverbium, ut An. 1, 40. 63. 64 65. etc. — Pro *circumspectantes* Doederl. scribendum suasit *circum spectantes,* probatum illud a Beckero et Hertelio.

vinctos dii nobis tradiderunt. Edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Rhen. Alc. *victos.* — in ed. Riv. exstat *vinctos,* quod inde a Lipsio receperunt omnes. Eiusdem Lipsii palmaria est emendatio *dii* pro antiquarum edd. *alii,* illud tamen cum quadam pertinacia servasse se gloriatur Dronk. priores intelligens Britannos cum Rhenano. Quo ieiunius quidquam excogitari nequit.

recordabuntur. Sic tacite correxit Rhenanus priorum editionum *recordabunt.*

tanquam . . reliquerunt. Tanquam particula, cuius satis frequens est ad metaphoras audaciores mitigandas usus, h l. usurpatur pro *quemadmodum, veluti, non secus ac, sicuti,* ut apud Cic. Tusc. disp. 5, 5, 13. de senect. 23, 83. alibi. — Pro *reliquerunt* edd.

„dinis: vacua castella, senum coloniae, inter male pa- „rentes et iniuste imperantes aegra municipia et discor- „dantia. hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla „et ceterae servientium poenae: quas in aeternum per- „ferre aut statim ulcisci in hoc campo est. proinde „ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate."

XXXIII. Excepere orationem alacres et barbari moris cantu, fremitu et clamoribus dissonis. Iamque agmina, et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu: simul instruebatur acies: cum Agricola,

Put. Ven. Riv. Beroald. exhibent *relinquerunt*.

vacua castella, senum coloniae. Castella intellige militibus vacua, cf. not. ad An. 2, 46. sub vv. *vacuas legiones.* Pro *senum*, quibus per contemptum indicantur veterani milites (cf. cap. 14.), in ed. Riv. legitur *senium;* — pro *coloniae* in Puteolani editionibus *celoniae*.

aegra municipia. Sic MS. Vatic. 3429. (fallitur enim in eius scriptura enotanda Walchius), in margine: „Al. *tetra mancipia.*" Edd. ante Rhenanum *erga* vitiose. *Aegra* vocat, quia ambigua fide sunt. Similiter Cic. Verr. I, 1, 2. *maxime aegra et prope deposita rei publicae pars;* pro Milone c. 25. *omnes tibi rei publicae partes aegras et labantes;* Tacit. An. 11, 23. *non adeo aegram Italiam.* Similiter *sani* vocantur meliorum partium cives. Ruhnk. ad Vell. Pat. 2, 25.

perferre. Sic e MS. Vatic. 3429. Oberlin. sqq. — Priores edd. *proferre*, nimirum ob scripturae compendium sexcenties confunduntur *pro* et *per*. cf. not. ad An. 15, 54. Hist. 1, 30. 2, 4. 4, 9. 41. 61. Germ. c. 45.

maiores. Edd. ante Rhenan. *maioris*.

Cap. 33. *et barbari moris cantu.* Sic edd. antiquae et recentt. pleraeque; — *ut barbaris moris* MS. Vatic. 3429. cuius auctoritatem sequuntur Beckerus et Hertel. Cf. An. 1, 56. *quod illi moris;* Agric. c. 39. *ut Domitiano moris erat;* Hist. 1, 15. *ut moris est;* Agr. c. 42. *quibus moris est illicita mirari*, alibi. Retinendam duxi edd. scripturam, nam, si Vatic. cod. fidem habemus, scribendum est *et*, *ut barbaris moris*.

fremitu et clamoribus. Sic edd. ante Rhenanum, qui induxerat *cantu et fremitu clamoribusque*, iure illud reiectum a Dronk. et Walchio. [Bekkerus tamen Rhenani emendationem restituit.] Eadem vocabula iuncta habes apud Caesar. de bell. Gall. 2, 24. *clamor fremitusque oriebatur*.

iamque agmina, et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu. Redit scriptor Noster ad castra Romana, quae ibi evenerint narraturus. Perperam vero tres huius sententiae partes esse plerique interpretes iudicarunt: agmina procedebant, arma splendebant, audentissimus quisque procurrebat. Scilicet agmina non procedebant, sed composita tantummodo cernebantur ut processura. Fulgentia arma non ad universa agmina spectant, sed unde fulgores illi conspecti sint declaratur ablativo *audentissimi cuiusque procursu*, cui causae inest significatio. Cf. not. ad An. 2, 44. sub v. *discessu*.

instruebatur acies. Sic MSS. Vaticc. 3429. 4498. edd. Becker.

quanquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit: „Octavus annus „est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii „Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis. „tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adver„sus hostes seu patientia ac labore paene adversus ipsam „rerum naturam opus fuit, neque me militum neque „vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum lega-

Hertel. Walch. I. Bekker., rectissime, quia de sola Britannorum acie loquitur noster, non de Romanorum, quos adhuc munimentis coercebat dux, quorumque aciem instructam cap. 35. demum aperit. Edd. priores *instruebantur*. In margine MS. Vatic. 3429. „alius *instituebatur*" secundum Broterium, *instituebantur* testante Dronkio.

munimentis coercitum. Sic Broter. sqq. e MS. Vatic. 4498., quocum consentit vetus cod. Ursini et Vat. 3429. in margine. In contextu verborum ibi scriptum est *monitis*, uti in edd. ante Broter. omnibus. Mirandum est sane, huius scripturae patronum nuper talem enodavisse sententiam: Agricola sciebat militem ad hoc usque tempus vix solis monitis coercitum, multo minus oratione accendendum esse, ita tamen disseruit. *Munimenta* intellige castra, quare cap. 35. *legiones pro vallo stetere*. Participii *coercitus* usum, quem Walchius aliorum scriptorum locis confirmat, probare potuisset ex Agric. c. 18. *nihil arduum aut invictum*. Male correxit Schefferus in Syllog. epist. Burm. T. V. p. 8. *exercitum*.

militem accendendum adhuc ratus. Sic MS. Vatic. 3429. cod. Ursini, edd. Broter. Lamall. Dronk. Becker. Hertel. Cf. Hist. 1, 36. *quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus pro vallo castrorum ita coepit.* In alio libro *militem adhuc cohortandum ratus* idem reperit Ursinus. Edd. vett. omisso verbo *militem adhuc ratus*, quod quia sensu apto destitutum est, Rhenan. coniiciebat *alloquendum adhuc ratus*; Lipsius *acuendum adh. rat.* aut *incitandum* sive aliud tale; Grotius *adhortatus* vel *adhuc adhortatus*, quod probatum est a Scheffero l. l., Trillero Observv. Misc. p. 133., receptum ab Ernest. Bipont. Oberlin. aliis et nuper Bekkero et Walchio; I. Fr. Gronovius: *coercitum militum militem adhortaturus*, ubi *militum*, quod corruptum videtur, recte delevit Ernestius. Sed sanissima codicum scriptura; *adhuc* enim est pro *praeterea*, *insuper*, ut sexcenties. cf. not. ad Germ. c. 19.

Octavus annus est. Quaeritur, ex quo temporis momento numeraverit Agricola; ab introitu suo in provinciam, dicunt interpretes, sed tum non *octavus*, sed *septimus* annus est, quod cum Acidalio nonnulli volebant scribi, praesertim quum in numerorum signis facillimus scribarum lapsus sit. Alii vero iique rectius non ab anno 831., quo intravit Britanniam Agricola, sed ab eius consulatu ann. 830. annos computandos esse iudicabant. Cap. 9. docetur, anno 830. ad consulatum elatum esse Agricolam, quo functus statim Britanniae praepositus est; octavus igitur erat annus, quanquam septima tantum agebatur aestas, ex qua in Britanniam venerat.

tot expeditionibus . . . . . neque me militum neque vos ducis poenituit. Meliorem hanc verborum

„torum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae, non fama nec rumore sed castris et armis tenemus. inventa Britannia et subacta. equidem saepe „in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam, „quando „dabitur hostis, quando acies?" veniunt, e latebris suis „extrusi, et vota virtusque in aperto omniaque prona „victoribus atque eadem victis adversa. nam, ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse „aestuaria pulchrum ac decorum in frontem; ita fugien-

distinctionem debemus Bekkero; coniungenda enim sunt verba *tot exped.*, *tot proel. neque me . . neque vos . . poenituit*, ut verba *seu . . opus fuit* interposita sint. Male in plerisque edd. post *fuit* maior distinctio posita est (; vel :), peius etiam Rhenanus exhibuit ... *fuit. Neque . . poenituit.*

non fama nec rumore sed castris et armis. Synonyma. cf. Roth. l. l. p. 11. 13., item infra *pulchrum ac decorum.* cf. Roth. l. l. p. 15.

equidem saepe. Sic MS. Vatic. 3429. et inde edd. Broter. Ernest. sqq. — Vett. edd. omittunt *saepe*, quod tamen vi sua non caret.

voces. Sic MS. Vatic. 3429. et inde edd. Broter. Ernest. Bipont. Oberl. sqq. — *voce* edd. Put. pr. Med. Venet. Riv. — *vocem* Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Egregie convenit *voces*, nostratium *Aussprüche*, *Worte.* cf. Hist. 1, 18. 84. 2, 46. Agric. c. 45.; *vox*, nostrum *Rede.* cf. An. 2, 29. 3, 11. Hist. 4, 72. [Cf. Herzog. ad Caes. de bell. gall. 3, 17.].

quando acies. Sic tacite correxit Rhenanus veterum editt. scripturam *quando animus*, quod vitium e compendio scripturae ortum videtur. Defensorem eius acerrimum nuper se praebuit Selling. observv. p. 26. sq., explicans sic: quando licebit nobis hostem vincere, profligare, quando animum explere, ostendere. *dabitur* eodem significatu usurpari An. 2, 13. 6, 8. 16, 33. Sed neminem spero fore, qui tali latinitati faveat.

e latebris suis extrusi. Sic edd. antiquae. Per typothetarum puto errorem inrepsit in sqq. edd. *a latebris*, quod vitium bene sustulerunt Broter. Ernest. sqq. Ceterum acute perspexit Walchius, haec verba seiungenda esse ab antecedente *veniunt.*

et vota virtusque in aperto. Supersedere possumus Mureti correctione *en vota* etc. *Vota virtusque* Sellingius l. l. bene explicat per figuram ἓν διὰ δυοῖν dictum: vota, ut virtutem ostendere possetis, vel virtus, cuius ostendendae copiam in votis habebatis.

superasse. Vulgatum hoc inde a Rhenano, edd. priores *superesse.*

in frontem. Hoc breviter dictum videtur pro: in eam partem, quae adversus hostes spectat, ita ut *frons* vocabulum oppositum sit fugae. Graeca est structura. cf not. ad An. 2, 39. Perperam interpretabatur Lipsius: *in speciem.*

ita fugientibus etc. Sic ex Rhenani correctione, quam omnes fere sqq. editores admiserunt. MS. Vatic. 3429. et edd. antiquae exhibent *item*, quod nuper Dronk. Becker. Hertel. revocarunt. Provocant illi ad Cic. de orat. 1, 26, 118. *nullae enim lites neque controversiae sunt, quae cogant homines sicut in foro non bonos oratores, item*

„tibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. „neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut com„meatuum eadem abundantia: sed manus et arma et in „his omnia. quod ad me attinet, iam pridem mihi de„cretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta „esse. proinde et honesta mors turpi vita potior; et „incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. nec inglo„rium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse."

XXXIV. „Si novae gentes atque ignota acies con„stitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer. „nunc vestra decora recensete, vestros oculos interro„gate. ii sunt, quos proximo anno unam legionem furto „noctis adgressos clamore debellastis: ii ceterorum Bri„tannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites. „Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum „quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso „agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam „pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum et

in theatro actores malos perpeti. Sed constans Taciti usus efflagitat *ita.* cf. An. 1, 8. 12. 28. 42. alibi.

hodie. i. e. eo statu, quo hodie versamur, oppositum est fugae. Frustra coniiciebat Ernestius *hostium* scribendum esse.

decretum est, neque .... tuta esse. Decernuntur, quae facienda sunt, non item, quae iam sunt. Quare post *decretum est* addendum erat consilium, quod ceperit Agricola, malle se mortem obire quam fugere et his subiungenda ratio, quia neque exercitus neque ducis terga tuta sint. Eleganter vero alterum illud omisit scriptor, utpote e sententiarum nexu facili negotio supplendum. cf. not. ad An. 15, 1.

Cap. 34. *furto noctis.* Contulit aptissime ed. Bipont. Virg. Aen. 9, 697. *fraude noctis;* Curt. 4, 13, 9. *meae gloriae .. furtum noctis obstare non patiar; palam luce adgredi certum est*, unde Claudiani illud in VI. consulat. Honorii v. 477. *Ecce virum, taciti nulla qui fraude soporis Ense palam sibi pandit iter* etc.

ii ceterorum. MS. Vat. 3429. teste Dronk. edd. Becker. Hertel. *hi ceteror.*, qua confusione nihil frequentius. cf. ad An. 1, 22. 13, 1. 21. 14, 15. 15, 59. Hist. 3, 82. Germ. c. 25.

fortissimum quodque animal contra ruere. Sic MS. Vatic. 3429., edd. Broter. Bipont. Oberl. Dronk. Becker. Hertel. Bekker. — *animal ruere* omisso *contra* edd. Puteol. pr. Mediol. Venet. (in ea legitur *quotque*) Alciat. [et nuper I. Bekkerus]. — Rhenanus corrigebat *robore*, quod probatum est ab omnibus ad Broterium usque editoribus itemque defensum a Walchium. Is per zeugma ad *robore* intelligit *caeduntur*, sed iure tu quaesiveris, utrum recte *caedi* et *pelli* verba sibi opposita iudicentur necne, quum potius pulsis i. e. fugientibus contraria sint

„metuentium. quos quod tandem invenistis, non re„stiterunt, sed deprehensi sunt. novissime res et ex„tremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in „quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.

contra ruentia i. e. resistentia. Comparationis summa in eo est, quod uti fortia animalia resistunt, pavida fugiunt, ita acerrimi Britannorum restiterunt, ignavi fugerunt. Quare non opus est Rhenani emendatione, quum aptissima sit huic loco Vaticani libri scriptura, modo ratio eius grammatica melius explicetur, quam ob Oberlino *solet* verbum supplente factum videmus. Sagaciter eam perspexit Selling. observv. critt. in Taciti Germ. p. 29. sqq., *ruere* enim non est infinitiv., sed plural. perfecti, quam quidem terminationem Tacito non neglectam esse, ostendunt loci Agric. c. 36. *fugere*, c. 37. *videre*. Temporis praeteriti usum in comparationibus idem Selling. illustravit Virgilianis locis Aen. 9, 437. 11, 810. 12, 588. Eiusdem dictionis repetitionem habebis infra cap. 37.

quos quod tandem invenistis, non restiterunt. Ita MSS. Vaticc. teste Brot. edd. Put. pr. Mediol. (in qua *q* expressum est typis) Venet. Alc. Rhenan.; sed in margine MS. Vatic. 3429. a Pomponio Laeto (id tradit Broter.) adscriptum est: „*quos quod tam diu non invenistis, restiterunt.* sic legendum puto." Librorum scripturam sequuti sunt Brot. Ernest. Oberl. Walch. Becker. Hertel. [I. Bekker.], rectissime. Dicendi brevitas, quam frequentat Noster, h. l. interpretes decepit; uberius enim scripsisset: quos quod tandem invenistis, eius rei causa est, non quod restiterunt, sed quod deprehensi sunt. Ita scriptum est An. 1, 14. *quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus praesensque erat.* Sed vividior oratio scripturam a nobis receptam probat. Cf. Liv. 21, 10. *id de quo verbis ambigebatur, uter populus foedus rupisset, eventus belli velut aequus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit.* Quare frustra coniecisse putandus est edit. Bipontinus, qui scribebat: *quos quo modo t. invenistis? Non restiterunt*, quod probabant Engel. et Weikertus; frustra cum Schluetero Dronkius: *quos quum t. invenistis non restiterunt*, quae scriptura genuinum loci sensum conturbat prorsus.

deprehensi sunt. novissime res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis. Hanc MS. Vatic. 3429. scripturam in verborum contextum recipiendam duxi, quum singula quaeque loco egregie conveniant. [*Novissime* pro *denique*, *zuletzt*, *am Ende* non Rutilio Lupo solum usitatum (cf. Ruhnken. ad Rutil. p. 31. exempl. Batav.), sed in Ciceronis etiam epistol. ad divers. 10, 24. usurpatum est, ut docuit Wopkens. Lect. Tull. p. 46.; et An. 11, 3. *tantum illi securitatis novissime fuit*, quod libris adsentientibus pro *novissimae* scriptum est.] *Res* intellige nostrum *die Umstände*, ea enim erat conditio, ut in ultimis terris ulterius effugiendi occasione privati ad pugnam ineundam necessitate quadam cogerentur. *Res* opponuntur corporibus extremo metu correptis, nam verba *extremo metu corpora* unam efficiunt notionem et supplendum est, ut saepius iam vidimus, ὄντα [? cf. Kritz. ad Sall. Cat. c. 3, 2.], ita ut *corpora extremo metu* significent terrorem et tremorem corporum extremo metu correptorum. Verbum *defixere* translatum opinor a devotionibus, et totum locum sic verto: *zuletzt haben die Umstände und der Leiber ängstliches Zittern den Schlachthaufen an diese Stätte der Flucht gebannt, wo ihr* etc. Quae quum ita sint, nil nos mo-

„transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta „annis magnum diem: adprobate rei publicae nunquam „exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas „rebellandi."

XXXV. Et adloquente adhuc Agricola militum ar-

rabitur edd. antiquarum scriptura. Edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. *deprehensi sunt: novissime id et* (falsus est Dronkius *est* ibi legi adfirmans) *extremo metu corpora defixere aciem in h. vestig.*, ed. Rhenan. *deprehensi sunt novissimi, et extremo metu corpora defixere in h. v.*, [quod nuper scriptum est ab I. Bekkero], sed idem in castigatt. *novissime, id est extremo metu* reponendum suadebat, unde Pichena coniiciebat *depreh. sunt novissimi: ideo extremo metu corpora defixere in h. vestig.*, quod praeplacebat Walchio. Rhenani correctio in omnibus edd. ad Broterium usque locum obtinuit, sed is servato *novissimi* ex Vaticano libro *res et extremo metu corp. defixere* (*aciem* omisit) *in h. v.* Ernestius audacius quam felicius: *depr. sunt ignavissimi, et extr. metu torpidi defix. aciem in his vestig.*; edd. Bipont. Oberl.: *novissime res et extr. m. corp. defix. in his vest.*, sed ille tentabat: *depr. sunt cervis similes, et extr. metu corpora defixere* (h. e. *obstipi stant*) *in h. vest.*, hic locum nondum persanatum profitebatur. Seebod.: *depr. sunt ignavissimi et extr. met. corpora defixere aciem in h. v.*, Dronk. Ricklefsio probante: *depr. sunt: novissime et extr. metu corpora defixere in his vest.*, Becker.: *depr. sunt. Novissime ergo et extr. metu corpora defix. aciem in his vest.*, Hertelius, ut solet, Beckeri vestigia anxie premit, nisi quod: *Novissime res ergo et extr.* ex Vaticano rescripsit. Placet adscribere V. D. coniecturam, quae nescio unde innotuit: *ideo extremo metu ac torpore defixere aciem.* Selling. denique observatt. in Agr. p. 28. scribendum censet *depr. sunt, novissimo* (*id est extremo*) *metu corpora defixere aciem in h. v.*, ita ut *id est extremo* scribae debeatur *novissime* vocabuli usum rariorem explicanti. Subtilius explicat *defigere aciem* pro *defig. oculos* (cf. Plin. N. H. 8, 9. Caes. de bell. G. 1, 39.), ita ut acumen quoddam agnosceret Agricolae in hisce verbis ludentis aptissimum, „quo hostes risui essent et militum animi augerentur." Sed iocos agere videtur.

transigite. cf. Germ. c. 19. *cum spe votoque uxoris semel transigitur*, ubi cf. adnot. Recte addidit Boetticher. Lex. Tacit. p. 465. Quintil. Inst. or. 7, 1, 44. *et pulchre fuerit cum materia, tumultu et clamore transactum.*

imputari. MS. Vatic. 3429. *imputare.*

aut moras belli aut causas rebellandi. Prius *aut* nescio quo iure a Bipont. et Engel. omissum est. *rebellandi* exhibent edd. antiquae omnes praeter Rhenan., apud quem typothetae sine dubio errore (nam in castigatt. eum vulgatam scripturam sequi apertum est) expressum est *debellandi*, quod se emendasse fatetur Lipsius, cui omnes acceptum referunt. Sed perperam Pichena *rebellandi causas* explicuit incurias et acerbitates, quibus illatis ad rebellandum incitati sint provinciales, rectius tu accipe cum I. Fr. Gronov. diatrib. in Stat. silv. c. 52. p. 347. ed. Hand. ignaviam, dissolutionem, securitatem et vecordiam militum, unde fiduciam concepisse credi poterant barbari.

Cap. 35. *militum ardor eminebat.* Arztius malebat *emicabat*, ut

dor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consequuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milia erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus adfunderentur. legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies, in speciem simul ac terrorem, editioribus locis constiterat ita ut primum agmen aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut insurgerent; media campi covinarius et eques strepitu ac discursu complebat. tum Agricola su-

An. 13, 16. *at Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis . . . emicuit*, sed eius loci comparatio nihil facit ad hunc corrigendum, quum nolit scriptor subitarium indicare militum ardorem, sed constantem. Qui vocabuli significatus illustratur Cic. pro Rosc. Amer. 41, 121. *quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet;* Curt. 4, 1, 24. *aliorum studium, aliorum indignatio eminebat.*

instinctos ruentesque. Lipsio in animum venerat *instructos*, sed recte id reiecerunt omnes. Sic enim loquitur Tacitus An. 2, 46. *his vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant;* Hist. 4, 24. *his inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatae a Vespasiano litterae;* ibid. 1, 70. *instinctu decurionum . . . transiere in partes;* Agric. c. 16. *his atque talibus invicem instincti.*

octo milia. MS. Vatic. 3429. (testt. Broter. Dronk.) *octo millium*, quod receptum est a Beckero et Hertelio.

bellandi. Sic MS. Vatic. 3429. edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. et nuper Dronk. Becker. Hertel. Rhenani vero editio exhibet *bellanti*, quod omnes deinceps editores comprobarunt et acriter defendit cum Ernestio Walchius. Is etiam praef. p. X. *bellandi* mendosissimum esse pronuntiavit. Ego servo veterum librorum scripturam, et gerundium explico pro infinitivo positum, ut An. 3, 64. *sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi;* 13, 26. *nec grave manu missis per idem obsequium retinendi libertatem;* 15, 21. *decernaturque et maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.* cf. not. ad An. 2, 47. sub vv. *in aperta prorumpendi.* Nolo vero negare, *bellanti* quoque ferri posse, sed praestat libris antiquis fidem habere, quam felicissimae ingeniosi viri coniecturae.

pellerentur. Gesnerus coniecit *pelleretur.* Frustra.

constiterat. Sic ex MS. Vatic. 3429. Broterius et recentt. editores omnes. Edd. priores *constiterant* sive *constiterat.*

primum agmen aequo. Certissima Rhenani emendatio pro depravata cod. Vat. 3429. et edd. antiquarum scriptura *agmine quo.* Apud Walchium et I. Bekkerum *in aequo;* praepositione non opus.

connexi. MS. Vat. 3429. *convexi*, quod vitium repetierunt Becker. et Hertelius.

covinarius et eques. Sic ex tacita emendatione Rhenani edd. deinceps omnes, uno excepto Walchio, qui ad edd. antiquarum ante

perante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem, et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

Rhen. et cod. Vat. 3429. scripturam rediit eamque acerrime defendit. Is vero docere conatur, *covinarius et eques* per figuram Hendiadyn explicanda esse, uti Homerica illa ἵπποισιν καὶ ἅρμασιν et Caesaris bell. gall. 4, 24. *praemisso equitatu et essedariis*, quia omnino de discrimine inter equitatum et eos, qui de curribus pugnant (essedariis sive covinariis) cogitari nequeat; Melae vero locum 3, 6. tanta premi obscuritate, ut veri aliquid inde colligere possit nemo. Haec Walchius; videamus iam singula. Melae verba, ex quibus tota res explicabitur egregie, haec sunt: *dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus Gallice armati: covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur*, quo quidem loco inter equites, pedites eosque qui de covinis pugnant discerni nemo non videt. Idem discrimen apud Gallicas nationes exstitisse pluribus locis confirmavit Caesar, velut Bell. Gall. 4, 24. *barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, ... nostros navibus egredi prohibebant*, et ibid. c. 32. *simul equitatu atque essedis circumdederant*, quibus ἓν διὰ δυοῖν figura adhiberi nequit; imprimis vero huc facit Taciti locus infra c. 36. *interim equitum turmae fugere, covinarii peditum se proelio miscuere*, quem sanissimum esse pluribus contra Walchium ostendemus, ubi ad eum pervenerimus. Utrum adiectivi vicibus fungi possit hoc vocabulum necne, nemo diiudicabit, quum praeter hunc locum et cap. 36. legatur nusquam, quanquam covinorum mentionem iniecerunt scriptores plures, velut Silius Italic. 17, 422. *caerulus haud aliter cum dimicat incola Thules, Agmina falcifero circumvenit arcta covino.* — Scribitur vocabulum in MS. Vatic. 3429. *covinnarius*, quae duplicata littera *n* in *covinus* quoque deprehenditur aliquoties.

simul in frontem, simul et latera. *In* praepositionem ante *latera* necessario requiri Gesnerus opinabatur, sed quanquam perpetua praepositionum repetitio in talibus enuntiatis nuper defensa est ab Wundero in Variet. lect. cod. Erfurt. praef. p. XVII. sqq., tamen multi restant loci et Ciceronis et aliorum scriptorum, quibus eam contra librorum auctoritatem obtrudi nolim. cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. 2, 4, 10. Tacit. An. 6, 51. *quanquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptionibus transierit.* cf. Ramshorn. §. 162, 2. [Vide Otton. excurs. V. *de praepositione bis ponenda altero loco omissa* ad Cic. de Fin. p. 402 — 409. Kritz. Sall. Cat. c. 49.]

quanquam porrectior acies. Acidalius correxit *quanq. parvo porrectior acies.* Quae sit *porrectior acies* et Sallustius Iug. c. 49. docet *extenuatam* commemorans et Liv. 25, 21. *in longitudinem porrecta acies. clamantibus tribunis nihil introrsus roboris ac virium esse et, quacunque impetum dedissent hostes, perrupturos.* cf. Walch. ad h. l.

promptior in spem. Ernestio verum videtur *pronior in spem;* dicitur quidem An. 2, 73. *favore in Pisonem pronior;* Hist. 2, 58. *in Othonem pronus* et frequens est,

XXXVI. Ac primo congressu eminus certabatur. simul constantia, simul arte Britanni, ingentibus gladiis et brevibus cetris, missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent: quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile parva scuta et enormes gladios gerentibus. nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant.

utriusque vocabuli in veteribus libris commutatio (cf. Ernest. ad An. 4, 60.), sed nulla opus est correctione, quum *promptus in aliquid* rectissime dicatur.

Cap. 36. *simul constantia.* MS. Vatic. 3429. *simulque*, inde edd. Becker. Hertel.

brevibus cetris. Sic se correxisse Alciatus profitetur, est vero etiam in edd. Beroald. et sqq. omnibus — *coetris* MS. Vat. 3429. — *caeteris* edd. Put. pr. Med. Venet. — *caetris* ed. Riv., quam scribendi rationem praeferebat Heinsius ad Sil. Ital. 3, 278. Quam nos exhibuimus formam, ea meliorum librorum auctoritate nititur. Erat scutorum genus loreum et peltis simile cf. Liv. 31. 36., quo imprimis Hispani usi (Caes. bell. civ. 1, 39. 70.), a quibus ad alias transiit gentes. cf. de la Cerda ad Virg. Aen. 7, 732., Comment. vet. in Iuvenal. Sat. p. 443. ed. Cramer.

magnam vim. Ed. Put. pr. *magna.*

tres Batavorum. Sic ex tacita Rhenani correctione editt. omnes sqq., falso enim numerum in MS. Vat. 3429. a Broterio exhiberi Dronkius adfirmat. — Edd. antiquae ante Rhen. *per Batav.*

Tungrorum. Sic nomen scribendum curavit primus Rhenanus, nam in edd. Put. pr. Med. Ven, Beroald. Alc. legebatur *Tongrorum*, adversantibus et veterum lapidum inscriptionibus, in quibus COH. TUNGR. vel COH. I. TUNGROR. exaratum est, et Graecorum scriptura, apud quos *Τοῦγγροι* esse solet.

ut rem. Edd. Put. pr. Med. *ro* — edd. Put. Ven. Ber. Alc. *ratio* — ed. Riv. *rē*, ex quo *rem* corrigere facili negotio poterat Rhenanus.

complexum armorum. Bene explicuit Ernestius pugnam, quae fit eminus, manibus conserendis, velut apud Caes. bell. civ. 3, 8. *si in Caesaris complexum venire posset*, sed ambigua ibi est scriptura, et Quint. declam. 4, 22. *finge nos in ipso prosperi Martis cecidisse complexu.*

et in arto pugnam non tolerabant. Recipiendam duxi egregiam hancce Francisci Medicis emendationem, quam Lipsius quoque, Gruterus, Broter. Ernest. Lallemand. Walchius et I. Bekkerus probarunt. Nequit enim, ubi ad armorum complexum perventum est, de pugna in aperto commissa cogitari. Ceterum cf. Liv. 28, 33. *quod in arto pugna Romano aptior quam Hispano militi futura videbatur*, ita nostro quoque loco talem pugnam non ferebant Britanni et aufugiebant. Edd. antiquae (nam de MS. Vatic. 3429., cuius auctoritatem interposuit Beckerus, et Broterius et Dronkius tacent) exhibent *in aperto*, quod restitutum est a Bi-

igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare, et stratis qui in aequo obstiterant erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu commixtae proximos quosque caedere. ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. interim equitum turmae fugere, covinarii

pont. Oberl. Seebod. Doederl. Dronk. Becker. Hertel. Explicarunt id Bipont. de pugna in aequo, in planitie commissa, probante Oberlino, sed de hac re omnino sermo est nullus; Dronkius comparavit latus gladiatorum apertum, ita ut cogitanda sit pugna, ubi pateat corpus gladiis nec a telis defendatur; sed quis est nexus inter latus apertum et pugnam in aperto? Tale quid non ferentes alii coniecturis locum emendare volebant, velut Schelius ad Hygin. p. 140. et Schefferus in epist. ad Nic. Heinsium *in aperta*, quod contortius videtur dictum; Lipsius *in opertos* vel *in operta*; Bleterius *inoperti*; Beckerus: *complexum armorum non ut in aperto pugnam tolerabant* pro *minus quam* etc. — Pro *tolerabant* Muretus et Acidalius malebant *tolerant*.

ora foedare, et stratis qui in aequo obstiterant. In MS. Vatic. 3429. *foede recti*, unde Gesnerus et Beckerus legendum coniiciebant *fodere*, sine causa idonea, quum *foedare* quoque de cruentis dicatur vulneribus, ut apud Virgilium Aen. 2, 286. *quae causa indigna serenos foedavit vultus.* — Deinde in MSS. Vaticc. 3429. et 4498. Broterio teste exaratum est *et tratis*, accuratius vero Dronkius indicavit, in altero tantum codice 4498. legi *et tratis*, alterum 3429. in textu exhibere *tractis*, in margine „*tratis* vel *traces.*" — *et tractis* edd. antiquae, Lips. Gronov. al., quod Muretus, Acidalius, Gesnerus mutabant in *fractis*, sed rectius et ad veterum librorum ductus verius ab Ernestio scriptum est *stratis*, receptum illud a Bipont. Oberlin. Seebod. Dronk. Becker. Hertel. Walch. I. Bekkero. Sic Hist. 3, 77. *sternunt inermes.* Neque opus Broterii coniectura *et prostratis*, quia verbum simplex sufficit. — Pro *obstiterant* MS. Vat. 3429. *adstiterant*, quod quomodo non displicere potuerit Ernestio vix intelligo; nam scriptura vulgata non solum aptior est, ut Oberlino videbatur, sed unice vera.

ceterae. Edd. Puteol. pr. Med. Ven. Beroald. Alciat. *caetere.* — Edd. Riv. Rhen. *caeterae.*

commixtae. MS. Vatic. 3429. (test. Dronk.) *connistae.* Quam vulgo exprimendam curant formam, ea antiquarum edd. nititur auctoritate, si qua est; nos cum Walchio scripsimus *commixtae.* cf. not. ad Agric. c. 4.

equitum turmae fugere. Verba haec exhibuimus ita, ut in edd. antiquis omnibus exstant. Primus de iis corruptis cogitabat Lipsius, qui quum coepta pugna equites et covinarios misceri opinaretur, corrigebat: *equitum turmae effudere et covinarii* etc., vel potius *turmae effusae et covinarii.* Ernestius malebat *erupere* sc. ad impetum faciendum. Alii alia tentarunt, quae vide apud Walch. p. 439. — 446. At vero Walchius satis longa disputatione deploratum esse hunc locum et dilaceratum contendit eumque sic persanare conatur, ut emendationibus a se propositis: *interim covinarii fugere, equitum turmae peditum proelio se misc.* vel: *equitum turmae fu-*

peditum se proelio miscuere. et quanquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant: minimeque equestris ea pugnae facies erat, cum aegre diu stantes simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

gare covinarios, peditumque se proelio miscuere reiectis duos versus excidisse post *fugere* putet. Quae quidem ingeniose sic supplevit: *interim equitum turmae protentis hastis in covinarios pro cornibus invehi; perruptisque impetu ordinibus postquam diffugere covinarii, peditum se proelio miscuere.* Ut omnino tot verba excidisse vix veri videtur simile esse, ita in sententia illa duo sunt errores aperti, quibus rectiora si docuerimus, cadat Walchii commentum necesse est. Priorem iam refutavimus errorem ad cap. praecedens, unde discrimen esse inter covinarios et equites manifestum erit; *equitum turmae* sunt igitur equites Britannorum; quod adiectivum ut poneretur ideo non necessarium erat, quod de Britannorum acie sermo est. *Turmas* vero de barbaris quoque dici posse, declaratur An. 14, 34. *Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant.*

hostium agminibus. hostes intellige Romanos, uti cap. 32. Calgacus *hostium vitia* commemoraverat Britannorum intelligens. Nihil igitur est emendandum et reiiciendum potius Mureti et I. Fr. Gronovii *nostrorum* et Ernestii *cohortium*, quorum alterutrum probat Broterius. Perperam de Britannorum agminibus somniabant Acidalius et Bipontini.

minimeque equestris ea pugnae facies erat, cum aegre diu stantes .... impellerentur. MS. Vat. 3429. (teste Dronkio) edd. Put. pr. Med. Venet. Alc. *equestres. ea* (in Vatic. libro $\overset{i}{ea}$) *enim* (per compendium *n.* scripta particula) *pugnae facies erat, cum aegra diu aut stante* etc. Quae corrupta esse quum appareret, Rhenanus legendum et distinguendum suadebat: *minimeque equestris ea pugnae facies erat, quum in gradu stantes, simul equorum corporibus impellerentur.* Pichena falsissimum illud opinatus in ea erat sententia, ut non equestrem intelligeret aciem, sed pedestrem, quae covinariis et equitibus mixta equestris speciem pugnae ostenderit. Rhenani scriptura vulgata est ad Broter. et Ernest., qui cum Oberlino, Dronkio et Imm. Bekkero id exhibent, quod nos in verborum contextum recepimus. Bipont. Engel. Seebod.: *equestris ea tum pugnae facies erat* etc. et pro *stantes* apud Seebod. est *adstantes;* edd. Becker. et Hertel.: *minimeque eq. ea iam pugnae facies erat, quum aegre dum adstantes simul .... impellerentur.* Triller. observv. crit. 4, 19. p. 424. coniiciebat: *minimeque equestris ea interim pugnae fac., quum aegre clivo stantes* etc. Walchius: *cum aegre dum in declivi stantes* etc. Doederlein. in transl. Germanic. p. 59. transposuit verba in hunc modum: *minimeque equestris (ea enim pugna) facies erat, cum aegre aut diu stantes simul equorum corporibus impellerentur.* Britannorum agmina ipsis equis urgentur eorumque impetu inviti incitantur; intelligenda sunt enim ea, quae pugnae adhuc expertia ex collibus depulsa in planitiem vincuntur.

XXXVII. Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant: ni id ipsum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. ita consilium Britannorum in ipsos versum: transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. passim arma et corpora et laceri artus et cruenta

Cap. 37. *summa collium.* MS. Vatic. 3429. teste Broterio *summam.*

degredi. Sic ex emendatione Pichenae edd. sqq. fere omnes. — *digredi* edd. antiquarum scripturam Dronkius et Hertelius servarunt, quia, ut hic dicit, in duas partes divisi, utrimque Romanos amplexuri, descendunt. Sed ea de divisione in Taciti verbis nihil inest. Ceterum cf. not. ad An. 4, 69.

ad subita belli. Cf. Hist. 4, 23. extr. *fortuita belli sperabantur;* ibid. 5, 13. *subita belli;* et c. 16. *dux sibi delectos retinuerat ad improvisa.*

accurrerant. MS. Vatic. 3429. scripturam *accucurrerant* Dronk. Becker. Hertel. receperunt. Sed recte observavit Vossius de analog. III. c. 19. in compositis *accurro, circumcurro, discurro, incurro* aliisque nonnullis reduplicatione non usos fuisse scriptores, interdum in *decurro, excurro* etc. cf. An. 2, 7. *decucurrit,* ubi necessario ea forma requiritur, ut praeteritum tempus indicetur, et Caes. Bell. Gall. 2, 19. *ad flumen decucurrerunt.* Sed variant in hac re veteres, nam apud Cicer. de orat. 1, 50, 218. est *legendo percurrisse,* ibid. 3, 14, 52. *quas modo percucurri.* Ad rem diiudicandam facere videtur praepositionum, quibuscum *curro* verbum iunctum est, vis ac natura, ita quidem, ut ea verba, in quibus praepositio est inseparabilis, reduplicationem omittant, in iis vero, quibus praepositione addita alia adiicitur notio, simplicis verbi adhibeatur forma.

tum vero . . . grande et atrox spectaculum. Apte contulit Lipsius Sallust. Ingurth. c. 101.: *tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri adflicti; ac multi volneribus acceptis neque fugere posse neque quietem pati; niti modo ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta sanguine.* De humo sanguine pingui cf. Rubnken. dictat. Ovid. Heroid. pag. 7.

oblatis aliis. Ex Rhenani emendatione edd. sqq. — *ablatis* edd. antiquae.

humus: et aliquando etiam victis ira virtusque. postquam silvis adpropinquarunt, conlecti primos sequentium, incautos et locorum ignaros, circumveniebant. quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et, sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi invicem longinqua atque avia petiere. finis sequendi nox et satietas fuit. caesa hostium ad decem milia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere: in quis Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus inlatus.

XXXVIII. Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus: Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere:

et aliquando etiam victis ira virtusque. Iam Pichena in comparationem adtulerat Virgilianum locum Aen. 2, 367. *quondam etiam victis redit in praecordia virtus*, ubi graeca contulit Cerda. Egregia est Bosii in epist. ad Reinesium emendatio: *est aliquando* etc. Male concinnitatem enuntiatiorum transpositione verborum efficere voluit Dahlius Animadvv. pag. 22.: *iam hostium — catervae paucioribus terga praestare: quidam inermes ultro r. ac se m. offerre. Sed aliquando — ira virtusque. Passim arma — cruenta humus.*

appropinquarunt. MS. Vatic. 3429. (teste Broterio) *appropinquaverunt*, sed Dronk. teste: *appropinguaverunt, ntem primos sequentium collecti et locorum ignari.*

equitem persultare iussisset. Sic MS. Vat. 3429. (teste Dronk.), edd. Rhenan. sqq. — ed. Put. pr. *equitum persultari.* — edd. Put. Med. Venet. Beroald. Alc. *equite persultari.*

aliquod vulnus. Ed. Put. Ven. *aliquid vulnus.*

nec alius alium respectantes. „Lego *sed alius.*" Acidalius. Quae emendatio non minus falsa est, quam editoris Bipontini, qui paulo post *sed rari* corrigebat, quum *sed* particula post negationem omissa nihil sit frequentius. Cf. quae excitavit Passov. not. crit. ad Germ. c. 10.

trecenti sexaginta. Sic ex MSS. Vaticc. 3429. 4498. ediderunt Broter. Ernest. Oberl. Dronk. Becker. Hertel. Walch. Bekker. — Edd. priores *trecenti quadraginta*, quam numerorum confusionem explanavit Drakenborch. ad Liv. 30, 26.

Cap. 38. *Britanni.* MS. Vatic. 3429. *Britannique*, male.

eligere latebras et statim relinquere: miscere invicem consilia aliqua, dein separare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari. satisque constabat, saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tanquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. datae ad id vires, et praecesserat terror. ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniae lecto omni redierat.

dein separare. Hanc scripturam sagaciter a Lipsio excogitatam et a Pichena adprobatam confirmat MS. Vat. 3429., unde receperunt edd. recentt. omnes. Haud exigua enim vis huic enuntiato inest ex oppositis. Edd. ante Lipsium *sperare*, quod unus Boxhornius defendebat; Grotius et Gruterus coniiciebant *desperare*, sed de desperatione hoc loco dici nequit. Unde Ernestii coniectura *spernere* Broterio innotuerit, equidem nescio. Anonym. e cod. Mirandul.: *miscere invicem consilia aliquando, sperare.* Frustra.

secreti colles. Ernestius quum *secreti* interpretaretur remotiores idque ab h. l. alienum putaret, corrigebat *deserti*, sed non opus emendatione; *secreti colles* opponuntur iis, qui frequentabantur ab hominum turba, sunt deserti. — *Calles*, quod ab ed. Bipont. receperunt Engel. et Oberlin., languet magnopere.

in fines Horestorum. Sic edd. fere omnes. — *Borestorum* ex MSS. Vaticc. 3429. et 4498. ediderunt Becker. et Hertelius. Sed in nominis huius ignobilitate malo antiquitus receptam scripturam servare.

Trutulensem portum. Sic MS. Vatic. 3429. in margine et edd. antiquae; — idem codex in textu *Truculensem*, quam scripturam praetulerunt Beckerus et Hertelius. — MS. Vat. 4498. *trutulens est*, quo firmari vulgatam scripturam *Trutulensem* apertum est. Rhenanus aliique substituebant *Rutupensem*, sed cum multi sint in Britannia portus accurateque distingui nequeat, quem significare voluerit scriptor, servandum puto *Trutulensem*.

unde proximo latere Britanniae lecto omni redierat. Sic MS. Vat. 3429. (sed in margine idem: „al. *praelecto*") et edd. ante Rhenanum. Is corrigebat *exierat;* Pichena: *proximo litore Britanniae lecto*

XXXIX. Hunc rerum cursum, quanquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius

omnis redierat, quod probatum est ab Ernestio; Heumannus: *tenuit quae* (intell. classis) *proxime, litore Brit. lecto omni, redierat;* Arztius: *prolixo latere — omnis red.* Vulgatam scripturam servarunt Bipont. Oberlin. Seebod. Dronk. Becker. Hertel. Walch. I. Bekker., rectissime. *Unde*, inquit Ernestius, refer ad *lecto*, unde egressa legerat proximum latus Britanniae, eo redierat. Eum adverbiorum loci usum illustravit exemplis Walchius, velut Hist. 4, 29. *unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus;* ibid. 1, 56. *sed, quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere*, quo de loco cf. Gronov. Observv. 4. c. 11. et Cortium ad Sallust. Iugurth. c. 14, 22. *Omni*, quod perperam mutatum est in *omnis* et a Broterio explicatum „ne una quidem navi amissa", iungendum cum *proximo latere*. Proximum legerant latus idque omne. Miram ellipsim statuit Beckerus: Classis, inquit, Trucculensem portum tenuit, unde, proximo latere Britanniae lecto, redierat, omni Britanniae latere lecto. De circumnavigatione Britanniae per Agricolam instituta cf. Dion. Cass. 66, 20. κἀκ τούτου καὶ ἄλλους ὁ Ἀγρικόλας πειράσοντας τὸν περίπλουν πέμψας ἔμαθε καὶ παρ' ἐκείνων ὅτι νῆσός ἐστιν.

Cap. 39. *auctum.* Hanc vulgatae scripturae emendationem debemus Lipsio, cuius iudicium sequuti sunt Pichen. sqq. Broter. Ernest. Oberlin. Bipont. Dronk. Walch. et I. Bekkerus. — *actum*, quod in MS. Vatic. 3429. edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. Rhen. exhibetur, nuper praelatum est ab Doederleinio (l. l. p. 378.), Beckero et Hertelio. Volunt illi *agere* verbi usum defendere Liv. 10, 31, 10.: *Samnitium bella, quae continua per quartum iam volumen annumque sextum et quadragesimum — agimus*, et Cicer. in Verr. act. I, 13, 37. *omnia non modo commemorabuntur, sed etiam expositis certis rebus agentur;* etiam ad Cic. pro Archia 7, 16. *haec studia adolescentiam agunt* et ad *agitare* verbi structuram provocavit Doederleinius. Sed neque hic locus quidquam facit ad nostri l. scripturam vulgatam tuendam, quia ibi *agunt* pro *subigunt, acuunt* dictum est, neque priores duo, quibus explicandis interpretes recte adhibuisse videntur scenicum illum *agere* verbi usum. Ut vero etiam dicere liceat *agere rem* pro usitatiore *agere de re*, semper tum cogitandum est de mutuis in ea re sermonibus; nec quisquam dicere potest *rerum cursum epistolis agere*. Aptissima vero est Lipsii correctio; Agricola enim, qua erat modestia, victoriam resque gestas non auxit, perscripsit potius omnia sine ulla verborum iactantia. Frequentem *augere* et *agere* verborum confusionem notavimus ad An. 4, 41. Hist. 4, 58., item *auctus* et *actus* ad Hist. 4, 28., *iacta, acta* et *aucta* ad An. 11, 18. Nihil igitur lucramur Rhenani acumine, qui in castigatt. *relatum* vel *significatum* vel *lectum* volebat scribi. [Vide Kritz. ad Sallust. Cat. c. 3, 2.]

ut Domitiano moris erat. Sic MS. Vatic. 3429. (in margine *ut erat Domitiano moris*) edd. Put. pr. Med. Venet. Ber. Alc. Rhen. sqq. omnes ad Ernestium et nuper Dronk. Becker. Hertel. Walch. — *ut Domitianus erat* MS. Vat. 4498. (idem in marg. cod. 3429. exstare falso tradit ed. Bipont.) Ernest. Bipont. Oberlin. sqq. et I. Bekkerus. Cf. Hist. 1, 15. *ut moris est;* infra c. 42. *sciant quibus moris est.* Illud interpretamentum esse, ut Bipontinis visum est, vix crediderim.

excepit. inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur: ac nunc veram magnamque victoriam, tot milibus hostium caesis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: et cetera utcunque facilius dissimulari: ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit, reponere

excepit. MS. Vat. 3429. *excipit.*

falsum e Germania triumphum. Rettulit eum Dodwell. Annal. Quint. §. XXII. p. 1142. ed. Burm. ad bellum cum Quadis et Marcomannis et cum Decebalo Dacorum rege gestum, sed cum et rerum ibi gestarum enarratio et temporum ratio adversetur (cf. infra c. 41.), rectius alii praeeunte Scaligero animadversionibus Euseb. p. 204. adsignarunt triumphum bello contra Cattos suscepto A. U. DCCCXXXVII. (a. 83. post Chr. nat.). De eo Dio Cass. 67, 4. tradit *μηδ' ἑωρακώς που πολέμιον ἐπανῆκε.* Cf. Plin. Panegyr. c. 20. et c. 16. Perperam contulerunt I. Fr. Gronov. Observv. 4, 16. [p. 466. ed. Frotsch.] et Moeser. hist. Osnabrug. I. p. 169. Plin. Paneg. c. 11. *quod modo hostes invaserant contemserantque, quoniam imperator is, cuius pulsi fugatique non aliud maius habebatur indicium, quam si triumpharet.* Cf. Walch. ad h. l.

crines. MS. Vat. 3429. *crinis,* inde edd. Becker. et Hertel.

ac nunc veram magnamque victoriam. Sic MS. Vat. 3429. (apud Beckerum, Broterius vero et Dronkius tacent) et edd. antiquae usque ad Rhenanum, qui correxit *at nunc* etc., quod servarunt edd. deinceps omnes, nuper Walch. et I. Bekkerus. Veterem scripturam restituerunt Seebod. Doederlein. Dronk. Becker. et Hertelius. Recte. Cf. Ramshorn. §. 179, 6. p. 523.

tot milibus hostium. Sic edd. Put. pr. Med. Ven. Riv. — Edd. Ber. Alc. *militibus,* qnem errorem sustulit Rhenanus, eumque sequuti omnes. Quodsi apud Ernestium traditur: „edd. ante Rhenan. *millium*", inductus est is errore edit. Gronov., in qua Rhenani sub nomine haec verba leguntur non minus depravata: „scripsimus *tot millium.*" [Ernestii errorem, ut alia multa, non correxit I. Bekkerus.]

si militarem gloriam alius occuparet. Sic edd. omnes; frustra sanissima haec tentabat corrigere Lipsius *altius* vel *artius* sive *arctius* substituens; unus obsequutus est Pichena. *Alius* puta quam ipse imperator. cf. An. 2, 32. *penes alias familias imperatoria laus fuerat.* Vide I. Fr. Gronov. diatr. in Statium p. 473. ed. Hand.

utcunque facilius dissimulari. Ernestius perperam *utcunque* ad *dissimulari* trahens, *facilius* glossam sapere putabat. Iunge tu *utcunque* cum *facilius* et verte cum Walchio: *wie misslich es auch sei, sei es leichter.*

odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat.

XL. Igitur triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet: addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. credidere plerique, libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse cum praecepto, ut, si in Britannia foret, traderentur: eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse: sive verum istud sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum

nam etiamtum . . obtinebat. „Legendum, Ernestius inquit, *etiamnum* pro *etiam tum.*" Idem summi viri error deprehenditur Suet. Calig. c. 10., quo loco *etiam tum pro rostris laudavit* mutavit in *etiamnum*, et apud Cicer. or. Catil. I. c. 4. *etiam nunc* correxit in *etiam tum.* Nihil aptius vulgata scriptura, nam *etiamtum* (in unum vocabulum coniunxi particulas, quia *tum* encliticum est) ibi usurpatur, ubi indicandum est, fuisse aliquid praeterito tempore, quod postea esse desiit. cf. An. 1, 3. *integra etiamtum domo sua* et quos ibi adtulimus locos, addo 2, 52. *nullo etiamtum urbium cultu.* [Vide subtilem de his particulis disputationem doctissimi Kritzii ad Sallust. Cat. c. 2. p. 9.]

Cap. 40. *triumphalia ornamenta.* Cf. Dio. Cass. 66, 20. ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ, καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρὰ τοῦ Τίτου λαβών, ubi extrema verba, pugnantia cum Taciteis verbis, correxit Casaubonus in παρ' αὐτοῦ. *Statuam inlustrem* eandem esse ac quae An. 4, 23. *laureata* et Hist. 1, 79. *triumphalis* nominetur, adnotavit Ernestius. Ceterum operarum vitio in edd. Put. Venet. et Alc. pro *statuae* exstat *statutae.*

addique insuper opinionem. Sic edd. antiquae et inter recentt. Broter. Dronk. Becker, Hertel. Walch.; pro eadem scriptura MS. Vat. 3429. auctoritatem interposuit Beckerus, sed Broter. et Dronk. de eo tacent. Tale mandatum non dari potuisse ab imperatore quum perspicerent, Muretus emendabat *additque*, quod placuit Acidalio, Ernest. Bipont. Oberl. Seebod. et nuper I. Bekkero. Fortasse melius, Beckerus inquit; sed cf. Walch. ad h. l.

Atilii Rufi. MS. Vat. 3429. (test. Dronk.) *Atili.* — Edd. Put. pr. Med. et Venet. *Ruffi.*

in Britannia. MS. Vat. 3429. (test. Dronk.) *in Britanniam.*

officio, noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. ceterum ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso adspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

XLI. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent; tot exer-

praeceptum erat. Ita veteres et recentiores editiones. In mediis quibusdam omissum, *erat. Broterius.*

immixtus. Edd. Put. Ven. et Riv. *immixtum.*

ut militare nomen. MS. Vat. 3429. (teste Dronk.) *uti milit. nomen*, unde receptum in edd. Beckeri et Hertelii.

comitatus. Passivum significatum huic participio frequenter dedit Cicero, cuius locos congessit Forcellin. h. v., adde de orat. 3, 6. §. 23.; saepius idem est apud Ovidium Met. 2, 441. 13, 402. 14, 259. Tempora finita quoque passive ponuntur, velut apud Ovid. Trist. 3, 7, 47. et Iustin. 30, 2, 4. Alia participia, quae sic usurpantur, vide apud Ramshorn. p. 96. Benecke ad Iustin. 7, 3, 2. Cf. Ruhnken. dictat. in Terent. Phorm. II, 1, 18.

per ambitionem aestimare. Ex vitae splendore et numeroso comitatu. *Broterius.* Cf. Germ. c. 27. *funerum nulla ambitio;* Nepot. Dion. 2, 2. *magnaque cum ambitione Syracusas perduxit;* Plin. Panegyr. c. 83, 8. *an quum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat.*

quaererent famam, pauci interpretarentur. Bene Ernestius, cuius verba transscribo: plerique desiderarent in eo splendorem, quem tanta fama postularet, vix crederent hunc esse illum tantum tamque celebratum virum, pauci causas requirerent, propter quas ita se demiserit et ad illas angustias redegerit. Edd. antiquae *quererent*, frequenti confusione. Vide Burmann. ad Quint. 12, 11, 2. eundemque de eleganti *quaerere* verbi usu provocantem ad Graev. Lect. Hesiod. c. 10. Brouckhus. ad Tibull. 2, 3, 25. Barth. ad Stat. Achill. 2, 211. Rhenani correctionem *quaererent tamen* nemo, ut par erat, probavit. — Pro *pauci* in ed. Put. pr. scriptum est *paucis.*

Cap. 41. *absens absolutus est.* Anton. Augustinus teste Ursino legebat *praesens absolutus est.*

citus in Moesia Daciaque et Germania Pannoniaque temeritate aut per ignaviam ducum amissi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti: nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. ita, cum damna damnis continuarentur atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum. quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verbera-

in Moesia. MS. Vat. 3429. (teste Dronk.) *Misia* — edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. Rhen. *Mysia.* cf. not. ad Hist. 1, 76.

Pannoniaque. MS. Vat. 3429. *et Pannonia*, idem in edd. Becker. et Hertel. Broterio quoque vulgatum durius certe nec ex Taciti more videbatur. Sed cf. An. 1, 4. *dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit;* ibid. 4, 4. *seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat;* ibid. 4, 2. *ut simul imperia acciperent numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis ..... crederetur*, quos locos debemus Walchio.

tot militares viri. Sic edd. antiquae omnes. Lipsius malebat *militares numeri*, ut ita *numeri* intelligerentur Romani, cohortes sociales; I. Fr. Gronovius Observv. II, 20. [p. 195. ed. Frotsch.] *militares vici*, quam coniecturam firmare voluit An. 12, 38. *ac ni cito vicis ac castellis proximis subventum foret*, ubi codd. scripturam *nuntiis* restituimus; An. 14, 30. *praesidium posthac impositum vicis excisique luci saevis superstitionibus sacri*, ubi omnes libri *victis* tuentur; et Hist. 5, 20. *tantumque belli superfuit, ut praesidia cohortium, alarum, legionum modicis vicis quadripartita Civilis invaserit*, ubi cum melioribus libris scripsimus . . . *legionum uno die Civilis quadripartito invaserit.* Probarunt tamen Gronovii emendationem Heinsius ad Vellei. Pat. 2, 115. et Arztius, sed is in adnotationibus *militares viri ..... trucidati* corrigendum suadet; V. D. in ephem. lit. Ienens. apud Dronk.: *tot limitares vici.* Scilicet offensi sunt omnes illi in *expugnati* vocabulo de hominibus usurpato; sed cf. Curt. 6, 6. *ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit;* ibid. 9, 4. *inclusos moenibus expugnat;* Flor. 2, 2, 16. *expugnati Poeni toto mari;* Iustin. 3, 5, 1. *Messenii per insidias expugnantur;* 3, 4, 11. *expugnatis veteribus incolis;* epitom. Liv. 62. *Q. Marcius Stoenos gentem Alpinam expugnavit.* Vid. Freinsbem. Ind. Flor. h. v. Rectissime igitur recentt. edd. Broter. Ernest. Oberlin. Dronk. Becker. Hertel. Walch. I. Bekker antiqu. edd. scripturam retinuerunt. *Militares viri* vocantur ipsi duces, ut An. 15, 26. Corbulo *vir militaris* appellatus est et apud Sall. Catil. 59, 6. Petreius *homo militaris.* [cf. Kritz. ad Sallust. Cat. c. 45, 2.]

cum inertia et formidine eorum. In marg. cod. Vat. 3429. haec verba adscripta leguntur: „Al. *inerciae et formidini.*" *Eorum* omnes exhibent libri, quod quum languidum videretur nec satis latinum, Grotius corrigebat *ceterorum*, quod Hertelio placebat, item Ernestio Oberlino et I. Bekkero. Infelicis-

tas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

XLII. Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat nec Domitiano exemplum. accessere quidam cogitationum principis periti, qui, iturusne esset in provinciam, ultro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in adprobanda excusatione offerre: postremo non iam obscuri, suadentes si-

sime Ernestius *caesorum*; Bipont. et Engel. *aliorum*; Seebod. *horum*; Beckerus *istorum* vel *illorum*; Walchius *reorum*, V. D. apud Dronkium *priorum*. Vulgatam vix ferri posse perspicio, melius quid substituere nequeo, quare acutioribus relinquo. Placet imprimis Grotianum *ceterorum*.

dum exstimulabant. Quod Heinrich. ad Cic. orat. pro M. Tullio fr. p. 76. (p. 25. a ed. Beier.) monuit: „Ernestius, quoties in ceteris scriptoribus, quibus edendis bene meruit, eam constructionem (int. *dum* voculae) animum advertit, aut plane errat, aut fluctuat. Sic ad Suet. Domit. 4. ad Tacit. An. 13, 15. et Hist. 3, 38.)" et nostro loco comprobatum esse non mirandum. Nam quia Tacito solenne sit praesens *dum* particulae iungere, h. l. quoque fortasse restituendum esse praesens tempus putat, qua quidem in re adsentitur ipsi Heinrich. l. l. Veram illam observationem nemo negat, sed citeriorum scriptorum in hac re licentiam docuit Wopkens. Miscell. Observ. nov. T. II. p. 62. 67. Vide omnino, quae de hac structura exposuit Walch. Emendat. Liv. p. 185. Matthiae ad Cic. orat. pro Rosc. Amer. c. 22. §. 91. et Ramshorn. p. 513.

Cap. 42. *Asiae et Africae.* Sic vet. cod. Ursini et edd. omnes, praeter Lipsium et Danesium, qui non ferunt, utramque simul aliquem sortiri potuisse, idque contra mores Romanos esse putant. Corrigebant igitur illi *Asiae aut Africae*, qua in re editorum nullus eis obsequutus est. Recte explicuit Pichena: sorte ducere, utram earum regeret.

occiso Civica. Edd. antiquae usque ad Rhenanum *Cinica.* De re cf. Sueton. Domit. c. 10. *complures senatores et in his aliquot consulares interemit: in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu.* Qua quidem ex caede Agricolae consilium esse debebat, recusandi provinciam; Domitiano exemplum, quod sequeretur, si adisset provinciam ille.

occultius. Edd. Put. Venet. Beroald. Riv. Alc. *occultus*, rectius illud reposuit Rhenanus.

non iam obscuri. MS. Vatic. 3429. edd. antiquae ad Rhenanum *non tam obscuri*, quod praeeunte Doederlein. Act. philolog. Monac. pag. 382. revocaverunt Dronk. Be-

mul terrentesque pertraxere ad Domitianum. qui paratus simulatione, in adrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et, cum adnuisset, agi sibi gratias passus est: nec erubuit beneficii invidia. salarium tamen proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipso concessum Agricolae non dedit: sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse. proprium humani ingenii est, odisse quem

cker. et Hertelius. Sensus est: non tam obscuri, quam antea, quum occultius tantum criminabantur. Sic explicuit Beckerus, sed vix ferenda est ea lectio, qua imputatur Agricolae tam fuisse caeco, ut priores istorum hominum machinationes ne perspexerit quidem. Bene et ingeniose igitur emendabat Rhenanus *iam obscuri*, quod receptum est ab omnibus deinceps interpretibus et nuperis Walchio et Imm. Bekkero. Eo enim impudentiae procedebant isti, ut ne studerent quidem celare Agricolam, quae molirentur.

terrentesque. Ed. Put. pr. *terentesque.*

paratus simulatione. Sic MSS. Vaticc. (teste Broterio) edd. antiquae et recentt. pleraeque. In margine cod. Vat. 3429. scriptum est: „alius habet *simulationis.*" Primum in his verbis offendebat Boxhornius, qui interpunctione laborare hunc locum opinatus sic distinguebat: *paratus*, *simulatione in adrog. composit.*, ut *paratus* intelligeretur Domitianus ad Agricolae excusationem audiendam; *simulatione in adr. comp.* idem, qui non lubentem et invitum excusationem illam se admittere gestu et verbis ad tristem adrogantiam compositis simulabat. Non melior Ernestii emendatio *parata simulatione*, supervacanea Bipont. Engel. et Oberlini correctio: *paratus simulationi*, et Doederleinii in translat. vernac. p. 62. *is paratus*, *simulatione et vultu* etc. Recte nuperi editores servarunt scripturam vulgatam, nam *paratus* ablativo iungi posse et ratio adest et locis scriptorum vett. probatur. Cf. Walch. ad h. l.

beneficii invidia. Ernestius censebat scribendum *iniuria*, ut ὀξύμωρον esset. Est vero beneficium invidiosum. Imperatoribus huiusce temporis multa laudi versa esse eorumque inter beneficia relata, quae neutiquam eo pertineant, satis constat. Adpositus est Senecae locus de benef. 4, 17. *quis est qui non beneficus videri malit? qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis, quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque et iis beneficium dedisse, quos laesit? Gratias itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur: bonosque se ac liberales fingunt, quia praestare non possunt.* Exemplum vide An. 6, 23.

salarium . . . proconsulari solitum offerri. Cf. Dio. Cass. 78, 22. τούτῳ γὰρ (de Aufidio Frontone sermo est) οὔτε τὴν Ἀφρικὴν κατακληρωσαμένῳ τῶν Ἄφρων αὐτὸν παραιτησαμένων οὔτε τὴν Ἀσίαν καίτοι μεταθεὶς αὐτὸν ἐκεῖσε πρότερον. τόγε μὴν ἱκνούμενον γέρας καὶ οἴκοι μένοντι αὐτῷ, τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, δοθῆναι εἰσηγήσατο. οὐ μέντοι καὶ ἐκεῖνος αὐτὰς ἔλαβεν, εἰπὼν οὐκ ἀργυρίου ἀλλ' ἡγεμονίας δεῖσθαι. Ceterum notandum est, Bleterium apud Broterium correxisse *sala-*

laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram et, quo obscurior, eo inrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur: quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. sciant, quibus moris est inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

rium tamen proconsulare sol. off., quod Ernestio placuit, sed vix necessarium.

quibus moris est. Sic ex MS. Vatic. 3429. edd. Put. pr. et Med. *est* restituebant Broterius et Ernestius, quod deinceps omnes servaverunt. Edd. Put. Ven. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *est* omittunt. cf. not. ad Agr. c. 38.

inlicita mirari. Edd. Put. Med. Ven. *inclita*, quod in omnibus sqq. recte mutatum est in *illicita.* Unus Doederlein. transl. vern. pag. 62. coniecturam tentabat *in licentia mirari.* Sed non opus coniectura. Refer tu cum Broterio, quem omnes sequuntur, ne Dronkio quidem excepto, hoc vocabulum ad *contumaciam et inanem libertatis iactationem*, eosque finge tibi homines, qui vani antiquae libertatis imitatores eo tempore facta mirabantur et imitari studebant. Talem libertatis adfectionem legibus non concessam fuisse nemo nescit. Bene Beckerus: „nec aliud hic docet Tacitus, quam quae supra iam c. 17. innuit: *Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat.* Qui igitur maiores esse altiusque sese efferre concupiscunt, quam pro temporum indole et principis moribus *licet*, qui ambitiosa morte inclarescere malunt, quam tute nec indecore nec inutiliter vivere, hi *illicita* mirari dicuntur."

eo laudis excedere. Notasse sufficiet, V. D. in ephem. lit. Ienens. a. 1816. nr. 127. voluisse *hoc laudis*, quod Walchio ex *huc laudis* corruptum videtur; non necessariam esse correctionem, intelliges ex c. 28. *eo ad extremum inopiae pervenere*; An. 2, 33. *postquam eo magnificentiae venerit.* Praeterea Lipsius: malo, inquit, *accedere*, vel potius *escendere;* Seebodius corrigebat *excellere*, sed cur corrigamus, quibus nihil inest vitii. Recte pronuntiat Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 49. [p. 117. ed. Frotsch.], fortasse melius esse, vulgatum *excedere* non movere. Nec moverunt interpr. plerique. cf. Tacit. An. 2, 8. *tantum illa clades novitate et magnitudine excessit*, ubi cf. not., adde Valer. Max. 5, 6. 4. *res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.* Vide Boetticher. Lex. Tacit. p. 180. *Excedere*, quod in MS. Vatic. 3429. exstare contendit Bekkerus, recte a recentt. editoribus restitutum est.

in nullum rei publicae usum. MS. Vat. 3429. *in nullum rei post usum*, sed in margine adscriptum est: „al. *in nullum re p̄. usum.*" Vaticani libri scripturam tenent edd. antiquae omnes, quibuscum consentiunt recentt. interpr. nonnulli, velut Dronkius et Beckerus. Explicant illi per Hyphen iuncta vocabula, ut sit usus, qui postea exinde oritur. Sed ne quid dicam de sententia inepta fere et absurda,

XLIII. Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt: nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor veneno interceptum. nobis nihil comperti adfirmare ausim: ceterum per omnem valetudinem eius, crebrius

figurae illius quo Graecis frequentior est usus, eo rarior Latinis scriptoribus. Quare I. Fr. Gronovius talem explicandi rationem improbans eo abduci se passus est, ut *rei* genitivum *reus* nominis esse contenderet idque explicaret: accusati post et damnati, non reputans ille, post mortem reum fieri neminem posse. Verissima est Merceri emendatio, quam Mureto adscripsit Acidalius quamque in veteri codice reperisse se Ursinus testatur, *in nullum rei publicae usum*, quae bene cod. Vat. 3429. scripturae in margine notatae convenit. Certatim eam probarunt Pichena (quem *post* voculam retinuisse perperam traditum est in edit. Gronov.) sqq. Broter. Ernest. Bipont. Oberlin. Seebod. Walch. Hertel. I. Bekkerus. Silentio praetermittere licebit, quod Acidalius excogitavit, *quo plerique vix, qui per abrupta, sed in nullum rei post usum*, et Heumanni commentum parerg. crit. p. 84. *quo plerique per abrupta enisi irritum post ausum, ambitiosa morte inclaruerunt.*

Cap. 43. *extraneis etiam ignotisque.* cf. An. 2, 71. *flebunt Germanicum etiam ignoti*, ibid. 3, 1. *multique etiam ignoti vicinis e municipiis.*

aliud agens populus. Sic Rhenan. in castigatt., quod iam in ed. Riv. exstare Walch. adfirmat, omnes sqq.; in edd. antiquis expressum est *alius*, quod sensu caret. *Aliud agentem populum* intellige cum Pichena publicas res nihil curantem, sed suis negotiis intentum. Ineptam ed. Bipont. correctionem *nec hoc alias agens populus*, i. e. populus alias cura rei publicae vacuus, uno excepto Engelio nemo probavit.

laetatus est aut statim oblitus est. Acidalius alterutrum *est* delendum censuerat, posterius itaque abiecit Oberlino [et I. Bekkero] adsentientibus Muretus, prius V. D. in ephem. lit. Ien. a. 1816. nr. 127., quod concinnius videbatur Dronkio similia adferenti exempla. Sed his in tali re nihil efficitur et omissa *est* vocula totius enuntiati vis perturbatur.

nobis nihil comperti adfirmare ausim. Sic ex Rhenan. emendatione edd. deinceps omnes, idemque fortasse in MS. Vatic. 3429. (teste Dronk.) — Edd. antiquae *vobis*, quod Gesnerus servandum duxit. Acidalius malebat: *nobis nihil comperti, quod affirmare ausim*; Walchius in tali verborum nexu *est* copulae ellipsim aegre ferens coniiciebat: *nobis nihil compertum, quod affirmare ausim.* cf. Sallust. Catil. c. 14, 7. *sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.* Ernestii sententiam, duriorem esse orationem, quod in eodem enuntiato et pluralis *nobis* et singularis *ausim* sit, non eo refutarunt interpretes, quod *nobis* non de Tacito solo, sed de aequalibus etiam intelligendum esse pronuntiarunt. cf. Passov. varr. lectt. Tacit. Germ. c. 29. Immo artioribus finibus circumscribendus is pluralis huius usus. cf. An. 14,

quam ex more principatus, per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere: sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari, quae tristis audiret. speciem tamen doloris animo vultuque prae se tu-

43. *simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam;* ibid. 3, 16. *narratum ab iis, qui nostram ad iuventutem duraverunt;* ibid. 4, 32. *nemo annales nostras cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere;* ibid. *nobis in arto et inglorius labor.* Cicer. in Catil. 1, 9, 22. *tametsi video, si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat.* Vide Quintil. Inst. or. 7, 6, 20. Ceterum Agricolam veneno interceptum adfirmat Dio Cass. 66, 20.

ex more principatus. Ursinus, Muretus, Acidal. Bipont. Engel. praeferebant *principis*, ut unus intelligeretur Domitianus, sed ad omnes principes referendus est mos.

libertorum primi et medicorum intimi. Videtur, inquit Ernestius, epithetorum permutatio facta esse. *libertorum intimi* noti sunt. cf. supra c. 40. An. 6, 50., ex quo loco medicos principis a consiliis fuisse satis apparet. Intimorum profecto medicorum officia efflagitabantur necessario, si quidem veneno interfectus est Agricola. Ernestium tamen sequitur Ricklefsius.

momenta deficientis ... nuntiata constabat. Quod ex interpretamento insertum legitur in MS. Vat. 3429. *momenta ipsa defic.*, soli Beckerus et Hertelius receperunt probante Ricklefsio. Rhenani emendationem grammaticae artis praeceptis satis vulgaribus efflagitatam *constabat* nuper reiiciebant Dronk. Becker. et Hertel., revocantes illi antiquarum edd. scripturam *constabant.*

speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit. *Animo vultuque* explicandum est per Hendiadyn: vultu ita composito, ut animi dolor inde cognosci possit. Sic Hist. 1, 85. *animum vultumque conversi;* ibid. 4, 31. *sacramentum non vultu neque animo satis adfirmans;* Horat. Epist. 2, 1, 97. *suspendit picta vultum mentemque tabella.* Alia id genus notavimus Hist. 4, 14. *nocte ac laetitia;* ibid. c. 55. *corpore atque adulterio.* Spectant haec omnia ad quartam figurae ἓν διὰ δυοῖν speciem, ubi, Rothio l. l. auctore, accessio quaedam aut per praepositionem enuntianda aut eloquutione circumscribenda in figuram Hendiad. abit. Quod si reputassent interpretes, abstinuissent profecto inanibus coniecturis, quas hac una de causa tentabant, quod externis tantummodo indiciis praeferri aliquid possit. Sic Rhenanus volebat: *speciem t. dol. omnino vultu prae se tulit*; Freinshemius: *amictu vultuque*; I. Fr. Gronovius: *imo vultu;* Ernestius: *habitu vultuque;* Engelius: *animo vultuve;* Bipontini: *oratione vultuque*; Mohrius denique: *sermone vultuque.* Vulgatam scripturam recte transtuleris: *Zeichen des Schmerzes jedoch gab er kund in Stimmung u. Blick.* — Ceterum pro *tamen* in edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. expressum est *tum*, quod iam in ed. Riv. mutatum est in *tamen*, idque inde a Rhenano receperunt omnes.

lit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. satis constabat, lecto testamento Agricolae, quo cohaeredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. tam caeca et corrupta mens adsiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi haeredem nisi malum principem.

XLIV. Natus erat Agricola Caio Caesare primum consule Idibus Iuniis: excessit sexto et quinquagesimo anno, decimo Kal. Septemb. Collega Priscoque COSS. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, de-

securus odii. cf. Ramshorn. §. 107, 6. Poppo. Prolegom. in Thucyd. I. p. 376. An. 3, 26. *Caesar Augustus potentiae securus.*

testamento. Edd. Put. pr. Med. Ven. Beroald. Alc. Rhenan. *testimonio*, quod hic se correxisse in castigatt. profitetur, sed Walchio teste id iam exstat in ed. Riv.

honore iudicioque. Ἓν διὰ δυοῖν et quidem eius speciei, ubi loco adiectivi substantivo coniungendi nomen substantivum usurpatur. Cf. An. 3, 74. *gaudio et impetu*; Hist. 4, 64. *lucem diemque*! aliorumque scriptorum locos apud Hessium ad Germ. c. 7, 3.

Cap. 44. *Caio Caesare primum consule.* Edd. antiquae usque ad Ursinum et Lipsium *Caio Caes. ter cons.*, quod ab illis viris correctum est *tertium cons.* ex usu dicendi satis trito. Sed eam si sequimur scripturam, temporum computatio non convenit notationibus ab ipso Tacito paulo post additis. Caii Caesaris tertius consulatus incidit in annum ab U. C. 793. = ante Christ. nat. 40., Collegae Priscique consulatus in a. U. C. 846. sive a. aerae christianae 93., quae si computaveris, non sexto et quinquagesimo anno excessit de vita Agricola, sed tertio vel potius ex more computandi Romanis usitato quarto et quinquagesimo. Quapropter levissimo sane remedio difficultatem solvit Savilius, errorem calculi Tacito non minus quam aliis rerum scriptoribus familiarem h.l. esse contendens. Sequuntur eam sententiam haud pauci, sed perperam, quis enim persuadeat sibi rem scriptori nostro notissimam falso tradi potuisse unquam, praesertim si diligentissime notatos consulatus respexeris. Corrigendum igitur esse multi perspexerunt, sed in duas partes abeunt interpretes. Alii cum Broterio malunt *quarto et quinquagesimo anno* scribere, quia in numerorum signis facilis sit scribarum lapsus et numeris hos annos consignatos fuisse, contestatum sit MS. Vat. 3429. auctoritate. Alii in Caii Caesaris consulatu errorem deprehendisse sibi videbantur iique haud dubie rectius. Nam quum et aliis de causis veri sit simile, annum Agricolae natalem incidisse in a. ab U. C. 790. = post Chr. nat. 70. (cf. Walch. ad h. l. et Becker. Annalib. Agricolanis p. XV.), eoque anno primus fuerit Caii Caesaris consulatus, scribendum est *primum consule.* Qua quidem in sententia non Bosius solum est, cuius verba vide ab Walchio transscripta, verum etiam Petavius ad Epiphan. Haer. LI. p. 93., nuper Broterius, Walchius et I. Bekkerus. Nihili vero est, quod obiici

centior quam sublimior fuit. nihil metus in vultu: gratia oris supererat. bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quanquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consularibus ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus; incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitiis, futura effugisse. nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce ac principem

possit huic emendationi, tum dicendum fuisse *septimo et quinquagesimo anno*; quem Latinorum in hac re morem explanavit Walchius, quem vide. — Ceterum *Septembris* in MS. Vat. 3429. scriptum est.

nihil metus in vultu. MS. Vat. 3429. *nihil impetus in vultu*, margini adscriptum est: „Alius *metus*", et utrumque vocabulum coniunctum in alterius Vaticani libri 4498. contextu: *nihil metus et impetus in vultu*, quod a Beckero receptum est. Tuemur vulgatam scripturam eamque explicamus sic: nihil in vultu eius inerat, quod metum incutere potuisset. Quintil. Inst. or. 6, 2, 21. *et m e t u m tamen duplicem intelligi volo, quem patimur, et quem facimus*; itemque Gellius N. A. 9, 12. *nam m e t u s hostium recte dicitur, et quum timent hostes et quum timentur.* Sic apud Sallust. fragm. Histor. 1, 8. et 11. Vide quoque Reitz. de Ambig. p. 238., quem adtulit Hess. ad Germ. c. 2, 7. Ad comparationem adpositus est locus Ovid. Metam. 2, 857. *nullae in fronte minae, nec formidabile lumen; pacem vultus habet.* Minime vero omnium admittendus est passivus *metus* vocabuli significatus cum Doederlein. Lat. Syn. et Etym. Vol. IV. p. 320., qui vertit: *So wenig sich Furcht in seinem Blick aussprach, so war doch Holdseligkeit der vorherrschende Zug in seinen Mienen.* Quis unquam Agricolam cogitavit meticulosum? Edit. Bipont., quem sequuntur Engel. et Schlüter., adeo fuit ineptus, ut vestigiis cod. Vatic. inductus scribendum censeret *ineptum*, quod ut refutetur nemo postulabit.

supererat. Ed. Put. Ven. *superat.*

consularibus ac triumphalibus ornamentis. Sic edd. omnes, sed quia in MS. Vatic. 3429. *consulari* repertum est, id recipere maluerunt Becker. et Hertel.

speciosae contigerant. MSS. Vaticc. 3429. et 4498. *speciosae non contigerant*, quod responderet Dionis verbis l. l. ὁ δὲ Ἀγρικόλας ἔν τε ἀτιμίᾳ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου καὶ ἐν ἐνδείᾳ — ἔζησεν. Sed in margine cod. Vat. 3429. additum est: „alius *speciosae contigerant*" — edd. antiquae *speciose contigerat*, quod iam a Rhenano in scripturam nunc vulgatam *speciosae contigerant* mutatum est. Et recte quidem, nam talem sententiam poscit enuntiati huius ratio et confirmant ea, quae cap. 6. de abundantia eius leguntur, quaeque cap. 42. de non petito salario proconsulari narravit Tacitus.

nam sicuti durare in hac beat. saec. luce ac principem Tr. videre,

Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus

quod augurio votisque apud n. a. ominabatur: ita festinatae mortis gr. solatium tulit etc. Hanc MSS. Vatt. et edd. antiquarum ante Rhen. scripturam bene restituerunt Broter. Dronk. Becker. et Hertelius. Sunt enim haec verba, quae interpretum ingenia multum vexarunt, per Syllepsim explicanda in hunc modum: Sicuti magnum adtulisset solatium ad felicissima haec Traiani principatus tempora perducere vitam, quae futura esse aliquando perspiciebat Agricola, ita aliquatenus saltem consolationem miseriarum, quas res publica extremis Domitiani annis perpessa est, adtulit festinata eius mors, qua cautum est, ne in miserrimum tempus duraret. Ieiuna vero sententia est, quam huic enuntiato inesse Beckerus vult: „nam sicuti maximum quidem solatium miseriarum, quibus sub Domitiano affecti sumus, haec temporum felicitas sub Nerva et Traiano affert, grande tamen solatium hoc quoque attulit, quod Agricola, postremum Domitiani tempus effugit." Syllepsim aliis quoque scriptoris Nostri locis deprehendimus, ut An. 6, 21. *praescium periculorum et incolumem fore gratatur;* Germ. c. 2. *quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri* (sc. *vocentur*), *tunc Germani vocati sint*, ubi subiunximus similem locum Germ. c. 36. *ita, qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur.* [cf. Boetticher. Proleg. Lex. Tac. p. LXXIX.] Sed talem explicationem qui duriorem putarunt, alia tentarunt via progredi. Rhenanus, cum Lips. sqq. I. Fr. Gronov. nuperrimeque Walchius et Bekkerus *quod* aut delerunt aut uncis circumdederunt, ut ita infinitivi *durare* ac *videre* pendeant ex *ominabatur*, quam quidem rationem praeferrem, nisi veterum librorum *quod* tenaciter servantium auctoritas obstaret. Bipontini, quos sequuntur ex more suo Oberlinus et Engelius, *quodam augurio* scribebant. Alii denique mutilum hunc locum pronuntiarunt; Ursinus ex veteri codice protulit: *nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis esse, durare in hac beatissimi saec. luce* etc., quod V. D. in ephem. liter. Lips. a. 1827. nr. 48. sic immutavit: *nam sicuti magnae cuiusdam felicit. est, durasse in hac b. saec. luce.* Ernestio aut excidisse aliquid videtur aut scribendum: *nam sicut beatissimum durare in hanc saeculi lucem* etc., sicuti extrema verba ex Acidalii et Buchneri sententia constituta sunt, qui *in hanc beat. saec. lucem* malebant. Sed perperam. nam, quamvis dial. de oratt. c. 17. *in medium usque Augusti principatum ..... duravit* legatur, tamen et altera structura apud Quint. Inst. or. 11, 3, 23. reperitur: *in sudata veste durandum.* Dahlius denique animadvv. p. 25.: *non licuit ei durare ... quod .. ominabatur, at* (sive *sed*) *festinatae mortis* etc., vel potius: *nam sicut non licuit ei* (sive *nam sicut ei non licuit*) *durare* etc. Praeterea contra Lipsium dicendum est, cui mirum videtur, Agricolam Traiani principatum tot annis ante praevidisse. Qua in re si nolueris blanditias agnoscere, a quibus alias Tacitus alienissimus esse solet, aut concedes, Tacitum post eventum Traiano feliciora ea tempora adscripsisse, quae in universum ominatus erat Agricola eorum auctorem ignorans, aut cum Walchio facies historicorum ad testimonia provocante, e quibus pateat certa futuri principatus indicia Traiano fuisse. Idque veri similius, quum apud Dionem 67, 12. narretur: τῷ δὲ Τραϊάνῳ ἡ τῆς

non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit.

XLV. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et

αὐτοκρατορίας ἀρχὴ προεῤῥήθη. cf. Plin. Paneg. c. 5. et 94.

per intervalla ac spiramenta. Synonyma. cf. Roth. l. l. p. 11.

velut uno ictu. Apte compararunt interpretes Senec. de ira 3, 19.: *homo, qui de toto senatu trucidando cogitabat* (de Caligula loquitur): *qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta in unum ictum et unum diem cogeret.*

Cap. 45. *Non vidit* etc. Haec verba et quae cap. antecedenti extremo leguntur bene comparavit P. Burmannus Addend. et Emend. ad Anthol. T. II. p. 693. a. cum Ciceron. de orat. 3, 2, 8.: *fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus, sed ii tamen rem publicam casus sequuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimum* etc. Quae Ciceronis verba quin Nostro obversata fuerint, cum haec scriberet, non dubito, praesertim quum dialogus quoque de oratt. imitationis Ciceronianae vestigia apertissima eaque imprimis in Ciceronis de oratore libris nitentia ostendat.

clausum armis senatum. MS. Vat. 3429. *clusum.* cf. not. ad Germ. c. 45.

tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia. De re cf. Dio Cass. 67, 12. Sueton. Domit. c. 10. Plin. Epist. 3, 11., qui relegatas nominat Gratillam, Aruleni Rustici uxorem, Arriam, uxorem Paeti Thraseae et Fanniam, Thraseae et Arriae filiam Helvidio desponsatam. Nihil igitur in his offensioni esse potest, et refutandus Burmannus l. l. pro *feminarum* coniiciens *familiarum.*

Carus Metius. MS. Vat. 3429. *Charus Mitius* — ed. Put. pr. *Charus Nutius* — edd. Put. Med. Ven. Ber. Alc. *charus nuncius*, quem errorem correxit Rhenanus in scripturam vulgatam. Nequissimus is fuit sub Domitiano delatorum. Cf. Iuvenal. 1, 35. ad eumque locum commentarios vetustos, Martial. epigr. 12, 25, 5., Plin. Epist. 1, 5, 3.; 7, 19, 5.; 7, 27, 4. Notandus est edit. Bipont., qui *carus Metius* exprimendum curavit, quasi luserit in hoc nomine Tacitus. Quis adeo ignarus est Taciti morum, ut tale quid serio possit contendere. Sententia est: unam adhuc victoriam reportaverat Metius, h. e. unum virum tantummodo delationibus perdiderat; eaque iam *censebatur*, i. e. existimabatur, famam contraxerat. Qua de victoria cogitaverit Tacitus non liquet.

intra Albanam arcem. Sic MSS. Vaticc. 3429. 4498. edd. inde a Lipsio omnes; sed in marg. cod. Vat. 3429. notatum est: „Al. ha-

Massa Bebius iam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique

bet *villam.*" Utriusque scripturae confusio est in edd. antiquis, in quibus legitur: *intra Albanam arcem* (quae vox bis legitur in ed. Alciati) *vilam*; Rhenanus *arcem* eiecit et *villam* retinuit; Lipsius hoc eiecto maluit *arcem* servare. Atque id comprobat et Dio Cass. 67, 1. τοῦτο τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὃν ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο, et Iuvenal. 4, 145.: *quos Albanam dux magnus in arcem traxerat attonitos.* Idem locus vocatur quidem *villa Albana* apud Plin. Ep. 4, 11, 6., *Albanum* apud Suet. Domit. c. 4., quod recipere maluit Ernestius, *arcem* s. *villam* a librariis explicationis causa additum putans. Sed huic coniecturae aliisque, velut Pichenae: *intra Albanam arcem nulla sententia*, et ed. Bipont.: *intra Albanam arcem solam sent.*, obstat librorum auctoritas. — Ceterum de *Catullo Messalino* vide Iuvenal. 4, 113. sqq. Plin. Epist. 4, 22; 5. Ioseph. bell. Iud. p. 996. 997.

Massa Bebius. cf. Hist. 4, 50. *Bebius Massa .... iam tunc optimo cuique exitiosus et in causas malorum, quae mox tulimus, saepius rediturus;* praeterea Plin. Epist. 3, 4, 4.; 6, 29, 7. et imprimis 7, 33, 4., ex qua eum a Baeticis accusatum et damnatum esse cognoscimus. Mentem scriptoris neque Buchnerus adsequutus est, dum explicat: moriente Agricola nondum eo pervenerat, ut delationibus saeviret, neque I. Fr. Gronovius *etiam tum* ut corrigatur suadens.

nostrae duxere Helvidium . . . manus. De hac re dixit Plin. Epist. 9, 13., cuius verba (§. 2.: *inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex manus intulisset*) cum h. l. comparari possunt. Factum vero id est a Publicio Certo, et ipse Helvidius filius, nam is intelligendus est, occisus *quasi*, ut Sueton. Domit. c. 10. dicit, *scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset. Nostras manus* intellige manus senatorum, quorum in collegio Tacitum praetura functum fuisse veri est simillimum.

nos Maurici Rusticique visus. Sic MSS. Vaticc. 3429. 4498. edd. antiquae, unde edd. pleraeque retinuerunt. Recte; *visum* intellige *speciem*, quem vocabuli significatum illustrarunt Ruhnken. ad Vell. Pat. 2, 94. et Drakenb. ad Liv. 8, 9, 10. Heindorf. ad Cic nat. deor. 1, 5, 12., et iunge per syllepsim (cf. not. ad c. 44.) cum *perfudit.* Tum omnia bene se habent. Sed in marg. MS. Vat. 3429. et in vet. cod. Ursini legitur: *Nos Mauricium Rusticumque divisimus*, quod *Mauricum* restituens recepit Broterius, ut ita indicaretur crudelitas eorum, qui fratrum iunctissimum par altero occiso, altero relegato diviserint. Ad eandem sententiam redit edit. Bipont. correctio: *Nos Maurici Rusticique divisus*, quo nomine Livium tantum et Gellium usos esse lexica docent. Acidalius tentabat: *Nos Maurici Rusticique vidimus casus*; Arztius: *Nos in Mauricum Rusticumque saeviimus;* V. D. in ephem. lit. Lips. a. 1827. nr. 48.: *Nos Maurici Rusticique casus;* Huetius apud Broter.: *Nos Maurici Rusticique visus miseratione, nos* etc. Vir uterque notissimus, de Iunio Aruleno Rustico capitis damnato cf. supra not. ad c. 2.; Iunius Mauricus, frater eius, a Domitiano in exsilium missus (cf. Plin. Epist. 3, 11, 3.) sub Nerva rediit (id. Epist. 1, 5, 10.); *quo viro nihil firmius, nihil verius*, teste eodem Epist. 4, 22, 3.

visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici: cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, a quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis, ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tanquam pro virili portione innocen-

Senecio. De librorum in scribendo hoc nomine discrepantia cf. not. ad Agric. c. 2. Cf. Plin. Epist. 7, 33. et Niebuhr. script. minor. vol. I. p. 330. sqq.

subtraxit oculos. MS. Vat. 3429. addidamentum *oculos suos* receptum est a Beckero et Hertelio.

iussitque scelera, non spectavit. Aliena est Doederleinii in translat. vernac. p. 63. correctio: *iuss. scelera non spectari.*

videre et aspici. Quam Doederlein. l. l. p. 64. adfert scripturam variantem *videri*, eius notitia tradita est a Colero, qui in refutanda ista invenusta repetitione nec homine Latino, nedum Tacito digna versatur.

subscriberentur. Subscribere dici cum de accusatore, qui in deferendo nomine alicuius et nomen suum et accusationis causam subscribebat, tum de iis, qui nominibus suis accusationi subscribendis testabantur consensum seque accusationem probare, satis notum est. cf. Ernest. Clav. Cic. h. v. et interpr. ad Nep. Attic. 6, 3. Plerumque primario accusatori *inscriptio*, secundario *subscriptio* competebat. De re cf. An. 6, 10. 19.

rubor, a quo se . . muniebat. Sic MS. Vatic. 3429. edd. antiquae omnes usque ad Lipsium, qui praepositionem delevit adsentientibus editoribus omnibus, uno excepto Walchio, qui vett. librorum scripturam revocavit. cf. eius not. ad h. l. Simile dicendi genus est in tritissimis illis dictionibus: *perire a morbo, obire a serpentis morsu*, aliisque id genus collectis ab interpr. Nepot. de regibus c. 3, 3. Supervacua est edit. Bipont. correctio *rubor oris, quo se . . muniebat*, ad quam sustentandam non valent Plinii verba Panegyr. c. 48, 4., quae transscribere placet: *Ad haec ipse occursu quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.*

ut perhibent. MS. Vat. 3429. *perhiberent.* Ed. Bipont. verborum distinctionem, ex qua verba *ut perhibent . . . sermonibus tuis* quasi parenthesis loco interiecta sint reliquo sermoni, et antecedentia *tu vero* etc. cum seqq. *constans . . . excepisti* arte cohaereant, servandam duxi, quamvis Walchius adversetur. [Eandem retinuit I. Bekkerus.]

pro virili portione. Cf. Hist. 3, 20. *ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit.* Explicanda haec dictio ex iis, quae Ernestius Clav. Cic. p. 672. exposuit de Ciceroniano *pro virili parte.* Indicat scriptor, constantiam atque animi tranquillitatem, qua sub vitae finem ornatus erat Agricola, declarasse aliquatenus, non veneno eum interceptum fuisse, sed ipsi

tiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius, praeter acerbitatem parentis erepti, auget maestitiam, quod adsidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu non contigit. excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est. Omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissima uxore superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis compositus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

potius cessisse naturae. Ipsis illis virtutibus innocentiam donavit principi, quippe quem mortis auctorem constans rumor ferret.

sed mihi filiaeque eius, Sic MS. Vat. 3429. Rhenan. in castigatt. et nuper Seebod. Dronk. Beckerus et Hertelius; in idem Schefferus inciderat. — In edd. antiquis exstat *filioque eius*, quod ferri nequit, quia hunc mortuum esse iam supra c. 28. narravit Tacitus. Recte igitur Rhenanus *filiaeque* restituit, perperam vero eum sequentes editores omiserunt *eius*, quod quanquam non necessario requiritur, omitti tamen nequit ob librorum consensum. *Tuae* addere volebat Pichena idemque Ernestius, sed non memores illi antiquitus traditae scripturae.

vultu, complexu non contigit. complexuque MS. Vatic. 3429. edd. Becker. et Hertel. Pro *contigit* in edd. Put. pr. Med. Ven. Riv. exstat *contingit*. Cum antecedentibus compara Horatium Satir. I, 1, 80. sqq. *At si condoluit tentatum frigore corpus Aut alius casus lecto te adfixit, habes qui Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te Suscitet ac natis reddat carisque propinquis.*

excepissemus. Certissima Pichenae emendatio, quam sensus postulat. Nam hoc quoque ad Agricolae filiam referendum esse, sequenti *figeremus*, pro quo in marg. MS. Vat. 3429. est: „Al. *pingeremus*", docetur aperte. Unus Dronkius correctionis causam non perspexit.

nobis tam longae absentiae cond. ante quadriennium amissus est. Pro *tam* in MS. Vat. 3429. vitiose scriptum est *tum*. Praeterea cum Walchio reduximus antiquarum edd. scripturam *amissus est* (nam in edd. Put. pr. Med. Ven. Riv. exstat ē [satis vulgare *est* voculae compendium] et in edd. Beroald. et Alciat. scribitur *est*), quia haec verba non ad Agricolam dicta esse, sequentibus ostenditur, ubi *optime parentum* additur ad apostrophen indicandam. Male ab Rhenano inde vulgatum est *amissus es*. Lipsium, ut sententiam verborum explicemus, perperam ex his verbis collegisse, quatuor annis post Agricolae obitum hanc vitam ab Tacito scriptam esse, post egregiam Pichenae explicationem nemo nescit. Immo quia Tacitus cum uxore iam quatuor annis ante Agricolae mortem Roma abfuerat, sibi perinde esse dicit, ac si quadriennio ante Agricola mortuus esset.

optime parentum. Sic edd. Put. pr. Med. Ven., quae corrupta sunt in edd. Riv. Beroald. Alc. Rhenan. Lips. in *optima parentum*, quem errorem sustulit Pichena.

compositus es. MSS. Vatt. 3429. et 4498. *comploratus es*, quod recepit cum Beckero Hertelius. Sed

XLVI. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae: placide quiescas nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. admiratione te potius et immortalibus laudibus et, si natura suppeditet, aemulatu decoremus.

edd. omnium scripturam *compositus es* firmat marg. cod. Vat. 3429., in quo *compositus es* adscriptum est. *Ponere* autem et *componere* sunt propria in funere verba saepiusque dicuntur pro *sepelire*, velut Hist. 1, 47. *Pisonem Verania uxor ae frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia composuere.* Alia vide apud Heinsium ad Ovid. Art. Amat. 3, 740. et interprett. Ovid. Epist. ex Ponto 3, 1, 112.

Cap. 46. *nosque.* Copulam in edit. Rhenani secunda omissam recte restituit Pichena.

admiratione te potius et immortalibus laudibus et, si natura suppeditet, aemulatu decoremus. MSS. Vatt. 3429. et 4498. *admiratione te potius temporalibus laudibus: et si natura suppeditet militum decoramus*, sed cod. Vat. 4498. Broterio teste *multum decoramus.* In priore illa scriptura consentiunt edd. antiquae omnes ne Rhenani quidem excepta, nisi quod in ed. Riv. *et temporalibus* et ex typothetae errore *decoranus* expressum est. Vetus Ursini codex exhibebat: *admiratione te potius quam aemulatione decoremus*, unde idem V. D. lectionem concinnavit hanc: *admiratione te potius, quam aemulatione, et si natura suppeditet imitatione virtutum decoremus.* Sed nihil ex his satisfacere potest. Quare Lipsius coniecit: *admiratione te potius, te immortalibus laudibus*, unde Gesnerus faciebat cum Doederleinio in transl. vern. p 64. *et immortalibus laudibus*, quod pridem placuerat Acidalio, Boxhornio, Grotio aliisque et nuper Walchio et Imm. Bekkero. Aptius profecto id erit, quam *temporalibus laudibus*, quod quia a libris antiquis traditum est, servarunt plerique edd. nuperi, velut Broter. Ernest. Bipont. Oberlin. Engel. Dronk. Beckerus et Hertel. Explicuit ea Ernestius sic: potius te ornabimus admiratione, quae perpetua erit, quam laudibus brevibus verborum cito transituris. Interserunt autem omnes illi praeter Becker. et Hertel. *quam* particulam librorum fide destitutam. Verissime contra eorum commenta disputavit ingeniosissimus Walchius, quem confer. Multum vero disceptatum est inter editores de extremis huius enuntiati verbis, quae corrupta esse perspicuum est. Absurdum est prorsus, quod anonymus e cod. Mirandul. se proferre simulavit: *ut admiratione .... tumulum decoremus*, nulliusque pretii Mureti coniectura, qui deleta *temporalibus* voce *imitatione virtutum colamus* corrigebat. Eodem numero habendi sunt omnes alii, qui *decorare* verbum aspernabantur aliudque substituebant, velut Pichena, a quo correctum est: *imitando colamus;* Seebodius, cui in mentem venit: *similitum decore colamus;* Doederleinius, qui suasit: *similitudine colamus* idque adprobavit Dronkio. Neque minus vituperandi sunt Gesnerus et Ernestius, quorum alter *imitatione decoramus* scribens mendosum servavit indicativum, alter *similitudine decorabimus* praeferens tempus obtrudit ab hoc loco alienissimum. Bene vero factum est ab iis interpr., qui *decoremus* scripserunt. Quorum alii malunt cum Grotio: *similitudine decore-*

is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, formamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur. non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore aut aere finguntur: sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna; quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

mus, veluti Beckerus et Hertelius; dubius vero inter *imitatione* et *similitudine decoremus* haeret Boxhornius; alii, velut ed. Bipont. Engel. et Oberlinus: *aemulatione decoremus;* alii denique, ut Heinsius in epist. ad Graev. p. 173., probantibus Graevio, Walchio [et I. Bekkero] *aemulatu decoremus.* Idque recepimus, nam aptiorem sententiam vix reperias. [Id tamen contra Heinsianam correctionem dicendum videtur, de *aemulatus* substantivo nondum constare; nam duorum, qui proferuntur loci, altero An. 13, 46.: *Otho ... ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitaniae praeficitur* non substantivum est, sed participium verbi *aemulari*, idemque esse videtur altero Hist. 3, 66. Waltherus h. l. sui oblitus esse videtur.] Eundem *decorare* verbi usum illustravit Walchius his exemplis: Ennius p. 161. ed. Hessel: *Nemo me lacrumeis decoret, nec funera fletu faxit? volito vivu' per ora virum;* Cato apud Gell. 3, 7. *gratiam praecipuam claritudinis inclutissimae decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, historiis* etc.; Sall. Cat. c. 12, 4. *domos suas gloria decorabant.*

cuiusque. Ed. Put. pr. *civisque.*

formamque ac figuram animi. Sic scripsimus ex Mureti et Acidalii emendatione, quam probarunt Ernest. Dronk. Becker. Hertel. [et Doederlein. Lat. Syn. u. Etym. Tom. III. p. 27.]. Cfr. Cicer. Tusc. 1, 16, 37. *animorum ... formam aliquam figuramque quaerebant;* Plin. Panegyr. c. 55, 11. *quinetiam leviora haec, formam principis figuramque non aurum melius vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatque.* Reliqui edd. retinuerunt Vat. cod. 3429. et edd. antiquarum scripturam *famamque ac figuram animi,* eaque verba per Hendiadyn explicant.

intercedendum. Coniecturae Acidalii *intercidendum* et Ursini *interdicendum* vanae sunt, *intercedendum* enim, proprie de tribunis usurpatum, transfertur ad imagines, quas fieri vetet aliquis.

manet mansurumque est. Cf. Vellei. Paterc. 2, 66, 5. *vivit vivetque per omnem saeculorum memoriam;* Plin. Epist. 2, 1, 11. *vivit enim vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabitur, postquam ab oculis recessit.* Vide Ruhnkenium ad Vell. l. l.

DE ORATORIBUS DIALOGUS.

DE
ORATORIBUS
DIALOGUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Dialogi occasio. 2. 3. Confabulationis argumentum. Curiatium Maternum ex oratore poetam M. Aper orator, iudice Iulio Secundo, a poeticis studiis avocare tentat. 4. Maternus sanctiorem se eloquentiam sectari profitetur. 5—7. Instat Aper et oratoriae artis utilitatem, voluptatem, dignitatem celebrat, idque 8. Marcelli Eprii et Crispi Vibii exemplis comprobat; 9. contra carmina dignitate et utilitate destitui, nec nisi laudem inanem dare et gaudium volucre. Laude dignam esse Vespasiani liberalitatem in vatem Saleium Bassum; pulcrius tamen esse, sibi ipsi prospicere et suum genium propitiare. Nec voluptatis quidquam praebere poeticam, quippe vatibus in solitudinem sit recedendum; 10. tum poetas esse offensis obnoxios. Maternum proinde rectius acturum, si ab auditoriis et theatris in forum et ad causas agendas redeat.

11.—13. Maternus contra poeticae studium securitatem praestare et innocentiam, maiorem quoque gloriam, quam forensis labor concedat, quod aurei saeculi exemplo constet. Voluptatem porro puriorem adferre secessum in nemora et lucos, quam sanguinantem eloquentiam. Dulces Musas revocare suos cultores a sollicitudinibus et curis.

14. Supervenit Vipstanus Messalla. Is, antiquorum admirator, Aprum a novorum rhetorum more ad veterem formam trahere nititur. 15.—18. Aper repugnans movet quaestionem, quinam oratores vocandi sint antiqui. Hos venerantur Messalla, Secundus, Maternus. Aper saeculi sui partes tuetur, nec veteres esse dicendos iudicat, quos eorumdem hominum aures agnoscere potuerint. Ciceronem et aequaevos fere in medio positos ab antiquorum adseclis istis accenseri. In iis, qui vocentur antiqui, plures deprehendi species, nec unum esse eloquentiae vultum. Malignitate humana vetera in laude, praesentia in fastidio esse. 19. Cassium Severum, quem terminum antiquitatis constituant, a vetere flexisse via non inscitia, sed iudicio et intellectu; cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque orationis fuisse mutandam. 20. Variis scatuisse veterem eloquentiam vitiis. Auditorum coronam exigere iam laetiorem et pulcriorem orationem et poeticum decorem. 21. 22. Diiudicat dein Aper Calvi, Coelii, Caesaris, Bruti, Asinii, Corvini orationes et carmina et praecipue Ciceronis, cuius laudes canit et vitia reprehendit, quae sola perversis imitatoribus placeant.

23. Veram esse eloquentiae artem, antiquorum laetissima quaeque imitari et a recentibus feliciter reperta miscere.

24. Iam Maternus hortatur Messallam, ut missa laudatione antiquorum, qui illa non indigeant, causas expromat, cur in tantum ab eorum eloquentia recesserit recentior aetas. 25. Messalla monet, quinam antiqui dicendi; plures fuisse dicendi formas iisdem saeculis; docet, quid sentiendum de eloquentia Calvi et ceterorum, de quibus mox dictum; addit, quod se obtrectarint invicem, vitium esse non oratorum, sed hominum. 26. C. Gracchi impetum et L. Crassi maturitatem praeferendam esse calamistris Maecenatis aut tinnitibus Gallionis. Cassium Severum parum habere sanguinis et rixare magis quam pugnare, nec adtulisse Aprum, quem Ciceroni vel Caesari opponeret. 27. — 29. Petente Materno, ad explicandas causas transit Messalla, cur eloquentia ceteraeque artes a vetere gloria desciverint, desidiam iuventutis, negligentiam parentum, inscientiam praecipientium et oblivionem moris antiqui. Ostendit, apud antiquos severam et sanctam fuisse liberorum educationem; apud recentiores ad histrionalem favorem deflexisse et rhetores. 30. — 32. Ex ingenuarum artium scientia et varia eruditione exundasse antiquam eloquentiam, quod Ciceronis exemplo pateat; illarum contemptum primam esse corruptae eloquentiae causam. 33. — 35. Tum iuvenes olim, domestica disciplina imbutos, deductos esse ad oratores principes, quos sectati pugnare quasi in proelio didicerint: postea in scholas rhetorum transisse, ubi nihil discatur, nisi quod usum non habeat.

[Hic mutilus est Messallae sermo, fortasse et periit Iulii Secundi; sequitur Materni oratio, capite trunca. Lacunam hanc complere nisus est Broterius. In iis, quae supersunt] 36. tradit Maternus: perturbatione olim et licentia, factionibus procerum et adsiduis senatus adversus plebem certaminibus eloquentiam viguisse; 37. neque quemquam magnam potentiam sine eloquentia consequutum: Demosthenis hoc et Ciceronis exemplo comprobari. 38. Primum Cn. Pompeium eloquentiae adstringendo nocuisse eique veluti frenos imposuisse; tum 39. paenulas, quibus adstricti et quasi inclusi cum iudicibus fabulentur oratores, itemque impedimenta a iudicibus orta, debilitare eloquentiam. praeterea res velut in solitudine agi, quum oratori olim clamor plaususque addiderint animum. 40. Eloquentiam esse alumnam licentiae, contumacem, temerariam, adrogantem, nec in civitatibus bene constitutis oriri posse, quod exempla variarum gentium ostendant; 41. minorem esse obscurioremque gloriam inter bonos mores et in obsequium regentis paratos; bono sui saeculi cuique fruendum. 42. Disceditur. Habitus est dialogus

FLAVIO VESPASIANO AUG. VI. TITO VESPASIANO CAES. IV. COSS.

I. Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, quum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloria-

COMMENTARIUS.

Libri huius inscriptionem exhibuimus, qualem offerunt codices Neapol. (in quo scriptum est: *C. Cornel. Taciti dialogus de oratoribus foeliciter incipit*) Vaticc. 1518. 1862. et 4498., quamque recentissimi edd. inde a Broterio et Dronk. Osann. Orell. [I. Bekker.] probarunt. Multifariam transformata est ea in edd. prioribus; edd. Spir. et Micyll.: *Cornelii taciti equitis Romani dialogus de oratoribus claris;* edd. Put. Beroald. Riv. Iunt. Alc. Rhen. Ald.: *Cornelii Taciti equitis* [*aequitis* Put.] *Romani dialogus an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant.* Posteaquam de Tacito dialogi auctore coeptum est dubitari, Lipsius inscriptionem finxit hanc: *Fabii Quintiliani, ut videtur, dialogus an sui saeculi oratores antiquis et quare concedant, Corn. Tacito vulgo* (ed. Antverp. a. 1574. *falso*) *inscriptus,* quam servabant Pichena, Gruter. Bernegger. Ryckius; corruperunt etiam magis Gronovii in hanc formam: *de oratoribus sive de causis corruptae eloquentiae dialogus, qui ab aliis Corn. Tacito, a quibusdam M. Fabio Quintiliano tribuitur;* Bipont.: *de oratoribus dialogus an sui seculi oratores antiquis et quare concedant, in MSS. Tacito adscriptus, sed incerti auctoris;* Schulzius denique: *dialogus de oratoribus sive de caussis corruptae eloquentiae vulgo Tacito inscriptus.* Argumentum ipsum, quode disputatum est in dialogo, si spectaverimus, non satis accommodatam esse codd. inscriptionem apparebit. Oratorum enim enumeratio exspectatur ac censura, vel disputatio Ciceronianae de egregio et omnibus numeris absoluto oratore haud dissimilis. Neque cadit in argumentum ea inscriptio, quam Quintiliano debemus, *de causis corruptae eloquentiae* [quod quomodo intelligendum sit explicuerunt Spalding. ad Quint. Inst. or. 2, 4, 9. et Zumpt. vol. V. p. 420.], cum inquiratur potius in discriminis, quod inter veteres et recentiores oratores intercedat, causas.

Cap. 1. *Iuste Fabi.* Hunc virum, ad quem dialogus missus est, eundem esse ac Fabium Iustum, Plinio minori amicum familiarem, ad quem is epist. 1, 11. et 7, 2. dedit cuiusque mentionem fecit Epist. 1, 5., recte colligi potest ex intima Cornelii Taciti cum eodem Plinio familiaritate (Epist. 7, 20. 9, 23.). Gentis nomen cognomini postpositum esse interdum, multis docuerunt exemplis adlatis Manut. ad Cicer. epist. ad div. 2, 8. Ruhnken. ad Vellei. p. 155. aliique apud Obbarium ad Horat. Epist. 1, 10. p. 6.

quum priora saecula. *Saecula* quae sint, vide apud Walch. ad Agric. c. 3. p. 121. [*quum* omisit cod. Farnes. teste Bekkero.].

oratorum ingeniis gloriaque floruerint. Sic scripsi e cod. Neapol. [idem e Farn. libro recepit I. Bekker.]; edd. reliquae omnes consentiunt in verbo composito *effloruerint,* quo non opus est. — *ingeniis gloriaque* spectat ad eam ἓν διὰ δυοῖν figurae speciem, ubi alterum substantivum genitivi partes sustinet, illustratum illud a Rothio p. 28. et Walchio ad Agric. c. 46. p. 431. Eodem pertinet, quod c. 38. legitur, *de severitate ac disciplina morum,* quocum cf. Germ. c. 25, 3. *disciplina et severitate,* Hirt. bell. Alex. c. 48. *militarem disciplinam et severitatem,* et dial. infra c. 29. *severitate disciplinae.*

que floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. Cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum sit, si idem adsequi non possumus, aut de iudiciis, si nolu-

deserta et laude eloquentiae orbata. Ita MSS. [Farnes. t. Bekker.] Neap. Vaticc. et edd. Broter. Ernest. (cui typotheta non obsequutus est), Schulz. Dronk. Osann. I. Bekker. — *eloquentiae* cum edd. ante Broter. omnibus eiecerunt F. A. Wolfius (in Commentar. societ. philol. Lipsiens. cur. Chr. D. Beck. Vol. I. part. I. p. 77.), Oberlin. Seebod. et Orellius, putantes illi, Vaticann. librorum (de reliquis nihil innotuerat) additamentum ut alias quoque glossam sapere. Sed quia Neap. cod. accedit auctoritas [summaque Farnesiani], nequit id sperni, praesertim quum initio libelli accuratior illa laudis significatio flagitetur necessario. *Deserta* est aetas, Wolf. inquit, comparatis multorum olim oratorum ingeniis. Male vero huic loco consuluisse putandi sunt, qui coniecturas tentabant, velut I. Fr. Gronov.: *defecta ea laude et orbata;* Schurzfleisch. in Act. literar. p. 126.: *aetas diserta, at laude orbata;* Heumann.: *disertae laude orbata*, qui in verborum contextu posuit: *aetas pristina laude orbata;* Broter.: *diserta* (non *diserti*, ut Seebod. adfert), *at laude eloquentiae orbata;* Seebod. denique *deserta* delens: *eloquentia l. orb.* vel: *diserta, at laude eloqu. orbata* cum Broterio.

appellamus. Ita edd. Put. V. Riv. Ber. Iunt. Alc. Rhen. Ald. sqq. omnes — *appellemus* MSS. [Farn.] Neapol. Vaticc. edd. Spir. Dronk., probante Seebodio, quam scripturam non eo refutavit Osannus, quod „ex mente Fabii dicta haec esse non possunt propter seq. *vocantur.*" Immo *enim* particula obstat, quo minus codd. sequamur, nam sententia haec est: recte quaeris, cur aetas nostra vix *nomen ipsum oratoris* retineat, nam oratores appellari non solent, nisi antiqui.

causidici et advocati et patroni. Causidicorum nomen cum contemptu usurpatum esse, docent Cicer. de orat. 1, 46, 202. aliaque apud Spalding. ad Quint. Inst. or. 12, 1, 25., quibus adde Burmann. ad Ovid. Amor. 1, 13, 21. Ita enim nominabantur abiecti isti homines et viles, quos honestiore vocabulo *patronos* nuncupabant. *Advocati,* quo nomine Ciceronis aetate signabantur amici, qui in iudicio in subselliis litigantium sedebant honoris causa (cf. Ernest. Clav. Cic. h. v. et Spalding. ad Quint. Inst. or. 5, 6, 6.), Quintiliani aetate vocabantur patroni et causidici, omnino ii, qui causam orabant. Cf. Spalding. ad Quint. Inst. or. 4, 1, 7. Plin. Epist. 7, 22, 2.; 6, 33, 3. al.

percontationi. Sic edd. Spir. Put. V. Riv. (errat autem Schurzfleisch. *percunctationi* in ea legi adfirmans) Lips. Pith. et edd. recentt. praeter Seebod., qui reliquarum edd. *percunctationi* servavit. [Cf. Kritz. ad Sallust. Catil. c. 40, 2. Goerenz. ad Cicer. Acad. I. p. 2.]

male existimandum sit, si idem etc. MSS. Neapol. [Farnes. apud Bekker.] edd. Spir. Put. Ven. Riv. Beroald. Iunt. Rhenan. Alc. Ald.

mus, vix hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi.

Pithoe. omittunt *sit*, quod probarunt Schurzfleisch. et Broter., neque tamen hic in textum recipere ausus est. In ea vett. librorum scriptura deesse aliquid quum perspiceret Lipsius, e Farnes. cod., sic dicit, interposuit *sit*, qua in emendatione acquieverunt edd. sqq. fere omnes, novissimae quoque Broter. Ernest. Schulz. Bipont. Oberl. Dronk. Orellius. Neutiquam eo nomine reprehendendi sunt, quum propter sq. *si* facilis sit calami lapsus, et totius loci ea sit natura, ut verba non solius scriptoris iudicium contineant, sed universam sententiam. Quare nolim praeferri, quod e cod. Romano sive potius edit. Roman. (cf. Prolegomena) in medium protulit idem Lipsius: *male existimandum habeam*, *si* etc., quae quidem scriptura non solum Acidalio veri similior visa, verum etiam, Oudendorp. ad Frontin. p. 51. et F. A. Wolfio l. l. auctoribus, in Osanni et Im. Bekkeri exemplaribus posita est. Dicendi genus non improbo, nam non solum Tacito *habere* verbum iungitur cum participio futur. pass., velut dial. c. 31. et 37. *dicendum habere*, cap. 36. *respondendum habere* et Ann. 4, 40. 14, 44., quos locos Langius citavit, et Hist. 1, 15. 4, 77., sed etiam Plinius frequentat eam structuram aliique aequales, ut Panegyr. c. 15, 4. Epist. 1, 7, 6. ubi cf. Gierig.; 8, 12. 8. 13, 2; 9, 9, 5.

si mihi mea sententia proferenda. Hanc scripturam firmant codd. Neap. Vaticc. et edd. Spir. Put. V. Riv. Beroald. Iunt. Alc., ex quibus *mihi* pronomen, in edd. Rhenan. Ald. Lips. Pithoe. sqq. omissum, restituerunt Broterius omnesque edd. sqq., uno excepto Schulzio. Nescio, quid melius insit verbis a Schurzfleisch. transpositis *si mea mihi sent. prof.*

ac non disertissimorum, ut nostr. temporibus, hominum. ut, omissum in edd. antiquis omnibus, e cod. Farnes. inserendum curavit Lipsius, quem sequuntur plerique praeter Schurzfleisch. Tyrwhitt. Dronk. Osannum et Seebod., qui uncis inclusit. Sed non bene illi, quia eius particulae adiectio magnopere commendatur totius dialogi argumento. Repetam enim, dicit, hominum eorum sermones, qui antiquis temporibus, vel ut Ciceronis, disertissimorum nomine vix digni visi essent, at vero his temporibus, ubi eloquentia pessum data est, tali nomine haud iniuste insigniuntur. Dicendi usum eundem habes Germ. c. 30. *multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae*, similisque limitatio sive restrictio est apud Cicer. de senect. c. 4, 12. de orat. 2, 1, 2. epist. ad div. 12, 2. Nepot. Epamin. c. 5, 2. Plin. Epist. 9, 12. Cf. Interpr. ad Liv. 10, 43, 15. Quae contra haec dicit Dronk., ea nihili sunt; nam, si verum est, quod contendit, ut est, hac voce contemptum addi, tanquam homines pro sua conditione melius agere non possint, id ipsum cadit in horum conditionem aperte. *Ac* deleri iusserat Heumannus, sed vide Hand. Tursell. I. p. 474. — Pro *repetendus* in ed. Spir. expressum est *repetiendus.*

iuvenis admodum. Si sumimus, Taciti annum natalem nec ultra annum ab U. C. DCCCV. reiici nec ultra annum DCCCVII. proferri posse (cf. praef. Tom. I. p. VI. sq. Walch. ad Agric. c. 3. p. 129. et Pabst. Eclog. Tacit. p. XVI.), egit is, quum dialogus haberetur, vitae annum vel primum et vicesimum vel tertium et vicesimum. Id ac-

Ita non ingenio, sed memoria ac recordatione opus est, ut, quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas adferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, iisdem nunc numeris

tatis agentes *admodum iuvenes* vocatos fuisse, neutiquam dubitari potest. Cf. Dodwell. Annal. Quint. §. III. p. 1120. Burm. [Duker. ad Flor. 2, 6, 10. Beier. ad Cic. de offic. 2, 13, 47. Vol. II. p. 91. et Hand. Tursellin. Vol. I. p. 171.]. Similiter An. 1, 3. *admodum adolescentem*, 4, 3. *admodum infantem*; Hist. 2, 78. *iuveni admodum Vespasiano*, 4, 5. *iuvenis admodum*; Agric. c. 7. *admodum iuvene Domitiano*.

quum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas adferrent. Non est, cur in his verbis, quae sine ulla scripturae discrepantia adferuntur, offendaris. Diversas causas refer ad Messallae sermonem corruptae eloquentiae causas ex corruptis moribus et depravata educationis ratione petentem, itemque ad Maternum, qui ob temporum quietem eloquentiam obmutuisse contendit. Easdem causas proferentem finxerim mihi Secundum, cuius sermo in omnibus libris intercidit. Quidni fieri potest, ut duo in re consentiant, sed diverso eam exponant iudicio? Ad sententiam conferendus est Plin. Epist. 1, 20, 12. *varia sunt hominum iudicia, variae voluntates: inde qui eandem causam simul audierunt, saepe diversum, interdum idem, sed ex diversis animi motibus sentiunt.* Sic demum dissolventur Lipsii dubitationes de scripturae veritate, qui cum secum pugnare sententiam intellexisse sibi visus esset, verba *vel easdem* expunxit, adsentiente ei Mureto. Alia via ingressus est Acidalius, cui mutandum videbatur: *diversas, sed easdem* (sive *eas*) *valde probabiles*; Heumann.: *diversas nec eas improbabiles;* Orellius denique ob frequentem homonymorum apud nostrum coniunctionem putat fuisse *diversas nec easdem*, quam elegantiam nemo feret. Transpositione locum emendarunt duumviri doctissimi, Lud. Doederlein. in Museo Rhenano Vol. III. P. I. p. 16—19. (in ed. Orell. p. 98. sq.) suadet: *quum singuli diversas, sed probabiles causas afferrent, vel easdem, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet*, eandemque concedit esse verborum sententiam, quam nos exposuimus supra; et Moserus in Annal. Heidelberg. a. 1831. p. 298. sqq. *quum singuli vel easdem vel diversas sed probabiles causas afferrent.* Praeplacet sane prior, sed necessitatem eius non agnosco. Praeterea Heumannum coniecisse: *cum singuli — afferentes formam sui quisque et animi et ingenii redderet*, verbo monuisse sufficiet.

iisdem nunc numeris iisdemque rationibus. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] edd. Lips. posteriores eumque sqq. Heumann. Brot. Seebod. Dronk. (in textu) I. Bekker. — *iisdem rationibus* Ernest. Schulz. Bipont. Oberlin. Lünemann., quod ferri posse non nego, sed obstat librorum antiquorum auctoritas. — *iisdemque orationibus* edd. Spir. Put. Ven. Riv. Beroald. Iunt. Alc. Rhen. Ald. Pithoe. et Lips. (ed. Antverp. a. 1574.) nuper Osann. Orell. probante in adnotatione Dronkio. *orationibus*, (saepe a librariis confusum cum *rationibus*, ut apud Cicer. de orat. 1, 4, 14.) reiicies, antecedentia si comparare volueris, in quibus ut respondent sibi *dicta graviter* et *iisdem numeris repetita*, ita ad *excogitata subtiliter* referendum esse *iisdem rationibus*

iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis. neque enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata et inrisa vetustate nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.

II. Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tanquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset eaque de re per urbem fre-

nemo non videt. Sagaciter hoc perspexit V. D. in supplem. ephem. lit. Hal. a. 1829. nr. 121., quem non refutavit Orell. proleg. p. LIV. eo, quod *orationibus* significare: eodem genere dicendi, *in demselben Rhythmus u. Stil*, adfirmat. *Numeros* intellige eandem orationis membrorum structuram et copulationem; tum supervacaneum est, quod Hofmann. Peerlkamp. in biblioth. crit. nov. V, 1. p. 115. pro *numeris* scribendum censuit, *argumentis*. Is enim non reputasse videtur, quanta cum cura veteres dialogorum scriptores in uniuscuiusque, quem loquentem faciunt, ingenio ac indole exprimenda versati sint.

persequar. MS. Neap. *prosequar*, frequenti confusione.

servato ordine disputationis. Noli referre hanc scriptoris diligentiam cum Schulzio ad servatam formam dialogicam, sed potius ad seriem eam, qua disputantes sese exceperant. Similiter Plin. Epist. 1, 1.: *collegi* sc. epistolas, *non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat.*

Cap. 2. *Curiatius Maternus*. Ita nomen exhibetur in codd. Farnes. (teste Lips.; falso inde Broter. adfert *Curatius*, posterioribus Lipsii editionibus non minus, quam alia in re Osannus, deceptus) Neap. Vaticc. edd. post Lipsium Pithoe. Schurzfleisch, Heumann. et recentt. — Lipsius in edd. post Antverp. a. 1574. vulgatis *curatius* coniecit legendum, quod sit An. 14, 21. *ludos curatius editos*, et 2, 27. *curatius disseram*, et 1, 13. *curatissimis precibus exstat.* Sed nunc omnino non id agit scriptor, ut, quanta cum cura Maternus Catonem recitaverit, exponat; immo necessitate quadam postulatur, ut nomen eius, cui insignes in dialogo partes tribuuntur, ab initio libelli accurate indicetur. Quapropter reiicienda quoque est edd. antiqu. ante Lips. scriptura *accuratius*, quam Bernegger. Gronov. Lipsius aliique retinuerunt in textu ac defendit Klossmann. Quod inde finxit Osannus *A. Curiatius Maternus*, et quia de praenomine certi aliquid nunc adferri nequit, et quia codd. adversantur omnes, reiiciendum est. Maternus, tragoediarum scriptor, idem est fortasse ac qui commemoratur ab Martial. l. 10. epigr. 37., quemque Domitianus, ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν, ἀπέκτεινε, uti Dio Cass. 67, 12. narrat. Recitaverat vero is Catonem tragoediam, uti mos ferebat illorum temporum (cf. Gierig. in Plin. epist. vol. II. p. 540.); eodemque ab poeta profectae sunt Domitius et Nero tragoediae. Petivit igitur is ex historia Romana fabularum argumenta; cuius generis sunt Pacuvii *Paullus*, L. Attii *Brutus*, laudatus Varroni L. L. 4, 14. et Cicer. de divin. 1, 22., et *Decius*, et quae una in nostras pervenit ma-

quens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri: quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar, mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem. quamvis maligne plerique opinarentur, nec Secundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. Nam et Secundo purus et pressus et, in quantum satis erat, pro-

nus, *Octavia*, ab aliis Senecae, ab aliis huic Materno temere adscripta. Vide A. Lang. Vindic. tragoed. Roman. p. 14.

sermo haberetur. MS. Neap. *habetur* [idem in cod. Farn. esse Bekkerus testatur]. In seqq. *utrosque* de duobus dictum explanavit uberrime Kritz. ad Sallust. Cat. c. 30, 4.

adsectabar. Ed. Alc. *affectabar.* Angustioribus finibus huius verbi usum Ernest. Clav. Cicer. h. v. circumscripsit; eos enim contendit *adsectari aliquem*, qui eum honoris et gratiae causa in comitia, curiam, forum domumque deducant; sed intelliguntur omnino, qui cum aliquo adsidui sunt. — Ad sqq. *mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili* cf. Agric. c. 4.: *se in prima iuventa studium philosophiae acrius ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset.*

arcana semotae dictionis. Heumanni coniecturam temerariam *arcanas dictiones* nemo probavit. Uti *fabulas* recte explicueris confabulationes de rebus vitae communis institutas, quem vocab. significatum docuit G. H. Schaefer. ad Plin. Epist. 1, 13, 2., ita *arcana semotae dictionis* eos intellexerim sermones, qui ab amicis familiaribus de rebus gravissimis, de quibus publice dicere non licet per principem, habentur. Tales sermones sub imperatoribus frequenter habitos esse colligere in promptu est.

purus et pressus. purus sermo est latinus, cui nihil peregrini vel barbari admixtum est; *pressus* apud Ciceronem saepe opponitur orationi luxuriosae. cf. Herzog. ad Quint. libr. X. p. 131.

in quantum satis erat. in quem edd. Spir. Put. Ven. Riv. Beroald. Iunt. Alc. Ald. Rhen., quod ferri nequit; quare recte reposuisse putandi sunt Rhenan. Lips. sqq. Pithoe. Schurzfleisch. Heumann. Broter. et omnes sequentes: *in quantum satis erat*, quod in MS. Neapol. est. Sed fuerunt nonnulli, qui de dictionis latinitate dubitarent; contra quos non C. Barthius solum et C. Scioppius apud Schurzfleisch. l. l. p. 128. disputarunt, verum etiam Burmannus ad Quint. Inst. or. 2, 10, 4. Ruhnken. ad Velleium 1, 9, 3. Rupert. ad Iuven. 14. (non 16., ut apud Dronk. est) v. 318. et Spalding. ad Quint. l. l. hanc structuram defenderunt. Pauca adponam exempla. Cf. infra c. 21. *in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecit*, c. 41. *credite optimi et, in quantum opus est, disertissimi*

fluens sermo non defuit: et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tanquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur.

III. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum et, quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem deprehendimus.

viri; Tacit. Germ. c. 45. *cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant;* Vellei. 2, 43. *viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest,* id. 2, 114. *quem in quantum quisque aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit;* Seneca de benef. 2, 23. *in tantum producenda —, in quantum delectatura est.* Neque Virgilio, Ovidio, Livio aliisque inusitata est haec dicendi ratio.

et Aper omni eruditione imbutus. Sic exhibent [Farn. teste Bekkero] Neapol. et Vatic. 4498. idemque correxerat Acidalius, receperunt Schurzfleisch. Dronk. Osann. Orell. [I. Bekker. Boett.]. Rectissime, quantumvis latinitatem huius lectionis V. D. in suppl. eph. lit. Hal. a. 1829. nr. 121. impugnet. cf. Cic. Brut. c. 56, 205. *Varro . . . vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus litteris explicavit.* — In MSS. Vaticc. 1862. 1518. et edd. antiquis usque ad Rhenan. est *cum eruditione,* quod quum ineptum sit, in eius locum successit Rhenani emendatio *communi eruditione imb.,* in edd. ad recentissima usque tempora vulgatis posita. Quod ferri posset, nam *communis eruditio* h. e. ea, quam vulgo consequi student homines ingenui et liberaliter educati, dicitur a Cicer. de orat. 2, 17, 72. *omnium ceterarum rerum oratio — ludus est homini non hebeti neque inexercitato, neque communium litterarum et politioris humanitatis experti.* Sed praeferenda est codd. scriptura, quae firmatur seqq.: *nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur;* ita ut Aper cogitandus sit is, qui, quamvis eruditionis copia instructus, maluerit tamen eam adspernari ingenioque inniti solo. Nihili vero est Heinsii correctio, qui *comi eruditione* scriptum fuisse a Tacito opinabatur; neque Seebod. audiendus, qui *cum* praepositionem uncis inclusit eamque, utpote ab inepto scriba profectam, deleri vult. Ceterum *communis* et *omnis* saepe confusa legi, uberrime docuit P. Wesseling. Observv. I, 18.

contemnebat potius litteras quam nesciebat. Ad comparationem adpositum est Ciceronis de Crasso et Antonio iudicium de orat. 2, 1, 4.: *sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et nostrorum hominum in omni genere prudentiam anteferre: Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur.* — Pro *quam nesciebat* in ed. Iunt. exstat *quae nesciebat.*

Cap. 3. *sedentem ipsum et, quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem.* Codd. MSS.

Tum Secundus: Nihilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis

Farn. (?) Neap. Vatt. edd. antiquae omnes omittunt ante *quem* particulam *et*, quam primus Lipsius, ut ipse profitetur, ex cod. Romano interseruit, subscribentibus edd. omnibus, una excepta Osanni, cui non opus videtur copula. Sed exigit eam latini sermonis usus, eaque interposita augetur totius enuntiati concinnitas. Quem pro sua sententia Osannus adtulit locum Livianum 21, 25.: *ibi inexplorato profectus, in insidias praecipitatus, multaque cum caede suorum aegre in apertos campos emersit*, eum non aptum esse neminem fugit. In eandem lectionem inciderat Seebod. (a. 1813.), sed mutavit eam postea sic, ut *sedentem, et ipsum, quem* etc. in textu poneret. — *Libri* vocabulum uti h. l. de Materni tragoedia usurpatur, ita dicitur quoque de oratione, velut infra cap. 21. et 38. Plin. Epist. 3, 13, 1. 18, 4. 1, 2, 1. 2, 19, 7. 5, 20, 2.; de rescriptis ac decretis principum Plin. Epist. 5, 14, 8. Panegyr. c. 75. cf. Spalding. ad Quint. 5, 10, 98., sed eundem virum doctissimum ad Quint. 1, 10, 18. „de fabularum scriptore, dicentem, quis *libros* usurpat?" nostro loco refutari patet. *Intra manus habentem* in omnibus, quod sciam, libris expressum est; sed insolita hac dictione offensi sunt haud pauci, ita ut Cuiacius, cuius verba Orellius adscripsit, et Seebod. emendaverint *inter manus hab.*, quod legimus apud Tacit. An. 3, 16. *visum inter manus Pisonis libellum;* Plin. Epist. 2, 5, 2. *nihil enim adhuc inter manus habui*, ibid. 5, 5, 7. *quae inter manus habes.* Osannus vero praetulit *in manibus hab.*, de qua locutione Gernhard. dixit ad Cic. de senect. c. 11, 38. — *Deprehendimus* denique significat Maternum inopinato oppressum et captum, ut Quint. Inst. or. 12, 2, 14. *parva quaedam animalia, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur.* Vide Gesnerum ad Plin. Epist. 8, 14, 3.

Nihilne te. Sic e MSS. Neap. [et Farn. teste Bekker.] scripsimus, cum in edd. omnibus exstet *nilne te* [praeter novissimas Bekkeri et Boett., qui Farnes. libro obsequuti sunt]. Heumanni aures acutiores scilicet *nilne* non ferebant, quapropter is *nil te* corrigebat, refutatus a Wopkensio Observv. misc. Vol. VII, 3. p. 383.

offensas Catonis tui ames. Edd. ante Lipsium consentiunt in corrupta scriptura *aures*, quam ingeniose, ex Farnesiano, ut videtur, Neapolitano cod. addicente, Lipsius transformavit in *ames*, receptum illud ab omnibus fere edd. Nec quicquam aptius excogitari potuit, si quidem hac voce amor designatur, quo scriptores sui ingenii monumenta amplectuntur. Sic apud Ovid. Trist. 4, 1, 29. *Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa sororum: Et carmen demens, carmine laesus, amo;* ibid. v. 35. *nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli*, et similiter idem poeta Trist. 4, 4, 21. *ut non debuerim, tamen hoc ego crimen amabo.* Futilis vero est Dronkii coniectura *cures*, quam vel in textum recipi ille vult. Non perspexit, sententiam inde oriri huic loco plane contrariam, quia Maternum illas fabulas malignorum contemnere easque nihil curare aperte dictum est. Ut igitur curaret ex Dronkii mente, fabulae istae eum terrere debebant. Rhenanus coniecit: *offendas* vel *offenses Catonis tui aures;* Nic. Heinsius: *offensas Catonis tui averseris* vel *aversere;* Salinerius ad servatam edd. antiquarum scripturam *recolas* supplendum censet, quod contortum est.

tui ames? an ideo librum istum adprehendisti, ut diligentius retractares, et sublatis, si qua pravae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem, sed tamen securiorem?

Tum ille, Leges quid Maternus sibi debuerit, et

adprehendisti. Sic e MSS. Neapol. et Farnes. (teste Lipsio) scribendum esse puto, in idem inciderat aliquando Rhenanus, receperunt Lipsius, Bernegger. Gronov. Broter. Ernest. Oberl. Bipont. Orell. [Im. Bekk. Boett.] — *deprehendisti*, quod exhibent edd. antiquae et nuper Seebod. Dronk. et Osann. minus placet, tum quia idem verbum alio significatu praecessit, tum quia rarior eius usus est pro *arripere, adprehendere.* Eandem ob causam improbo, quod Lipsius, Modius Novantiq. lect. ep.15., Pithoeus, Schulzius [et Rup.] praetulerunt, *reprehendisti*, etiamsi id verbum usurpatum esse a veteribus pro graeco *ἀναλάβειν* non negem. Adseruerunt id interpr. Terent. Adelph. 4, 4, 14. Heins. ad Ovid. Metam. 5, 525. 13, 235. Non opus vero coniecturis Heumann.: *perlustrasti*, Schurzfleisch.: *isthuncce librum prehendisti.*

si qua pravae interpretationi materiam dederunt. Hac egregia MS. Neapol. scriptura tolli omnes h. l. difficultates audacter contendo, quare eam in textum recepi. [Idem fide Farn. cod. ab I. Bekk. et Boett. factum est.] Corrupta autem sunt haec verba in edd. fere omnibus: *si quae pravam interpretandi materiam ded.*, quae hypallage pedestri orationi fere insolita reddidit suspecta, ita ut iam Wopkens. in Misc. Observv. VII, 3. p. 381. in margine exemplaris sui notatam MS. scripturam: *si quae prave interpr. mater. deder.* praeferret eamque veram esse et Dronkio in ephem. scholast. a. 1829. p. 772. et Orellio et Mosero in Annal. Heidelb. l. l. persuaderet. Sed nondum sustulerunt ii vitium per tria saecula propagatum, ab Osanno tandem [et Rup.] indagatum, dico illud *si quae*, quod ut in *si qua* corrigeretur, non solum Tacitius dicendi usus postulat, sed omnium etiam scriptorum; sic paullo post: *quod si qua omisit*, et c. 42. *si qua .... tibi visa sunt*, An. 1, 32. *si qua alia .... indixerat*, ib. c. 35. *si qua alia ... quaeruntur* et sexcentis locis, quos si adscriberem, ne taedium moverem lectori vererer. *sublatiis iis, quae pravam* etc. scripsit in altera edit. Seebod.

leges quid Maternus sibi debuerit. Sic MSS. Farnes. Neapol. Vaticc. 1862. 4498. et 1418. (nisi quod in tribus hisce post *leges* additum est *tu*, in tertio pro *quid* facili errore scriptum est *quod* [receptum id a Rupert.]). — *leges: tu quidem Maternus sibi debueris* ed. Spir. — *leges tu quidem si volueris* edd. Put. Ven. Riv. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. eumque sqq. Pithoeus, Heumann. Broter. Bipont. Schulz. aliique. Librorum veterum scripturam primus restituit Oberlin., eumque sequuntur Lamallius, Seebodius (a. 1813.), Osannus, Dronk. (qui cum Oberlino et Vatt. codd. interseruit *tu*, quo pronomine bene carere possumus) Orell. [I. Bekkerus et Boett.] Recte ii quidem. Cogita tibi Maternum indignantem amicos expostulantes ipsum, ut, quae liberius et in tyrannorum offensionem exposuisset in Catone fabula, tolleret in principis et potentium gratiam; leges, sic loquitur ad Secundum, Catonem emendatum quidem et purgatum iis, quae indigna videri poterunt nomine meo (id enim mihi meaeque gloriae debeo), sed co-

agnosces, quae audisti. quod si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi. atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.

gnosces quoque, eorum, quae in priore recitatione audivisti quaeque offenderunt nonnullos, nihil mutatum esse. Muretus malebat: *leges tu quidem, si volueris, et agnosces, quid Maternus sibi debuerit*, deletis istis *quae audisti;* Seebod. in edit. altera probante Mosero: *leges tu quidem, quid Maternus sibi debuerit.* Praeterea corrigendus est Schulzii error, qui scripturam a nobis receptam ab Acidalio fuisse probatam tradit; scilicet non intellexit Acidalii verba: „vulgatam (i. e. Puteol. sqq. scripturam) retineo et tueor, quicquid liber scriptus mutet."

omisit. MS. Neap. *misit* [ut cod. Farn. apud Bekker.].

sequenti recitatione Thyestes dicet. recitatione exhibent MSS. [Farnes. t. Bekk.] Neapol. et Vaticc., idemque ex coniectura correxerat Lipsius in edd. posterioribus, quem sequuntur Heumann. Broter. Ernest. Schulz. Oberlin. Bip. Seeb. (ed. alt.) Dronk. Osann. Orell. [I. Bekk. Boett. Rup.] — *tractatione* in edd. antiquis omnibus, Lipsiana prima, Pithoe. Gronov. Bernegg. sqq. et Seeb. priore scriptum est; sed reiiciendum id, quia *tractatione sequenti dicere* vix dici potest. Nil aptius, quam quod codd. praebent; *pridie recitaverat Catonem* Maternus, ut supra est narratum, idem, ut cap. 11. ipse profitetur, *recitatione tragoediarum ingredi famam* auspicatus est. *actione* Acidalii est coniectura. — Residet praeterea in his verbis aliud vitium, cui removendo manus admovit Hofmann. Peerlkamp. in biblioth. crit. nov. l. l. p. 116. sqq. Offendit eum magnopere commemoratio Thyestis, quem, utpote tyrannum, qui non contentus sua imperii parte, partem quoque Atrei fratris corripere studuerit, vix loquentem inducere potuerit Maternus et quidem ea, quae Cato omiserit, solitus ille de libertate contra tyrannidem dicere. Nec concedit idem, eas partes vel choro adtributas fuisse, vel Thyestem fictum esse a poeta exsecrantem tyrannidem, malorum suorum causam. Praeterea quum constet (cf. not. ad c. 12.) Thyestem praeclarissimam fuisse Varii fabulam, eademque una cum Ovidii Medea commemoretur adsiduo studio ab Materno tractata, colligit iam Hofmann., non a Materno Thyestem esse compositam, eiusque loco fabulam inducendam, quae item postea sit commemorata, *Domitium;* a quo nomine librariorum oculos aberrasse ad *Thyestem.* Domitium vero et Catonem, sic pergit, optime coniungi ob odium Caesaris, quod cognoscitur ex narratione Sueton. Neron. c 2. Est vero L. Domitius Aenobarbus, cuius laudes cecinit Lucan. Pharsal. 2, 479. 7, 600. Haec ab Hofmann. Peerlk. excogitata sagaciter esse adparet, sed tamen eam emendationem quo minus in verborum contextum recipiam, impedit omnium librorum in *Thyestes* scriptura consensus. In antiquis edd. Spir. Put. Riv. Beroald. Alc. Rhenan. *Thiestes* scriptum est, ab Ald. demum *Thyestes.*

maturare libri huius editionem festino. Sic libri omnes; sed quum tautologiam his verbis inesse opinarentur nonnulli, locum corruptum dixerunt. I. Fr. Gronov. Observ. II. c. 24. malebat *gestio*, Heinsius *destino*, quod Schulz.

Adeo te tragoediae istae non satiant, inquit Aper, quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas? quum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix sufficeres, etiamsi non novum tibi ipse nego-

Oberlin. probarunt. neque infrequens est is huius verbi usus, ut Tacit. An. 13, 25. *demovere praefectura destinaret;* Quint. Inst. or. 5, 1, 3. *tradere destinamus;* Plin. Epist. 1, 5. 9. *destinasse Corellium mori;* 3, 5, 20. *scribere destinassem;* 3, 6, 6. *destino enim .... excurrere;* 5, 19, 7. *destinavi eum mittere;* 9, 26. *destino .... provinciam petere.* Sed acquiescas in vulgata, dummodo abiicias tautologiae suspicionem. nam *maturare* est ad perfectionem aut ad finem perducere. *Festinare* cum infinitivo iunctum repperi apud Plin. Epist. 10, 1, 1.: *dii immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula rei publicae, quam susceperas, admovere*, et apud Quint. Inst. or. 9, 4, 146. *finem imponere.... festino.* Cf. Oudend. ad Apulei. Metam. VIII. p. 558. et Ramshorn. gr. p. 706. Boettich. Lex. Tac. Proleg. p. LXLII.

dimissa. Ed. Iunt. *demissa.*

omissis. MSS. Neap. [et Farn.] *obmissis.*

causarum studiis. Hanc Lipsii coniecturam firmat MS. Neapol. [cum Farnes. apud Bekker.]; multa sunt praeterea, quae eam commendent. Apro consilium est Maternum a poematis componendis revocandi ad eloquentiae (*orationum*) studia, ut ita *causis* in foro agendis aliorum civium commodo inservire possit. cf. infra c. 10. *sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco.* *Causarum* receptum est a Pich. Bernegger. Gronov. Heumann. Broter. Ernest. Oberl. Schulz. Seebod. (ed. alt.) et I. Bekkero. — Edd. Spir. Put. Riv. Beroald. Iunt. Alc. Rhen. Ald. exhibent *curarum stud.*, quod tenuerunt Pithoe. Schurzfleisch. Bipont. Seebod. (1813.) Dronk. Osann. Orell. [et Rup.]. *Curas* tum intelligunt alii scriptiones severiores, nugis poeticis oppositas, imprimis sophistarum *μελέτας;* at vero non ad ἐπιδεικτικὸν γένος eloquentiae excitare vult Aper, sed ad *δικανικόν;* alii, ut Osann. et Boetticher. Lex. Tacit. p. 137., de clientelis accipiunt postea memoratis et omnis generis muneribus vel laboribus aliorum commodo suscipiendis. Sed eo significatu quis dixit unquam *curarum studia?* Codicum scriptura recepta adiuvatur magnopere enuntiati perspicuitas. Inutilem I. Fr. Gronovii correctionem *rerum* non est quod refellam.

ecce nunc circa Thyestem. Lusisse videtur Schultingius, cum pro *ecce nunc circa* coniiceret *excetram*, quod convicium in feminas nefarias et maleficas, a Plauto Livioque usurpatum, ad Medeam vult referri. *Thyestem* scripsimus cum antiquis edd., in quibus *Thiestem* expressum est typis; ea enim forma usitatior est, ut An. 2, 4. *Ariobarzanem*, 11, 10. *Erindem*, *Sindem* 6, 33. *Pharasmanem*, ib. c. 34. *Orodem*, 12, 12. *Meherdatem* cet., Cic. nat. deor. 2, 2, 6. *Persem.*

quum te tot amicorum causae. Haec scriptura debetur MS. Neapol. [cuius testimonio suffragatur Farn. cod., ex quo pronomen *te* ab Im. Bekk. et Boett. in textu positum est], in omnibus autem libris *te* omissum est, una excepta Seebod. ed. alt., in qua interpositum est id ex coniectura.

sufficeres. Latinitate postulante exhibuimus hanc editionum

tium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum fabulis adgregares.

IV. Et Maternus, perturbarer hac tua severitate, nisi frequens et adsidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset. nam nec tu agitare et insequi

fere omnium scripturam; sed in codd. Neap. [Farn.] et Vaticc. scriptum est *suffeceris*, quod probatum est ab Dronk. Osann. Orell., quibus id modestius esse videbatur, quam quod vulgo scriptum est. Nescio quo modo id fieri possit. [Bekker. retinuit vulgatam]. Pro *importasses* Acidalio in mentem venerat correctio *imposuisses* vel *imperasses*, quo non opus. cfr. Liv. 24, 22. *discordia civilis quas importet clades*, id. 39, 14. *ne quid eae coniurationes fraudis occultae aut periculi importarent*, quos locos adtulit Gronovius.

Graeculorum fabulis. Sic MSS. Neap. et Vaticc., unde receperunt Osann. et Orellius. Acute enim perspexit ille, Aprum levi aliqua cavillatione haec dixisse, praesertim quum contra maiestatem populi Romani Maternus Graecorum fabulis Romana quoque nomina et historias adgregaret. Nam contemptus significationem, qui deminutivo huic inest, probant Cicer. in Pison. c. 29. Macrob. 2, 4. Iuvenal. 6, 185. Plin. Paneg. c. 13. Flor. 2, 7, 9. 4, 2, 24. Reliquae edd. omnes *Graecorum fabulis* tenent.

adgregares. Sequor hac in lectione fidem codd. Neap. [et Farnes.], quibuscum consentiunt edd. Spir. Put. Beroald. Riv. Iunt. Alc. Rhen. Ald. Lips. Pithoe. et omnes sqq., inter recentt. Seebod. Dronk. et Osann. Sed soloeca structura visa est Pithoeo et Mureto, qui *aggregare* corrigebant, receptum illud a Schulz. Oberlin. Osann. [I. Bekker. et Boettich.] Utrumque ferri potest, nam infinitivi ex *negotium* subst. apti exempla non desunt, sed praefero codd. lectionem. Levis est Heumanni emendatio *aggregans*.

Cap. 4. *Et Maternus.* Heumannus coniiciebat *at Mat.*, verum non adversativa desideratur particula, sed copulativa, quum verba sequentia Materni continuent Apri orationem.

frequens et adsidua. Haec est lectio MS. Neap. [et Farn., unde recepit cum I. Bekker. Boett.], qua grammaticorum praecepta de copulativis particulis firmantur. Vulgo enim scriptum est *freq. ac assidua*, quod, quia *ac* sequenti vocali vel *h* poni ab antiquis scriptoribus certatim negarunt critici, velut Ruhnk. ad Muret. T. I. p. 9., Wolf. ad Sueton. Caes. c. 26. et in Analect. II. p. 288. imprimisque Frotscher. in excurs. V. ad Quint. X. p. 257. (ut paucos adferam de innumerabilibus), ferri non posse opinabantur haud pauci; primus Ernestius *atque adsidua* correxit, qua in re obsequuti sunt illi Lünemann. Dronk. Osann. et Orellius. Sed perperam, quanquam illud praeceptum carere exceptionibus, iam eam ob causam nego, quod in hoc ipso dialogo cap. 39. vulgo scribitur *ac alter*, pro quo in codd. exaratum est *aut alter*, et cap. 40. *ac ullius*, pro quo *aut ullius* scribendum est; tres igitur loci, qui contra praeceptum illud pugnare videntur, in quibusque *ac* servandum putant nonnulli [velut Poppo in ephem. scholast. 1831. II. nr. 131.] ex codicibus corrigi possunt egregie. Transpositionem verborum tentavit V. D. in ephem. lit. Hal. supplem. a. 1829. nr. 121.

poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum obiicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae exerceo. Quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum angustiis,

hanc: *nisi frequens ac prope adsidua nobis contentio iam in consuetudinem vertisset*, qui non reputavit, *prope* mitigandi particula ad *in cons. vert.* omissa rustici aliquid ac putidi huic sententiae inesse; item, tam frequentem esse synonymorum apud Nostrum coniunctionem, ut *prope* cum *adsidua* iuncto bene careamus. Refutavit eum Orell. Proleg. p. LIV. — Pro *contentio* in MSS. Neap. [Farn. apud Bekker.] scriptum est *contemptio;* de significatu vocabuli cf. Ernest. Lex. technol. lat. p. 88. sq.

cui desidiam advocationum obiicis. Sic MSS. Farn. (t. Lipsio) et Neapol. et edd. post Lipsium omnes. — In edd. antiquis exstat *cui desidiam advocamur* omissumque est *obiicis*, unde Rhenanus: *cui desidiae notamur*, Muretus: *qui desii iam advocari* coniecerunt. Osann. de veritate scripturae Lipsianae dubitat melioraque ex codd. exspectat; non ego. Nota plural. abstracti *advocatio*, idem est apud Cic. ep. ad div. 7, 10., uti cap. 6. *comitatus et egressus.* Cf. Roth. quaestion. grammat. e Corn. Tacito p. 5.

defendendae adversus te poeticae. Et haec emendatio e MSS. Farn. et Neap. a Lipsio primum proposita, dein ab omnibus comprobata est. Corruptum autem est, quod edd. antiquae exhibent *defendens adversus te poëtice*, unde Seebodii natae sunt coniecturae: *quotidianum h. patrocinium defendens* (tuens) *adversus te poëticen exerceo*, vel: *quot. h. patrocinium, defendens adversus te poëticen, exerceo*, quarum priorem praeferre vult Dronkius.

omissis forensium causarum angustiis. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekkero] et Vaticc., in idem coniectando inciderant Schelius, Schultingius et Burmann. ad Petron. c. 5. p. 35., recipiendum duxerunt Broter. Ernest. Schulz. Bipont. Oberl. Dronk. Orell. Osann. probante Mosero. Habes *causas forenses* infra cap. 8. Cic. orat. c. 3, 12. In edd. ante Broter. omnibus et in ed. Seebod. priore scriptum est *forensium Musarum*, quod defendebant Lang. in Act. seminar. req. et societ. phil. Lips. vol. I. p. 88. (p. XXVII. ed. Dr.), Hessius in Osanni praef. p. VII., V. D. in suppl. ephem. lit. Hal. 1829. nr. 122. [et Rup.] eo, quod exquisitius aliquid et Materni personae, utpote poetae, accommodatius ei inesse contedebant. Etsi iam concedamus, usum latinum talibus dictionibus non obstare, quamvis duri aliquid et contorti inest in verbis *Musarum angustiae*, praestat haud dubie librorum manu scriptorum lectio. Nihil enim in tali re efficitur locis, quos protulerunt vulgatae defensores, velut Cic. orat. c. 3, 12. *quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquere;* epist. ad div. 1, 9. *nam ab orationibus diiungo me fere referoque ad mansuetiores Musas, quae me maxime, sicut iam a prima adolescentia, delectarunt.* Praetermittimus vero Heinsium, qui pro temeritate sua ne hoc quidem loco a coniecturis abstinuit, *curarum* vel *rixarum* vel *tricarum* proferens in medium. — Pro *omissis* in Neap. cod. exstat *obmissis*, ut supra c. 3., in eodem libro postea pro *satis mihi superque* repertum est *mihi satis superque.*

in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.

V. Ego vero, inquit Secundus, antequam me iudicem Aper recuset, faciam, quod probi et modesti iudices solent, ut in iis cognitionibus excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratia praevalere. quis enim nescit, neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et adsiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum virum, tum ab-

sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam. *Illam* cum MSS. Neap. [Farn. t. Bekker.] et Vaticc. scribendum curavimus [uti Bekk. et Boett.]. — Pro *augustiorem* edd. Spir. et Iunt. exhibent *angustiorem*, cuius erroris patronum exstitisse A. Langium l. l. miraberis mecum. Scilicet eo auctore lusit Tacitus hisce verbis rettulitque hoc ad *angustias*, quibus supra commemoraverat eloquentiam adstrictam esse. *Sanctus* et *augustus* iuncta sunt apud Cic. Tusc. quaest. 5, 13, 37.; Nat. D. 1, 42, 119. *Eleusinam sanctam illam et augustam*; 2, 24, 62. *quem nostri maiores auguste sancteque .. consecraverunt*; 3, 21, 53. *quos auguste omnes sancteque veneramur.*

CAP. 5. *probi et modesti iudices.* Cf. infra c. 29. *nec probitati neque modestiae*, c. 40. *probitate et modestia*; Germ. c. 36. *modestia ac probitas.* MS. Vat. 1862. *moderati iudices.*

ut in iis cognitionibus excusent. Scripsimus *iis*, adsentientibus MSS. Neap. [et Farn. teste Bekkero], quod vel sine librorum testimoniis recipiendum erat, ut receptum est ab Orell. [l. Bekk. et Boett.]. Eandem correctionem saepius adhibebimus in dialogo, cum pluribus locis, ut c. 14. 34. 41., vulgo in libris expressum sit *his.* Noli vero sequi Heumannum, qui *in* praepositionem omisit, ut esset dativus, velut An. 1, 12.; neque MS. Neap., in quo *cogitationibus* reperitur. Deinde retinui MS. Neap. et edd. ad Pithoeum usque omnium lectionem *excusent*, quia non necessario pronomen *se* additum requiritur. Sic Agric. c. 42. *Domitianus paratus simulatione audiit preces excusantis.* Sed post Pithoeum plerique pronomen addiderunt, quod plerumque adiici locis comprobatur plurimis. Tacit. An. 3, 35. *excusante se Lepido*; Plin. Epist. 1, 15, 4. *nisi postea te aliis potius excusaveris*; inscriptio apud Orell. prolegom. p. XLIV. *hic sorte procos. factus Provinciae Asiae se excusavit.*

gratia. Sic in omnibus libris praeter Lips. posteriores, in quibus typothetae, ut videtur, incuria *gratiae* legitur.

adsiduitate contubernii. De contuberniis Romanorum disputavit Gierigius ad Plin. Epist. Vol. II. p. 545. sqq.

Saleium Bassum. Saleius Bassus, poetea egregius (*absolutissimus* enim a Nostro vocatur paullo post), sed pauper (*tenui Saleio* apud Iuvenal. Sat. 7, 80. est), ob recitationes ab Vespasiano donatus est; quem imperatorem praestantes poetas insigni congiario magnaque mercede donasse Sueton. Vespas. c. 18. tradit. Discrepat a Nostro Quintiliani iudicium Inst. or. 10, 1, 90.: *vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum* (alii malunt *maturuit*, ex qui-

solutissimum poetam? porro, si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem.

Securus sit, inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar, Maternum socie-

bus verbis non ita multum laudabilem Quintiliano visum Saleium recte collegeris cum Spaldingio. Quae monere opus est, ne quis decipiatur a Bährio hist. litt. Rom. p. 84. Eundem Wernsdorf. Poet. lat. minor. P. IV. p. 36—48. auctorem fecit carminis panegyrici ad Calpurnium Pisonem, quod a plerisque Lucano adscriptum est, eodem iure, quo eum unum eundemque esse ac tragicum poetam satis obscurum Bassum a Martiale commemoratum (cf. A. Langii Vindic. trag. Rom. p. 9. [non 49.]) contendit G. Iacobus apud Dronk. p. 244.

alius. MSS. Neap. [et Farn. apud Bekk.] *alium.* — Paulo post in edit. Spir. expressum est *gloria infovet.*

ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi. Edd. antiquae omnes: *et ego enim quatenus arbitrium litis huius inveniri non patiar. Maternum solicite plurimum defendi.* Qua in lectione plurima me offendunt; vix enim ferendum videtur, quod ab initio positum est *et ego enim*, quamvis idem a Neapol. cod. praebeatur, servatumque sit a Lipsio, Pithoeo, Bernegger. Gronov. Schuzfleisch. Muret. Dronk. et Osanno. Alii, quibus item displicuit ea particularum collocatio, aut delerunt prorsus aut uncis circumdederunt, ut Orellius, aut denique correxerunt, ut Heinsius in *etenim et ego* vel *te ego enim*; Bipontini: *at ego enim*, ut inserviret particula ista correctioni; Seebodius: *at* vel *et equidem*; Orellius *etenim ego* (cf. eius proleg. p. LII.). Tum languere *quatenus* omni sacramento contendit F. A. Wolfius l. l. p. 78. amplectendamque esse Mureti emendationem *quando te nunc arbitr.*, idque eo magis, quod personae pronomen requiratur. Eidem sententiae favent Heumann., qui *te* omittit, et V. D. in ephem. lit. Hal. suppl. a. 1829. nr. 122. Sed *quatenus* ea aetate frequenter usurpatum esse pro *quoniam, quandoquidem*, loci ostendunt sexcenti. cf. infra cap. 19. Quint. Inst. or. 2, 4, 13. 4, 2, 66. ubi cf. Spalding. et, quem is excitavit, Oudendorp. ad Sueton. Claud. c. 26. Deinde inepta, quae ab antiquis offeruntur exemplaribus, Crotone saniora reddidit Pithoeus, facili is coniectura restituens: *quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar*, quod et Lipsio probatum est in edd. posterioribus et seqq. omnibus. Neque tamen omnibus satisfecisse videtur Pithoeus, si quidem coniecturis abstinere noluerunt nec Lipsius, qui in ed. Antverp. a. 1574. totum locum legi vult: *et ego etenim q. arbitrium litis huius inveniri non patiar? Maternum in societate pl.* etc., nec Schurzfleisch., cui placebat refingere sententiam hanc: *et ego enim, q. arbitrum l. h. invenero, non patiar Maternum soli tibi defendi*, nec Seebod., qui scribendum suadet *quatenus arbitrium litis invenero.* Denique mendum aliquod latere in extremis verbis, uti in edd. antiquis leguntur, *solicite plurimum*, nemo ignorat. Bene succurrunt Farn. et Neapol. codd., qui praebent *societate plurimum* [sed *plurium* hodie profertur ex

tate plurium defendi: sed ipsum solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines, complecti provincias possit, amittit studium, quo

Farnes.], in quod inciderat Pithoeus, quodque recentiores edd. receperunt. En, planissima omnia.

sed ipsum solum apud vos arguam. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Ald. Rhen. Lips. Pith. Bernegg. Gron. Brot. Bipont. interserunt post *sed* particulam *et*, quod suadente Mureto Heumannus, Ernest. Schulz. et sqq. omiserunt, addicentibus MSS. Neap. [et Farn. t. Bekker.]. Errorem praeterea satis frequentem in edd. antiquis, qui *eos* praebent, sustulit Lipsius *vos* corrigendo, in quo recte acquieverunt omnes praeter Seebod., qui *eos* servat. Sed vexavit Acidalium *vos;* putavit enim is, tres tantum adesse collocutores, Aprum, qui accuset, Maternum, quem arguat ille, atque ita unum tantummodo relictum esse arbitrum ac iudicem, Secundum, apud quem Maternus incusari possit; quapropter facit is cum Mureto, cui subnata est coniectura *apud te eo arguam*, quae quidem a vestigiis litterarum in ant. libris non multum recedit. Sed, ne quid dicam de dialogi scriptore, qui eidem interfuit sermoni, ad omnes spectant haec verba, ipsum etiam Maternum, qui se audit accusatum. Quare noli quicquam mutare. Praeterea ab Rhenano scriptum est *sed id ipsum*, a Seebod. probatum. Pichen. malebat *sed hoc ipsum.*

parere ... amicitias. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. et ed. Spir., ex quibus receperunt Dronk. Osann. Orell. [Bekker. Boetticher. et Rup.]. Rectissime. Cf. Nepot. Alcib. 7, 5. *magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciae pepererat.* Fronto p. 5. ed. Rom. *amicitia meritis parta.* Ovid. A. A. 2, 13. *nec minor est virtus quam quaerere parta tueri.* Cf. Garaton. ad Cic. pro Planc. c. 3, 7. Beier. ad Cic. de off. 2, 9, 31. In edd. ante Dronkium omnibus expressum est *parare*

adsciscere necessitudines. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] Vaticc. 1518. et 4498., e quibus primus recepit Osannus, quem sequor. [Idem probarunt Bekker. et Boettich.]. — MS. Vatic. 1862. *necessitates.* — Edd. ad Osannum omnes et Orell. retinent vulgatam lectionem *nationes.* Supplent vero ii: in clientelam, et intelligunt regulos, quibus saepe oratorum patrocinio apud principes opus erat. Etiamsi nolumus hanc scripturam refellere verbis, quae c. 36. leguntur: *hi* (antiqui) *clientelis etiam exterarum nationum redundabant,* indeque colligere, Apri tempore tale quid usu venisse aut nunquam aut rarissime, quia cogitandus est Aper cum aliquo animi impetu rem amplificans neque veritatem servans; tamen praeplacet codd. scriptura, tum quia vulgata lectio otiosa esset propter sqq. *complecti provincias*, tum quia a minore ad amplius progreditur in eloquentiae fructibus enarrandis Aper atque adeo amicitias commodissime excipiunt necessitudines. Quo de vocabulo vide Herzog. ad Caes. B. G. 7, 53. Pronomen *sibi* ut adiungatur cum Osanno, nulla cogit necessitas.

complecti provincias. Sc. patrocinio.

amittit studium. Sic edd. Put. Riv. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — *amitti studium* MSS. Neap. [et Farnes.] — *omittit studium* emendavit Rhenan. in castigatt., probarunt Muret. Acidal. Heumann. F.

non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius, quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro ferat, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac

A. Wolf. Dronk. Osann. Orell. Bekkerus. Reliqui omnes retinuerunt lectionem ab antiquis edd. traditam, latine enim sic dici posse, quod negaverat Wolf., probavit Boetticher. Lex. Tacit. v. *amittere*. — Pro *civitate nostra* ed. Spir. *civ. vestra*.

ad utilitatem fructuosius. Schultingius, ut compleret sententiam, addenda censuit verba *vel ad voluptatem honestius*. Cf. Schulz. ad h. l.

omnia consilia factaque nostra. MSS. Neap. [et Farn.] *fataque per nostra*. — MSS. Vatt. 1518. et 4498. *factaque per nostra*. — Edd. antiquae ad Lipsium *facta nostra*. — Lipsius ex libro Romano, ut ipse profitetur, *que* particula addita primus edidit, quod deinceps omnes sequuti sunt, *factaque nostra*. Pithoeus malebat *consilia, dicta, facta nostra*; probabat Schurzfleisch.; Osannus in Vaticc. libb. scriptura *perinde* latere suspicatus alienissimo loco id interponi iubebat.

quid est tutius. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] et Vaticc., unde restituerunt Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.]. — Codicum scriptura satis frequenti confusione in ed. Spir. transmutata est in *quid enim tutius*, ex quo Puteolani et seqq. omnium facta est lectio *quid erit tutius*, pessime ab ed. Bip. corrupta in *quod erit tutius*. Ad orationis vim augendam *erit* delendum censuit Seebod. praeeunte Heumanno. Aberravit a vero Ernestius, dum probat Acidalii coniecturam *utilius*, quia securitas tantummodo pars sit utilitatis ex eloquentia forensi capiendae. Sed ingratam vocis eius repetitionem aegre ferimus et contendimus contra, eloquentiae utilitatem ab Apro commemoratam contineri totam fere securitate. Acute perspexit hoc Schulzius.

metum et terrorem ultro ferat. Cf. Agric. c. 32. *metus et terror est*; Plin. Paneg. c. 12. 66, 4. — Reduximus MSS. Neap. [Farn.] et Vatt. edd. ante Lips. omnium, ne Aldina quidem excepta (de qua falsus est Osannus), scripturam *ferat*, praeeuntibus Dronk. Osann. [Bekker. et Boetticher.]. Reliquae editiones Lipsianam sequuntur emendationem *feras*, quam Orellius non servasset, si de codd. scriptura ei innotuisset aliquid. Quid quod librariorum negligentiam odoratus est ille in *ferat*. Sed frequentissima est ellipsis subiecti indefiniti. vide Beier. ad Cic. de Off. 1, 33, 121. 2, 11, 39. 33, 83.

potentia ac potestate. Quorum vocabulorum de discrimine cf. Kritz. ad Sall. Cat. c. 38, 1. Seebod. Observatt. in Tacit. Hist. spec. I. p. 8. Vocabula coniuncta sunt ad augendam verborum copiam, cuius generis subinde notabimus permulta, quorum nonnulla collegit Klossmannus Prolegom. in dial. de oratt. claris p. 8.

potestate munitus? cuius vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio et tutela intelligitur: sin proprium periculum increpuit, non Hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum, quam reo et periclitanti eloquentia, praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere sive in iudicio sive in se-

rebus prospere fluentibus. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., e quibus receperunt Ernest. Schulz. Oberl. et sqq., idem exstat in edit. Riviana in mentemque venerat Lipsio. Cfr. Tacit. An. 15, 5. *nec praesentia prospere fluebant*; Cic. de off. 1, 26, 90. *atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium arrogantiamque magno opere fugiamus.* Edd. antiquae praebent *prope*, quod ex scripturae compendio ortum est aperte; inde Pithoei coniectura *rebus probe fluentibus* originem cepit, quod defendi posse putat Wopkens. l. l. p. 383., servarunt Gronov. al. Meliorem verborum distinctionem debemus eidem Pithoeo, qui comma in prioribus edd. post *aliorum* positum aut omissum, adiiciendum curavit post *fluentibus*. Schurzfleischii commentum *pro spe*, quod est: ex sententia, ad votum, silentio praetermitto.

perfugio et tutela. Ita MSS. Neap. et Vaticc. 1518. et 4498. edd. Dronk. Osann. Orell. [Boettich.]. — *profugio* MS. Vat. 1826. — *praesidio* in reliquis omnibus est edd. (errat enim Dronk. in discrepantia scripturae enotanda). Maluimus codd. sequi auctoritatem, quia saepius repetitum *praesidium* tantum abest ut tueatur vulgatam, in qua opinione versatur Seebod., ut contra ad eam corrigendam cogat.

increpuit. Sic e Farnes. libro dedit Lipsius, idemque reperitur in MS. Neap. — *irrepat* edd. antiqu. ante Lips., quod spernendum. Cf. Cic. in Catil. I. c. 7. *quicquid increpuerit Catilinam timeri*; Liv. 4, 43. *unde si quid increpet terroris*, similiaque apud Hess. ad Germ. c. 35. p. 163.

lorica et gladius. Sic ex Seebodii coniectura ediderunt Dronk. Osann. Orell., quod firmatur MSS. Neap. et Vatt. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. scriptura *loricae gladius.* Eam defendere conatus est Schurzfleisch., hanc scriptori obtrudens sententiam: non loricam gladius adeo defendit, quam reum periclitantem eloquentia. Sed plerisque probata est emendatio Rhenani *lorica aut gladius*, quae usque ad Seebod. omnes occupavit editt. [et servata est a Bekk. Rup. et Boett.]. Sed ipsa sententia postulat *et* copulam, qua iungit Noster synonyma, ut cap. 6. et 11. *comitatus istos et egressus*; cap. 12. *inter sordes ac lacrimas.*

reo et periclitanti. Copulam eiecerunt Acidalio auctore Heumann. et Schulz., causa idonea nulla.

praesidium simul ac telum. Sic MSS. Neap. [Farn. apud Bekk.], quare recipio, [uti Bekk. et Boettich.]. Edd. consentiunt in *simul et telum.* Ad rem compara Cic. de orat. 1, 8, 32.: *quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare integer improbos, vel te ulcisci lacessitus?* Similis descriptio de nat. deor. 2, 59, 148. de off. 2, 14.

sive in iudicio etc. Sic ex emendatione Mureti Acidalius, Heu-

natu sive apud principem possis. quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qui accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et eiusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror.

mann. Bekker. [qui Farn. cod. auctoritatem sequitur]. Omnes editt. exhibent *vel in iudicio*, quod citerioris latinitatis scriptoribus frequentatum fuisse, ostendunt Oudendorp. ad Apulei. Metam. 5. p. 373. Duker. ad Flor. 4, 2, 79. Non nego, ipse etiam Tacitus huius licentiae suppeditat exempla, velut An. 14, 7. *sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet.* cf. not. infra ad cap. 28. Sed, ubi codex id praebet, rectius eum sequimur, quam perseveramus in lectione si non falsa, at certe non probanda.

Eprius Marcellus. De hoc cf. An. 15, 22. Hist. 4, 5. — 10. 40. — 44. Walch. ad Agric. p. 114. Quae h. l. narrantur, apte conveniunt cum iis, quae aliis locis de eo prodidit memoriae Tacitus, ut An. 16, 23. *acri eloquentia*, ibid. c. 29. *cum per haec atque talia, ut erat torvus ac minax voce, vultu, oculis ardesceret;* Hist. 4, 6. *minax certamen egregiis utriusque orationibus testatum*, ibid. *hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium.* Pro *Eprius* in MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. exaratum est *prius*, frequenti in hoc nomine errore. cf. not. ad An. 12, 4. — Ceterum pro *opposuit* edd. Spir. Put. Riv. Ber. praebent *apposuit.*

qui accinctus. Sic MSS. Neap. [Farn.] edd. antiquae et nuper Seebod. (in edit. altera), probante Rauchensteinio in Orell. proleg. p. LI., cui propterea placet, quod *minax* cum *qua* coniungi non possit. *qua* enim ex Ursini correctione in Acidal. Heumann. Ernest. al. editt. translatum erat, et necessarium videbatur plerisque, quia *eloquentiam suam opposuit* praecesserit, quibus cum verbis aptissime coniungatur *qua accinctus.* Et favere videntur huic lectioni loci, quos antea ex An. et Hist. de Marcelli Eprii eloquentia adtulimus. Sed placet Rauchensteinii ratio et potior est codd. auctoritas.

rudem Helvidii sapientiam. Cf. Hist. 4, 5.: *doctores sapientium secutus est, qui sola bona quae honesta, mala tantum quae turpia, potentiam, nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant.* — Pro *disertam* ed. Spir. *desertam.*

cui parti minime contradicturum . . . arbitror. Ita MSS. Neap. Farn. Vaticc., a Lipsio iam restitutum et deinde a plerisque in verborum continuitatem receptum. Vitiose enim in antiq. editt. scriptum est: *cum praesertim*, quod tenaciter servarunt Pichena, Acidalius, Schurzfleischius et Heumannus. — Ed. Spir. *cum partim*, quod a codd. scriptura proxime abest. — Deinde *arbitror*, quod et codd. praebent et edd. vett., in Rhen. ed. mutatum est in *arbitrer*, quem typothetae, ut videtur, errorem propagaverunt edd. usque ad nostra tempora, quibus *arbitror* revocavit Schulzius. Gronov. coniiciebat: *ne illi quidem parti;* Seebodius: *cui praesertim .. arbitror.* Scriptura a nobis in textu posita firmatur cap. 25. *ne illi quidem parti sermonis eius repugno;* Quint. Inst. or. 1, 8, 2.

VI. Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento, sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati, neque officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari? illos quinimmo orbos et locupletes et potentes ve-

unum est igitur, quod in hac parte praecipiam.

Cap. 6. *non uno aliquo momento.* Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., ex quibus receperunt Ernestium, seqq. praeter Seebodium. Eandem lectionem suadebat Schurzfleischius. Cic. Caecin. c. 9. *cognosce ex me, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognoveris, ego iam tibi istuc, quod expetis, concedam.* cf. Beier. ad Cicer. de offic. 2, 12, 41. — *uno aliove momento* edd. ante Ernest. et Seebod., quod non latinum. nam exempla, quibus *alius* pro *alter* dictum esse probare vult Wopkensius, citerioris sunt latinitatis, quam quibus auctoritatem tribuamus. I. Fr. Gronov. emendabat *uno alterove mom.*, quod probarem, nisi praevaleret codd. auctoritas. — Pro *transeo* ed. Spir. *censeo*, eadem *contigit* pro *contingit*, *ingenio* pro *ingenuo*.

ac prope omnibus horis. Mutavi vulgatam lect. *et prope* ex MS. Neap. [quocum facit Farnes. liber, quem Bekker. et Boettich. sequuti sunt.]. Schurzfleisch. et Heumann. malebant *sed prope om. h.*, quod non displicuit Schulzio.

domum suam. Sic MSS. Neap. [Farn. teste Bekker.] Vaticc., ex quibus pronomen possessivum Broterius adiecit, dein Dronk. Osann. [Bekk. et Boettich.], Orellius tamen uncis circumclusit. Edd. reliquae *suam* omiserunt.

officii alicuius administrationi. Sic MSS. Neap. et Farnes., nisi quod *administrationis* exhibeant. In contextu posuit Lipsius, neque tamen tacitus, uti Seebod. et Dronk. dicunt, sed accurate de cod. scriptura exponens. Lipsium sequuti sunt interpr. plerique. Ante eum vulgabatur *officiis alicuius administrandis*, quod Schurzfleisch. (*alicuius* in *alius* ut corri[illegible]r suadens) Osannus et Seebod. retinuerunt, neque improbavit Dronk., cui „utrumque bonum est.” Oriretur sententia ab hoc loco alienissima; quid enim aliud significat *officia alicuius administrare*, quam iis officiis fungi, quibus alius fungi deberet. *Officium* intelligendum est de muneribus; quo de significatu disputavit Walch. ad Agric. p. 217. — Ex MS. Vat. 1862. notatum est a Broterio lectio *non officii*, quae haud displicuit Osanno. — Pro *sibi ipsi* I. Fr. Gronov. malebat *tibi ipsi*, quod recepit Schulzius.

illos quinimmo. MSS. Vaticc. 1862. et 1518. *istos* praebuerunt pro omnium librorum lect. *illos*, quam propterea eiiciendam putavit Dronk. Sed nemo ei obsequutus est, rectissime.

orbos et locupletes. Cf. Plin. Epist. 5, 1, 3. *praeterea non esse satis honestum dare et locupleti et orbo.* Notavit h. l. Noster orbo-

nire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas, quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia

rum captatores, in quos multa Horat. Sat. 2, 5, 28. Iuvenal. 4, 18. 5, 137. 6, 8. 12, 99. Tacit. An. 13, 42. 52. 15, 19. cf. interpr. ad Germ. cap. 20. Peculiari excursu de orbitate eiusque pretiis apud Romanos egit Gebauerus p. 301. sqq. Graecorum in hac re mores lepidissime descripsit Lucianus in dialogis mortuorum.

et potentes. Omissa sunt haec verba in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Pithoe., primus interseruit ea Lipsius ex cod. Farnes., quocum h. quoque l. facit MS. Neapol. Receperunt edd. omnes, nonnulli tamen uncis circumsepserunt; unus tantum adversatus est Acidalius. Requiri is putat aliquid de orborum senectute, non de potentia, et ad membrorum concinnitatem efficiendam opponi sibi orbos et oratores, illos nimirum locupletes et senes, hos plerumque pauperes et iuvenes. Quare corrigebat is *depontanos*, quomodo sexagenarios et provectiores aetate vulgo appellabant. Sed verum non perspexit Acidal., quum antecedentia maxime faveant huic addidamento, nam verba *non pecuniae*, *non orbitati neque officii alicuius administrationi* apte respondent verbis *locupletes*, *orbi* et *potentes*, neque quisquam id vitio verterit scriptori, quod rerum ordinem immutaverit.

tanta ... voluptas, quam. Inutilis est ἀκριβεία Heumanni, qui flagitari ait *quanta* pro *quam*. Apud optimos etiam scriptores dicitur *tantus — quam* pro *tantus — quantus*. Terent. Hecyr. 3, 4, 3. *non verbis dici potest tantum, quam re ipsa navigare incommodum est;* Liv. 37, 51. *non tantum gaudium ab recenti metu adtulerunt, quam averterunt famam.* vide Gronov. ad Liv. 26, 1, 3. — *Ingentes et privatum supra modum evectas opes* habes An. 14, 52.

homines veteres et senes. Molesta videbantur Acidalio verba *homines veteres* coniuncta, neque magis *veteres et senes* ferendum ducebat; eam ob causam *veteres* delevit. Nic. Heinsius pro *veteres* malebat *vietos* (falso autem a plerisque ei adscribitur *victos*), dein *homines coelibes* ei in mentem venit, sed ne id quidem satisfecit. Nihil corrigendum est, quum verba ea et apud alios scriptores iuncta reperiantur (cf. infra c. 17. *antiqui et veteres oratores*; Plin. Panegyr. c. 12. Cic. de orat. 3, 38. *prisca fere ac vetusta;* auctor orat. pro domo c. 47. *veteribus et priscis institutis*; Vell. Pat. 1, 15. *priscam illam et veterem;* 2, 89. 105. *priscus et antiquus*, et maiore cum vi apud Cic. de orat. 1, 43, 193. *prisca vetustas*, et Tib. 1, 8, 50. *veteres senes*), et satis bona ratione nitatur coniunctio illa, de qua exposuit Doederlein. Lat. Synon. et Etym. IV. p. 89. sq. Graecorum scriptorum locos congessit Ruhnken. ad Vellei. p. 64., quos auxit G. H. Schaefer. ad Plin. Epist. 3, 6, 3.

totius orbis gratia subnixos. Sic MSS. Neap. et Vaticc. edd. antiquae omnes, et recte quidem. Respondet hoc egregie iis, quae antecedenti cap. de eloquentiae utilitate dixit Noster: *ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius*, et quae infra cap. 8. dicit: *non minus notos esse in extremis partibus terrarum.* Bene igitur *orbis* a Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.] restitutum est, neque ullam video causam, cur retinendum sit *urbis*, quod

subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes, id quod optimum sit se non habere? Iam vero qui togatorum comitatus et egressus! quae in publico species! quae in iudiciis veneratio! quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes et in unum conversos: coire populum et circumfundi coronam et accipere

Pithoeus, satis mala coniectura *ipsius orbitatis gratia* reiecta, proposuit adprobavitque Lipsio, Pichenae, Bernegger. Heumann. Ernest. Oberlin. Schulz. Seebod. aliis. Nimium enim illis videtur *orbis*, at vero reputent velim, pleraque ab Apro aucta esse atque amplificata.

rerum omnium. Verborum collocationem debeo MS. Neapol. [quocum convenit Farnes. cod.; adsentit Boetticherus]. Edd. omnes praeter Schulz., qui nescio unde *rerum omnium* exprimendum curavit, exhibent *omnium rerum.* — Pro *id quod optimum sit* I. Fr. Gronov. corrigebat *id quod apud te sit*, quod spernendum est.

togatorum comitatus et egressus. *Togati* non sunt, ut Dronk. explicuit, causarum actores, patroni, oratores, sed ipsi cives Romani vel clientes, qui oratores in forum ducere indeque domum reducere solebant. Cf. Walch. ad Agric. c. 9. An. 16, 27. *globus togatorum.* Nic. Heinsii emendatio *iam qui togatorum comitatus est egresso* refellitur verbis, quae cap. 11. leguntur: *nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco.*

species. De dignitate et externo splendore dictum praeter locos ab interpr. adlatos apud Cicer. Tusc. disp. 1, 28. de nat. deor. 2, 39. de senect. c. 16.

quod gaudium consurgendi adsistendique. MSS. Neap. [Farn. apud Bekker.] et Vaticc. *quod id gaudium*, quod vitium ortum est ex praecedentium litterarum repetitione. Ernestius, ut *tacentes* habeat, cui opponatur, pro *adsistendi* vult scribi *dicendique*, et Nic. Heinsius adeo captat coniecturas, ut non solum *consurgenti assistentique*, sed etiam *assilienti* corrigere velit.

et in unum conversos. Quam Acidalius ex coniectura addidit copulam, quamque Heumannus servavit, eam nunc firmavit MS. Neap. auctoritas. Temeraria vero Heinsiana emendatio est: *in unum converso ore coire populum.* De structura verbb. sqq. *coire populum* cf. Walch. ad Agric. p. 310.

circumfundi coronam. Copulam ante *circumfundi* male delevit Acidalius. — *coram* exstat in MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Pithoe. Bernegg. Gronov. et nuper Seebod. Dronk. Osann. Quod intelligunt illi de populo, qui quantum proxime possit ad oratorem accedere conatur eumque confertus circumdat, quo melius eius verba excipiat. At id ipsum satis iam indicatum est *circumfundi* vocabulo, ita ut otiosum et languidum esset *coram* additum. Recepi igitur ingeniosam coniecturam Acidalii et Schelii *coronam*, quae et ex vulgatae lectionis vestigiis facili elicitur negotio et sententiam continet aptissimam. Neque tamen intelligo, cur Heinsio et Schulzio rectius videatur *corona*, quod Seebod. quoque in edit. pr. recepit. nihil certi enim colligi potest ex Silii loco lib. 7. v. 308., in quo *cernis, ut armata circumfundare corona* alia accipiendum est significatione, de qua cf. Interpr. ad Caes. bell. Gall. 7, 72. Recte dici posse *circumfunditur corona* docet Tacit. An. 1, 68. *exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfun-*

adfectum, quemcunque orator induerit! vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo. Illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota maiora sunt. sive accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis ita gaudii pondus et constantia: sive novam et recentem curam

duntur, ibid. 12, 27. *vel dilapsis improvisi circumfunderentur*. Plin. Epist. 7, 17, 9. *corona diffusior*. — Ed. Spir. *cohire popul.* et paulo post *accipe* pro *accipere*.

quemcunque orator induerit. Sic MSS. Farn. et Neapol. et Lipsius, quem sequuntur Pithoe. Bernegg. et sqq. omnes praeter Seebod. Dronk. et Osann., qui antiquarum edd. scripturam corruptam *quacunque* (Seebod. *quocunque*) *orator induxerit* restituerunt. Sed nihil est quod in codd. lectione nos offendat; saepe enim *induere* dicitur de adfectibus, velut Hist. 4, 38. *falsos pavores induerat*; Quint. Inst. or. 12, 11, 11. *quam* (scil. voluntatem) *qui vera fide induerit*. Recte igitur cum Oudendorp. ad Apul. Metam. II. p. 168. illud defenderunt Orell. et Bekkerus. Aliena ad vulgatam tuendam protulit G. Iacob. in Addend. ed. Dronk. p. 244. Vocabula ea saepius confusa esse docuit Spalding. ad Quint. Inst. or. 5, 7, 11. not. crit. Levis est coniectura Schurzfleisch. *respexerit*, qui intelligere Tacitum opinatur adfectum populi et acclamationes tum solennes, quibus „*os populi merebantur*, ut ait Persius, *oratores*."

vulgata dicentium gaudia .... percenseo. Sic MSS. Neap. Farn. edd. Spir. Put. Lips. eumque sequentes. Sic Quint. Inst. or. 10, 2, 8. *ac si omnia percenseas*; Tacit. An. 4, 4. *percensuitque cursim numerum legionum et quas provincias tutarentur*. Ad rem cf. Plin. Epist. 3, 3, 6. *quantum eloquentia valeat, pluribus credere potes: nam dicendi facultas aperta et exposita statim cernitur*. Sententia, ut Orellii verba adscribam, haec est: togatorum comitatus et egressus, in iudiciis venerationem, populi laetitiam variosque affectus quum memoro, vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita *percenseo*, id est, enumero: sed longe maiora sunt etc. In tali verborum et rerum perspicuitate quomodo Seebod. Dronk. Osann., Tyrwhitto adsentiente, ad edd. Ber. Alc. Ald. Rhen. corruptelam *parva censeo* recurrere in eaque exquisitius aliquid et reconditius agnoscere potuerint, equidem non adsequor. Neque magis audiendus est Acidal., qui verba sqq. *maiora sunt* delenda censet. — Frequens est in hoc libello particip. praes. usus pro substantivis, sic h. l. *orans*, c. 13. *imperans*, c. 20. *iudicans*, c. 28. *praecipiens*, c. 30. *audiens*, c. 41. *regens* et *cognoscens*; Quint. Inst. or. 1, 2, 31. *orantis vox*.

profert orationem. Sic MS. Vatic. 1862. edd. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.] — *proferre orat.* MS. Vat. 1518. — *perfert or.* MSS. Neap. [et Farn.] — *adfert or.* libri usque ad Dronk. omnes — *fert or.* MS. Vat. 4498. — Pro *quoddam* ed. Spir. praebet *quidam*.

sive novam et recentem curam. *Cura* pro quovis scripto imprimisque de oratione dicitur. Vide F. A. Wolf. ad Cic. Tusc. disp. 5. §. 69. Tacit. An. 4, 2. *quorum in manus cura nostra venerit*, ib. 3, 24. *si plures ad curas vitam produxero*. Sollicitat hanc vocem Acidalius, cum quia ex praecedentibus facile suppleatur *oratio*, tum quia *curae*

non sine aliqua trepidatione animi adtulerit; ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est. nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quae sua sponte nascuntur.

significatio insit laboris et industriae cuiusdam ab hoc loco, ubi de subita oratione sermo sit, aliena. Corrigit is igitur, *curam* deleto, *novam et recentem nec accuratam.* Iisdem argumentis ductus est Ernest. ad coniect.: *novam et repentem curam*, ut subita, repentina intelligatur, opposita ea accuratae et meditatae; et Hofmann. Peerlkamp. ad verborum transpositionem hanc: *sive accuratam meditatamque affert curam, sive novam et recentem orationem.* Persto in librorum scriptura. *novus* et *recens* coniuncta sunt infra c. 8. et Hist. 4, 65. *nova et recentia;* Iuvenal. sat. 2, 102. *res memoranda novis annalibus atque recenti historia.* Cum sententia comparanda sunt, quae de Q. Haterio Tacitus narrat An. 4, 61. *scilicet impetu magis quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum vanescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.*

sine ... trepidatione animi adtulerit. MSS. Neap. [Farn. Bekkero teste] Vaticc. et edd. antiquae omnes exhibent *animus*, quod ferri nequit, cum orator intelligendus sit necessario ad *adtulerit.* Communi igitur omnium adplausu excepta est Pichenae emendatio *animi*, cui unus Dronk. obloqui ausus est.

extemporalis audaciae. Cf. Quint. Inst. or. 10, 6, 6. *alioqui vel extemporalem temeritatem malo*, id. 10, 7, 1. *maximus studiorum fructus et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris ex tempore dicendi facultas;* ibid. §. 13. *frequenter accidit, ut successum extemporalem cura consequi non possit.*

in ingenio. Praepositionem *in* omittunt MS. Neap. et edd. antiquae; inseruerunt eam Pithoeus et Acidalius, quos sequuti sunt deinceps omnes.

quamquam alia diu serantur atque elaborentur. alia omissum est in MSS. Neap. [et Farnes. teste Bekker.]. Reliqua non sana putabat Ernestius, et ut magis responderent sequentibus *gratiora tamen*, coniiciebat *quanquam utilia* vel *utiliora, quae serantur.* Probarem, si codd. auctoritate niteretur emendatio. nunc acquiesco in vulgata lectione, quam editores omnes retinuerunt, et bene defendit G. Iacob. in Addend. ed. Dronk. p. 245. Ea, inquit, indicantur, quae sunt longe alius generis, quam quae sponte nascuntur. Nihil igitur opus est emendatione Hofmann. Peerlkamp.: *nam in ingenio quoque, sicut in agro, quanquam solidiora serantur diuque elaborentur.* Eiusdem metaphorae ex agricolarum laboribus petitae sunt illa cap. 9. *dignum aliquid elaborare* et c. 34. *inde quinimmo constantius surgere, ibi fidelius corroborari.* Cf. de hoc vocabulo Doederlein. Lat. Syn. et Etym. Vol. I. p. 116. Sententia vero est: ut in agro gratiora sunt, quae sua sponte nascuntur, quam alia, in quibus serendis et elaborandis sudaveris multum diuque, ita extemporalis illa eloquentia ex ingenio oriunda meliores fert fructus, acceptior est multo, quam oratio adsidua meditatione et cura composita.

VII. Equidem, ut de me ipso fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi: quam eos, quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis aut reum prospere defendere aut apud Centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus adscendere videor, tum habere, quod, *si non in alio oritur

Cap. 7. *ut de me ipso fatear.* Sic MSS. [Farnes. t. Bekker.] et Vaticc. edd. Rhen. Ald. Lips. Pithoe. Heumann. Seebod. altera, Dronk. Osann. Orell. [et Boetticher.]. Ratione id postulatur grammatica, quia *ipse* eodem casu atque pronomen personale ponitur, si praedicatum ita ad enuntiati obiectum pertinet, ut id cuivis alii opponatur. Cf. Beier. ad Cic. de offic. 1, 38, 137. Kritz. ad Sallust. Cat. c. 20, 6. et inprimis Hofmann. in Iahn. Annal. philol. et paedagog. a. 1828. VII, 1. p. 33. Exempla similia vide apud Cic. de off. l. l. *deforme est etiam de se ipso praedicare*, id. Cat. mai. c. 23, 82. *ut de me ipso aliquid more senum glorier*, ibid. c. 9, 30. *nihil necesse est de me ipso dicere.* Sed ut omnibus illis locis discrepantia est scripturae, ita h. l. edd. antiquae et Pichen. Bernegg. Gronov. Schulz. Oberlin. Seebod. pr. Walch. ad Agric. p. 357. [I. Bekker. et Rup.] exhibent *ipse*, quod in MS. Neap. exstare videtur.

in civitate minime favorabili. Adiectivum *favorabilis* bene explicuit Dronk.: cui favetur, qui habet favorem hominum. Eodem usurpatur significatu apud Quint. Inst. or. 11, 1, 42. 12, 4, 74. et apud alios quoque citerioris latinitatis scriptores, velut apud Vellei. 2, 34. 40. Vide Spalding. ad Quint. Inst. or. 4, 1, 20.; 4, 3, 1. Frotscher. ad eiusd. lib. decim. p. 190. In universum monendum est, Goerenzii ad Cic. Academ. 1, 11, 41. disputationem de adiectiv. in *bilis* exeuntibus non satisfacere. — Fuerunt autem Iul. Secundus et M. Aper et Curiatius Maternus Galli (cf. cap. 10.), quos Romanis invisos fuisse docet Tacit. An. 11, 23.

natus. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. vitiose exhibent *nactus.*

libertos et procuratores. De procuratoribus vide auctores, quos ad An. 12, 60. sequutus sum. Libertum et procuratorem habes Maximum apud Plin. Epist. 10, 36.; exempla eorum apud principem defensorum exhibet idem Epist. 6, 31. et 10, 7.

tueri et defendere. Synonyma, ut apud Cic. ad fam. 13, 64, 1. *Nysaeos, quos Nero in primis habet necessarios diligentissimeque tuetur ac defendit*; de orat. 1, 38, 172. *posse se facile ceteris armis prudentiae tueri atque defendere*; Tacit. de Germ. c. 14. *illum defendere, tueri ... praecipuum sacramentum est*, quos locos collegit Wopkensius.

*tum habere, quod, *si non in alio oritur.* Locus vexatissimus, multorum virorum doctorum coniecturis mendatus potius quam

nec codicillis datur nec cum gratia venit. Quid fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est,

emendatus, quae enumerandae sunt quantum fieri poterit diligentissime (cf. Gurlitt. animadv. ad auct. vett. spec. III. p. 6. 7.). MS. Neap. [Farn. cod. nuper collatum Boetticher. addit, sed Bekker. tacet] et edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Pithoe. Lips. Bernegger. Gronov. al. usque ad Broter. exhibent *tum abire: quod si non in alio oritur.* Quod sententiam idoneam praebere negatur verissime, quumque nihil dederint melius ac verius veteres libri, ad coniecturas confugiendum erat. Mutabat igitur illud *abire* Fähsius in Syllog. lect. graec. p. 463. in *ambire* i. e. petere, adfectare, et sequentia conformavit ex Freinshemii emendatione ita: *quod si non in animo oritur.* In eandem sententiam incidit nuperrime Rauchenstein. in Orell. proleg. p. LI. Alii, quibus *abire* retinendum videbatur, reliqua correxerunt addendo praecipue. Sic dudum Rudolph. Agricola apud Lips. coniecerat: *tum supra me abire;* Ian. Dousa pro Petron. Satyr. Praecidan. I. c. 16. supplevit *tum in coelum abire*, quod arripuerunt Schulting. Heinsius et Schurzfleischius. Sequentia vero Schulting. constituebat sic: *quod id scilicet non in alio moritur*, quo significentur bona propria nec unquam peritura: idemque, utpote doctius et exquisitius, pro *in coelum abire* volebat *sublimis abire*, et paulo post *quod scilicet non ab alio datur.* Heinsius: *tum in coel. ab., quod fiduciae non in alio oritur.* Schurzfleisch.: *tum in coel. ab., quod id non ab alio oritur.* Casp. Barth. Adv. XXXXIV. c. 8. Pithoei coniecturam: *quod si non in alvo oritur* probat idemque indicari censet ac si dixisset scriptor: quae sane non adgnascitur aut cum semine paterno maternave nutricatione transditur in sobolem; in antecedentibus Barthius mavult substitui *tum abire Divus* h. e. rebus humanis altius elevari; sequentia vero, interpunctionis signo deleto, claudit in hunc modum: *Quod si non in alvo oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit, quae fama et laus cuiusvis artis cum oratorum gloria comparanda est?* Sam. Weston. in diario Anglorum classico nr. XVII. p. 162.: *tum audire, quod si non in alio oritur, nec in codicillis datur* (i. e. principis), *nec cum gratia venit* (sc. populi). Sed audaciora haec, quam quae multorum tulerint adplausum. nam *in coelum abire*, vel quae alia eiusdem sententiae finxerunt critici, ab librorum scriptura nimis recedunt nec cum reliqua scriptoris oratione satis conveniunt; otiosum vero est Westoni *audire*, si quidem maius aliquid et praestantius exspectamus superioribus illis *super tribunatus* etc. *adscendere videor.* Aliqua ex parte verum vidit Muretus, qui *tum habere* scribendum esse perspexit, in quo acquieverunt interpr. seqq. tantum non omnes. Frequens autem est *habere* et *abire* verborum in libris antiquis confusio, vide Drakenb. ad Liv. 1, 32, 2. — Maior difficultas est in seqq., in quibus corrigendis plerique frustra laborasse putandi sunt. Freinshemii est emendatio: *quod si non in animo oritur*, quam receperunt Oberlin. Bekker. Dronk. Osann., sed eam parum latinam censuit Orellius, propter nimis infinitum *animi* vocabulum, ubi *indoles* aut *natura* requiratur. Nodell. Observatt. critt. p. 79.: *quod non in aula oritur.* — Clericus: *quod non in alieno oritur.* — Pichen.: *quod scilicet non in alio hauritur* vel *quod nec in alio oritur.* — Pet. Pithoeus: *quod si non aliunde oritur* vel *quod non in alvo oritur*, quorum verborum explicatione Barthiana, quam supra memoravi, frigidius et contortius est nihil. Non igitur mirum, Lipsium Pithoeo adscri-

qui non illustres in urbe solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud iuvenes et adolescentes,

bere maluisse *in albo*, ut praetorum ius atque formulae intelligerentur, Westonum *in alto*, praesertim cum *alius* et *altus* saepissime commutata sint ab librariis (cf. Interpr. ad Quint. Inst. or. 10, 1,44.). Pithoeum sequitur Oudendorp., qui ad Apulei. Metam. III. p. 227. proposuit: *quod scilicet non in alvo oritur.* — Lipsius: *quod scilicet non in atrio oritur.* — Schelius: *quod non in alios congeritur* vel *confertur.* — Seebod. ed. altera: *quod si non in ingenio oritur*, quam coniecturam suam fecerunt Moser. in Annalib. Heidelberg. a. 1831. p. 303. [et Boetticher., coll. is cap. 8. *ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint*; et iis, quae supra leguntur: *in ingenio .... nascuntur.*]. — Orellius: *quod si non indoles largitur.* — Ernestius: *quod si non in ipso oritur.* — Bipont.: *quod si non in suo oritur.* — Rutgersius: *quod in se, non in alio oritur*, quam emendationem Huetius, Broter. et Naudet. sequuntur. — Acidal.: *quod non in tabulis diribitur.* — Lipsius: *quod non venale offertur.* Leve et temerarium est, quod nonnullos fecisse aegre ferimus, qui verba *quod si non in alio oritur* aut uncit circumdederunt, ut Seebod. ed. pr., aut deleverunt, ut Heumann. et Schulzius. Equidem ut habeo persuasissimum, verum vidisse Muretum in priore sententiae parte corrigenda, ita posteriora verba conclamata et deplorata ut ab acutioribus reducantur in vitam optandum est magnopere.

nec codicillis datur. MSS. Farn. Neap. et Vatt. edd. Pith. Heum. [?] Broter. Ernest. sqq. omnes. Priores edd. addunt *in* ante *codicillis*, quod codd. auctoritate nunc bene deletum esse docet Agric. c. 40. *codicillos, quibus ei Syria dabatur.* Suet. Calig. c. 18. *codicillos misit, quibus praetorem cum extra ordinem designabat.* Intelligenda sunt scripta, quibus princeps officium ac munus publicum alicui tradit. — Acidalius *cum* praepositionem ante *gratia* delevit.

Quid fama et laus cuius artis. Sic MSS. Neap. [Farnes. teste Bekk.] edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald., nisi quod inde a Beroaldina in omnibus libris vulgatum est *cuiusvis*, quod codd. auctoritate et edd. trium vett. testimoniis caret. Illam scripturam recte restituerunt nuper Dronk. et Osann., sed ii ex praecepto satis vulgari (cf. Matthiae ad Cic. or. pro Rosc. Amer. c. 33, 92.) distinguebant: *Quid? fama et laus cuius artis*, qua quidem distinctione non opus est, [neque sequutus est eos I. Bekker.]. Ab Lipsio et Pithoeo scriptum est *quae fama et laus cuiusvis artis*, quod ab sqq. ad recentissima usque tempora propagatum est. Maluere tamen nonnulli corrigere, ubi nihil est mendosum. Sic ab Acidalio desiderabatur transitiva particula, quare *iam quae fama* scribebat; Schurzfleisch. coniiciebat: *quid? fama an laus cuiusvis artis*, praeferebat tamen *et quae fama et laus cuius artis*, quod *et* particula deleta in textu posuit Orellius [adsentiente Boettichero]. Seebod. denique malebat in ed. altera: *quid? quae fama* etc.

qui non illustres in urbe solum etc. Magna est diversitas scripturae in codd. et edd. antiq.; *qui non illustres et in urbe non solum* MS. Neap. — [*qui non illustres et in urbe nosdum*, obscurioribus litteris *um* MS. Farn. teste Bekker.] — *qui non illustres et non in urbe solum* MSS. Vatt. 1862. et 4498. — *non illustres et non solum* MS. Vat. 1518. — *qui non illustris et in urbe solum negociosos* ed. Spir. — *qui non illustres in urbe solum* primus dedit Puteolanus et sic post eum omnes. Cui scriptu-

quibus modo recta et indoles est et bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos saepius vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntis nomine vocat et digito demonstrat?

rae adversari videtur, quod verbis *in urbe* in sequentibus nihil oppositum sit ideoque ea langueant, itemque quod *sunt* post *qui non illustres* omissum est. Quare coniecturis locum emendare studuerunt nuperrimi editores, quorum chorum ducit Osannus coniiciens: *qui non illustri sunt nomine in Urbe solum* etc., quae coniectura tam infelix est, ut ei, quod Aper vult, plane contrarium exprimere videatur, et inanem proferat tautologiam, quum seqq. *quorum nomina* etc. eandem contineant sententiam. Orellius legendum suadet: *comparanda est? Quinam illustriores in Urbe, et non solum apud negotiosos et rebus intentos* etc., quod non convenit scripturae antiquitus traditae. [Boetticher.: *Qui tam illustres in urbe, non solum apud negotiosos et rebus intentos* etc.] Placetne emendare: *qui illustres et noti non solum apud negotiosos et rebus intentos*; solet enim Noster plura eiusdem notionis vocabula iunctim exhibere ad rem amplificandam, ut paulo post *iuvenes et adolescentes*, c. 8. *numen et coelestis vis*, ibid. *divitiae et opes;* cap. 9. *carmina et versus;* cap. 10. *opinio ac fama*, aliaque, quae suo loco indicabimus.

quibus modo recta et indoles est et bona spes sui. Sic MSS. Neap. [Farn. apud Bekk.] et Vaticc., ex quibus inde a Broterio Oberl. Osann. Dronk. Orell. (sed ii omisso *et* ante *indoles*) [Bekker. et Boetticher.] receperunt. — *quibus morum et indoles est* edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Pithoe., quod *et* deleto servarunt Lips. Bernegger. Gronov., qui eam lectionem locis adlatis similibus firmare studet. Ferri potest, sed nolumus sperni meliora illa, quae codd. praebent. Seebod. scribebat in ed. pr. *quibus et morum indoles est.* Quod Lipsius in edit. Romana se repperisse testatur *quibus maior indoles est*, id probarunt Schurzfleisch. Heumann. et Schulzius; indeque Acidal. et Schelius hauserunt coniecturam *maiorum indoles*, quam in edit. altera posuit Seebod. Muretus coniiciebat: *quibus modo et indoles est;* Bipont. *quibus modo rectior indoles est.* Non opus quicquam mutari. Cum verbis compara Plin. Epist. 6, 11, 1. *audivi ex diverso agentes summae spei, summae indolis iuvenes duos.*

quos saepius vulgus quoque imperitum. *Quoque* addendum putavi ex MS. Neap. [quocum facit Farn. Bekk.]. In ed. Spir. vitiose expressum est *quo saepius vulgus quos imp.*, quo testimonio augetur codd. auctoritas. Uti h. l., ita et Agric. c. 43. legitur: *vulgus quoque et hic aliud agens populus.*

tunicatus hic populus. Designatur multitudo ex infima plebe, inerudita illa, quibus sufficiebat tunica, ubi in publicum prodiebant. Cf. Ernest. Clav. Cic. v. *tunicatus.* Sic Horat. Epist. 1, 7, 65. *tunicato popello;* Quint. Inst. or. 2, 12, 10. *pullatum circulum*, idem 6, 4, 6. *pullatae turbae;* Plin. Epist. 7, 17, 9. *nam illos quoque sordidos pullatosque reveremur;* Suet. Aug. c. 40. *pullatorum turbae.* Spalding. ad Quint. T. I. p. 327.

transeuntis. Sic scripsimus ex edd. antiquis, in quibus *transeuntis* et *transeunteis* reperitur. — Pro *vocat* ed. Spir. *vetat.*

digito demonstrat. Natum hoc proverbiale dicendi genus ex eo, quod de Demosthene narratum est

advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem adtigerunt, requirunt ac vultus adgnoscere concupiscunt.

VIII. Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus esse in extremis partibus

ab Lucian. Somn. §. 11. extr. Anachars. §. 36. Cic. disp. Tusc. 5, 36, 103. Plin. Epist. 9, 23. Pers. sat. 1, 29. *at pulchrum est digito monstrari, et dicier: hic est.*

adtigerunt. Ed. Spir. *attingerent.*

vultus adgnoscere. Corrupta est MSS. Neap. [et Farn.] lectio *ac velut*, uti et ed. Spir. perperam exhibet *vult*, quod recte a Puteolano correctum est in id, quod hodie vulgatur. Supersedere potuit Dronk. sua emendatione *vultus cognoscere.* [Num codd. script. *ac velut adgn.* haec sententia subest: peregrini effigiem aliquam oratorum ex rumoribus ad se perlatis finxerunt, quam, posteaquam in urbem advenerunt, adgnoscere student?]

Cap. 8. *Marcellum hunc Eprium.* Pro *Eprium* in MS. Neap. exstat *e pioprium*, [in Farn. apud Bekk. *proprium*], ed. Spir. exhibet *Marcelum habẽ proprium*, quod bene Pueolanus et sqq. correxerunt in scrpturam nunc vulgatam. Quid melus Osannus exspectet, omnino nonliquet.

Crispum Vibium. MSS. Neap. [et Farn.] *vibum* — ed. Ald. *Ubiun* — edd. Spir. Put. sqq. *Vibium.* Frequens autem in hoc nomine librariorum error, ut demonstravinus ad Hist. 4, 41. extr. Vide de hoc homine ditissimo, qui inter caros magis quam inter bonos nunerabatur, Tacit. An. 14, 28. Hist. 2, 10. 4, 41. 43. Suet. Domit. c. 13., de eloquentia eius infra cap. 13. Quint. Inst. or. 10, 1, 119. *et VibiusCrispus compositus et iucundus et delectationi natus; privatis tamen causis quam publicis melior*, quibuscum conf. quae idem dixit 5, 13, 48. 8, 5, 15. 17. 12, 10, 11. Spalding. ad Quint. T. II. p. 384.

novis et recentibus. Lipsius margini adscripsit *notis*, offensus fortasse synonymorum cumulatione. Sed cf. not. ad c. 6. *novam et recentem.*

non minus esse. Sic MS. Neap. [de Farn. tacent et Lips. et Bekker., sed is consentire videtur] et edd. antiquae, Lips. Pithoe. Bernegg. Gronov. Seebod. pr. [Bekker. et Boetticher.]. Aut ex antecedentibus *auditos* cogitatione supplendum est, id quod Pichen. suasit, aut per se explicanda locutio cum C. Barthio l. l., ut sententia sit, viros clarissimos cum gloria velut praesentes etiam extremis gentibus sisti, [vel, quod eodem redit, cum Boettichero *esse* pro *versari*, *vivere* accipiendum et interpretandum est: *ihre Existenz sei dort eben so bekannt*, *wie* etc.]. Non igitur opus est correctionibus; excidisse enim aliquid censebant Lipsius et Ursinus, quorum prior verum restituisse sibi videbatur addito *notos*, ut esset *non minus esse notos*, quod placuit Heumann. Schulz., quodque uncis inclusum in textu collocarunt Seebod. edit. alter. Osann. et Orell. Ursino praestabilius videbatur *notos esse*, quod Dronk. recepit. Schelii coniecturam *non minus nosci* comprobaverunt Oberlin. Bekk. Lünem. [Rup.]; Wopkensio in mentem veniebat *innotuisse*; quod Barthius excogitavit *non mi-*

terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. nec hoc illis alterius ter millies sestertium praestat (quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse), sed ipsa eloquentia, cuius numen et coelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla

noris esse plausum tulit Rutgersii, Schurzfleisch. et ed. Bipont.

nec hoc illis alterius ter millies sestertium praestat. Talis est scriptura MS. Neap. edd. Spir. Put. (in qua *milies* exstat. cf. not. ad An. 11, 5.) Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Bernegg. Gronov., quam Schulz. [Bekk. Boettich. et Rup.] servarunt. Sententia est: Summam gloriam et nominis in omnibus regionibus claritatem oratores non debent divitiis suis, *hoc*, i. e. famam, *illis*, qui eloquentia excellunt, *non praestat alterius* h. e. aut Vibii Crispi aut Eprii Marcelli, quorum alterum non sine vi aliqua singulari ditissimum fuisse indicatur, *ter millies HS.* Vernaculo sermone: *Und diefs gewähren ihnen nicht die dreihundert Millionen Sesterze des Einen* etc. Sed hoc non sufficiebat criticis, qui mutilatum esse hunc locum audacter adserebant. Sic Lipsius orationis membrum, quo alterius quoque divitiae designarentur, desiderans hanc formavit periodum in ed. Antverp. a. 1574.: *nec hoc illis, alterius ter millies sestertiûm, alterius ** praestat*, quod adprobarunt Acidal. et Heumann. Sed in edd. posterioribus asteriscorum loco posuit *bis millies HS.* Inverso ordine eandem sententiam expressit Pichen., a quo scriptum est: *n. h. illis alterius bis, alterius ter mill. s. p.* [quocum ex parte saltem facit Boetticher., qui *nec hoc illius bis, alterius t. m. s. pr.* scribi vult]. Id liquet sane, certi aliquid proferri non posse, quum de utriusque divitiis non constet; circumvagandum igitur erat. Ad lacunam indicandam alii quoque interpr. asteriscis usi sunt, ut Pithoeus, qui inter *illis alterius* eos posuit, et Orellius, in cuius exemplari typis descriptum est: *nec hoc illis alterius ter mill. sest. ** praestat.* Alii ad coniecturas recurrere malebant. Rud. Agricola apud Lipsium corrigebat: *nec h. illis utriusque t. m. HS. praest.*; Barth. Advers. l. XLIV. c. 8. praeferebat: *n. h. illis alterive t. m. sest. pr.*, quod placuit vehementer Ernest. (*alterisve* quoque proponenti), Seebod. (ed. pr.) Dronk. Osann. et Steubero in Iahn. Annal. phil. et paedag. a. 1830. T. XIV. fasc. 3. p. 259. Qua in lectione is solvendus est nodus, quis tandem sit *alter* ille, quem cum *illis* i. e. Eprio et Vibio coniunxerit scriptor. Duri aliquid inest et coacti. Eodem vitio laborant reliquae correctiones, quae ne latinae quidem sunt satis, velut Huetiana a Broterio adoptata *illi alterive*, Schultingiana *illi aut alteri*, Rutgersiana *illis alterutrius*, et, quam de la Monnoye excogitavit, *n. h. illis ulterius.* Temere omisisse Freinshemius *alterius* putandus est. Novo quodam artificio sententiam extricarunt edd. Bipont. eosque sequutus Oberlinus, quae universo huic loco neutiquam convenit: *nec hoc illis* (Eprio et Crispo) *saltem ter millies sest. praestat* (h. e. potius est) ... *ipsa eloq.* (h. e. quam ipsa eloquentia). Verborum distinctionem meliorem instituerunt Lipsius cum Pithoeo, quum in edd. vetustis fuisset: *nec ... praestat: — venisse. ipsa eloq.* Iidem viri doctissimi *sed* ante *ipsa* inserendum esse necessario, perspexerunt, quod deinde Frensheim. Ernest. Schulz. Seebod. Osann. Or. [Bekk. et Boett.] receperunt, sed Orell. [et Bekk.] uncis circumpositis.

omnibus saeculis. MS. Neap.

edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. Nam quo sordidius et abiectius nati sunt quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes

[et Farn.] *hominibus seculis*, quae quidem commutatio frequentissima, uti *homines* et *omnes*, *hominum* et *omnium* (Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 394. a.). — Pro *exemplu* ed. Spir. *exemplo*.

ad quam usque fortunam. Ita MSS. Neap. [Farn.] Vaticc., unde sic scripserunt Dronk. Osann. [Bekk. et Boettich.]. Orellio necessarium non videtur, scilicet ignorabat is codd. scripturam. Reliquae edd. consentiunt in *quantam*.

sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. Haec omnia, inquit Lipsius, a veteri libro sunt (Farnesianum intellige codicem), quocum, ut alias fere semper, consentit Neapolitanus cod. Sententiam habes hanc: haec exempla, quae commemoravi modo, Marcelli Eprii et Vibii Crispi *proxima* sunt, tempore scilicet, nostra aetate occurrerunt, ideoque talia, quae non aliunde cognovimus fandoque tantum de eis accepimus, sed coram sunt atque ob oculos versantur. Sic demum coniunctivus, quem non codices solum, sed etiam ed. Spir. praebet, recte defendi potest. Cf. Orell. ad h. l. et ab eo laudatum Doederlein. Mus. Rhen. III, 1. p. 19. Recte igitur eam scripturam in textu posuit Orell. [et post eum Bekker. et Boettich.]. Coniunctivum vero, ut elegantiorem et ad Apri mentem accommodatiorem dudum receperunt Lips. Bernegger. Gronov. aliique nonnulli. In tali dicendi genere lubenter coniunctivum usurparunt veteres, ut infra c. 40 *de re loquimur, quae probitate et modestia gaudeat*, Germ. c. 18 *accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursus quae ad nepotes referantur*. An. 2, 88. *liberator haud dubie Germaniae et qui non primordia pop. Rom. ..., sed florentissimum imperium lacessierit*. Dronkium, *habeamus* flagitantem, meliora doceat Zumpt. gr. lat. c. 76. §. 514. — Mirum in modum corruptae sunt edd. vetustae; ed. Spir. (quod in compluribus esse falso tradit Osann.): *sed habet, ut s. d., propriam et quę non auditu cognoscēda, sed oculis expectanda haberemus*. — Edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald.: *sed habet, ut s. d., propria et quae non cognoscenda, sed oculis expectanda habemus*. Reliqui interpr. Lipsium sequuti sunt, alii, ut Oberlin. eumque seqq. *propria* retinentes, alii, ut Seebod. Schulz. Dronk. Osann. et multi alii, indicativ. *habemus* tuentur. Singulos percensere nil attinet; erroris tamen arguendus est Seebod., qui *haberemus* vulg. lect. vocat, *habemus* Acidalio tribuit; itemque Dronk., qui nescit unde coniunct. ortus sit.

sordidius et abiectius. Contrarium *splendide nata* et *natus splendide* est in Plin. Epist. 6, 33, 2. 7, 22, 2.; *sordida et abiecta* Quint. Inst. or. 2, 12, 7., *abiectum et sordidum* Tacit. An. 13, 46.

quoque. MSS. Neap. [et Farn.] *quosque*.

angustiae rerum. MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] Vaticc. et edd. Spir. cum Lipsii Romana praebent *angustia ereptum*, quod cum non intelligerent, a Puteolano inde edd. mutarunt in *angustia rerum*, quod inter recentiores retinuerunt Oberlin. Osann. Orell. [Rupert.]. Sed

eos circumsteterunt; eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt; quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis ac, donec libuit, principes

nolim hoc firmatum esse ab nonnullis An. 4, 72., ubi insolentius dictum est: *tributum iis Drusus iusserat modicum pro angustia rerum.* Bene correxit Lipsius *angustiae rerum*, eumque sequuntur Schulz. Seebod. Dronk. [Bekk. Boettich.], quod et mihi praestabilius videtur, tum quia codicum corruptorum, ut adparet, scripturam exprimit accuratius, tum quia verbum sequitur plurali numero positum *circumsteterunt.* Alias enim Tacitus singularem usurpat numerum, ubi eodem numero exhibentur nomina substantiva, ut cap. 10. *nec opinio quidem et fama .... aeque poetas quam oratores sequitur.* Et solet Noster *angustiae* frequentare, cf. An. 3, 22. *paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam*; ib. 2, 38. *avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens.* Rud. Agricola coniiciebat *angustia parentum*, quod non latinum esse nescio quo iure contendat Orellius; idem excogitavit *angustia penatum*, quod non solum reconditius est, sed durius etiam, quam quod probetur. — In seqq. *et* ante *ad demonstr.* omisit ed. Iunt.; pro *utilitatem* Acidalio placebat ponere *nobilitatem*, quia transierit scriptor ad exponendam eloquentiae dignitatem. Sed omnia, quae persequitur scriptor, pertinent ad utilitatem, et ipsa illa dignitas utilitatis pars est. Praeterea pro *quod sine* Heumann. malebat *qui sine* etc., idonea causa nulla.

substantia facultatum. Minus latinum hoc esse dicit Ernestius, cuius aures Ciceronianae dictioni magis erant adsuetae quam Tacitinae. Nam *substantia*, vocabulum posterioris demum aetatis (cf. Spalding. ad Quint. Inst. or. 6. pr. § 7.), idem fere significat quod Graecorum *οὐσία.* Eadem igitur utriusque vocabuli h. l. coniuncti est significatio, quod neminem offendere potest, quia, ut Wopkens. inquit, eo maxime tempore usitatum fuit, ut duo nomina aequipollentia coniungerentur. Noli mutare cum Hofmann. Peerlk. *sine abundantia facultatum*, quae coniectura locis ab eo collatis (supra c. 6. *in summa rerum omnium abundantia*, et Agric. c. 6. *modo rationis atque abundantiae*) firmari nequit. *Abundantiam* dici posse quis dubitat. — *habitu corporis* cf. Germ. c. 31. Agric. c. 11.

potentissimi sunt civitatis ac, donec etc. Depravatae sunt edd. antiquae, in quibus *potentissimi.. ac donec* etc. impressum est, spatio ad lacunam indicandam relicto. Quam fide Farnesiani codicis explevit Lipsius in modum hodie vulgatum. Distinctam illam libri vetusti commemorationem, utpote in posterr. edd. a Lipsio suppressam, ignorantes nonnulli coniecturae tribuere malebant, quod auctoritate stabilitum erat amplissima. Quapropter Agricola substituit *in iudiciis*, Nic. Heinsius pro *civitatis* corrigendum censuit *centunviratu* vel *centumvirali;* Osannus denique verba omisit denuo, et quia contra edd. antiqu. Lipsianam emendationem in textu ponere nefas ducebat, et quia a sententiam inepta ea esse opinabatur. Neminem enim, contendit, potentissimum esse civitatis praeter

fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur: quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intelligit, ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint quaeque

unum principem, turbari deinde singulorum membrorum gradationem, quam spectaverit scriptor, si laudem maiorem summae in civitate potentiae excipiat minor illa principatus fori et amicitiae Caesaris, denique concinnitatem enuntiati deleri saepius repetito *sunt*. De eo, quod primo loco posuit, actum est; de secundo paucis demonstrandum Osanno, per *civitatis potentissimos* indicari eos viros, qui inter reliquos cives eloquentia sua dignitatem et potestatem nacti sunt; eosdemque, quia dominentur in foro, a principe diligi et coli prae ceteris. Tertium illud non negaverim, sed contra codicc. auctoritatem omitti nequit [, at omis. Rupert. Pro *ac* e cod. Farn. I. Bekker. cum Boettich. scripsit *et*, quod recipiendum.] Heumann. delevit *sunt*, quoniam non amplius sint, sed fuerint, donec libuit; nugas is agere videtur.

agunt feruntque cuncta. Insolitam formulae huius significationem agnovisse sibi videbatur Ernestius, ex quo aut excusarunt aut vituperarunt et correxerunt scriptorem interpretes. Notum est, *agere et ferre* dici a latinis, ut a graecis *φέρειν καὶ ἄγειν* (de quo cf. Bähr. ad Plutarch. Pyrrh. p. 116. et indic. v. *ἄγω*, interpr. ad Thucyd. 1, 7.) in malam partem de raptoribus, spoliatoribus. Vide Drakenb. ad Liv. 33, 13, 10. Stroth. ad eundem 3, 37. Tale quid ab h. l. alienum est, cum significare voluerit potius, per illos viros civitatem regi et administrari. At subest vituperationis nota, si cum Orellio explicueris, ut explicandum est, „pro suo arbitratu iuste iniuste, clementer severe, in omnibus rebus agunt." Non enim id solum indicat scriptor, quod G. Iacob. apud Dronk. p. 245. vult et in Quaest. Lucian. spec. I. p. 15., illos omnes, licet invitos, in sui admirationem rapuisse. Supersedere igitur possumus correctionibus et Schneideri observv. in Tacit. et Sallust. p. 5. *agunt geruntque cuncta* i. e. totam civitatem administrant, quam arripuit Moserus in Annal. Heidelberg. l. l., et Hofmann. Peerlkamp. *agunt reguntque cuncta*, cui stabiliendae non sufficiunt, quae cap. 36. leguntur: *cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent*.

patientissimus veri. Sic MSS. Neap. [et Farn. apud Bekk.]; primus correxit Lipsius e Farn. libro, ut videtur, eumque sequuntur Pithoe. Bernegg. Schulz. Seebod. Orell. [Bekk. Boettich. Rupert.]. Verissime, nam Vespasianus cogitandus est ob insignem virorum doctorum amorem pluribus exemplis contestatum non aegre ferens tales sermones de virorum doctrina excellentium praestantia. Prorsus refutanda edd. ant. scriptura *patientissimus vir*, quam Ernest. Bipont. Oberlin. Seebod. (ed. pr.), Dronk. et Osann. revocarunt, quia *patiens* absolute sic dici posse persuasum habebant. Acidalius coniiciebat *sapientissimus vir*; Heinsius pro corrigendi prurigine proponebat vel *paci intentissimus vir* vel *attentissimus iuri* vel *attentissimus p.* (i. e. *publicae*) *rei* vel *patriae attentissimus rei.* — Pro *Vespasianus* in ed. Put. h. l. et c. 9. 17. legimus *Vespesianus* — praeterea MSS. Neap. [et Farn.] *et ceteros* exhibent cum ed. Spir.

iis niti. Inverso ordine scripsimus haec e MS. Neap. — edd.

ipsi adcumulare et in alios congerere promptum est: Marcellum autem et Crispum adtulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur tam Hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies, qui vituperet quam qui fastidiat. his igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.

IX. Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitates alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa

vett. omittunt *iis*, quo aegre careamus; quare Lipsius iam adposuit post *niti*, eique obsequuti sunt editores deinceps omnes. — Paullo post MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. cum edd. antiquis vitiose praebent *ipsis*, quod Lipsius recte mutavit in *ipsi*, de Vespasiano enim accipiendum est. — Praeterea pro *quod ... acceperint* in ed. Spir. exstat *quid*, facili errore, si litterarum compendia reputaveris.

imagines ac tituli. Sic MSS. Neap. et Farn., ex quo emendavit Lipsius vitiosam edd. antiqu. lectionem *imagines Attali* vel, ut in ed. Spir. expressum est *attali.* Cf. Lips. Antiq. Lect. I, 16. Indicatur vero et ius imaginum, nobilioribus tantum concessum, et indices honorum rerumque gestarum, qui in statuis, monumentis sepulcralibus et in ipsis aedibus affigi solebant. Sic infra c. 11. *aera et imagines.*

quam qui fastidiat. Id praebent MSS. Neap. et Vaticc. [de Farn. tacetur] ed. Spir. (falsus est enim Dronk.), receperunt Ernestius recentioresque omnes. Idem pridem proposuerat Muretus. Edd. a Puteolani inde Veneta usque ad Ernest. omittunt pronomen relativum, male. cf. infra c. 12. *plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detractent.*

ab ineunte adolescentia. MSS. Neap. [et Farn. apud Bekk.] *ab ineunte aetate adolescentia*, addidamento inepto.

Cap. 9. *carmina et versus.* Synonyma, ut cap. antecedenti: *numen et coelestis vis* et: *divitiae et opes*, a quibus ταυτολογίας suspicio removenda est.

utilitates alunt. Haeserunt in his vv. Barthius, qui Advers. XLIV., 25. p. 2038. legi vult: *utilitate se alunt*, ut sit: non tantum praemii auctori referunt, quantum in ea sumptus facere necesse est; nostratium: *sie verinteressiren sich nicht.* Gutmannus malebat: *utilitates addunt*, quorum verborum sententia eadem est, ac quae vulgata scriptura exprimitur. Poetam nihil commodi sibi parere ex versibus faciendis, significat scriptor. Insolentior videbitur numerus pluralis, sed eo posito orationi maiorem vim conciliare student

et quae deinde dicturus sum, aures tuae, Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? quis Saleium nostrum, egregium poetam, vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem deducit aut salutat aut prosequitur? nempe, si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret,

scriptores et graeci et latini. *Utilitates* non solum apud Ciceronem et Quintilianum exstat, quos Dronk. adtulit, sed apud Tacitum etiam An. 1, 10. 59. al.

deinde. MS. Vat. 1862. *deinceps.*

Materne. Edd. pleraeque exhibent *o Materne*, quod, a Bipont. Schulz. Oberl. omissum, revocarunt Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Rupert.]; malui omittere, quia non exstat exclamatio in MS. Neap. neque eam ut ponamus cogat necessitas aliqua. [Item om. Boett. et I. Bekk., qui e Farn. cod. *maternae* adfert.]

cui bono est, si. Sic MSS. Farn. (test. Lips.) et Neap. et edd. a Lipsio omnes. — *Crebro est, si* edd. Spir. Put. Ber. Riv. Alc. — *Crebro etsi* edd. Rhenan. et Seebod. (ed. pr.), qui eodem implicitus tenetur errore, quo Osann. et Dronk., Lipsianam emendationem e coniectura ortam esse; qua opinione Osann. deceptus est sic, ut eodem iure *cui prodest, si* corrigendum suadeat. Tu vide Ciceronem pro Milon. c. 12.: *itaque illud Cassianum, cui bono fuerit, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo,* et adi interpr. ad Cic. Agrar. II, 2.

defensus et tibi obligatus. Copulam *et* ante *tibi* male neglexerunt Bipont. Schulz. Oberl. Lünemann., sed recte eam libris et manu exaratis et impressis stabilitam revocarunt recentiores. cf. Plin. Paneg. c. 28, 2. *populusque Romanus obligatus a tribunali tuo, non exoratus recessit.*

Saleium nostrum, egregium poetam. Sic leg. pro inepto isto per tot libros vulgato, *S., nostrorum egregium poetam. F. A. Wolf.* Vermischte Schrift. p. 163. Scilicet tres edd. Ernest. Schulz. Bip. vitiosam illam lectionem exhibuerant.

si amicus eius ...., si denique ipse in aliquod etc. Discrepant in hoc loco edd. antiquae, quibus nimiam fidem tribuerunt recentiores nonnulli. Edd. ante Lipsium omnes omiserunt *eius*, quod ex Farn. cod., cui adsentitur MS. Neap., induxit Lipsius et deinceps omnes praeter Seebod. (ed. pr.) Dronk. Osannum, quibus vix necessarium videbatur. In sqq. ed. Spir. praebet *si denique in aliquod*, edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *si denique aliquis in aliquod*, quae codd. auctoritatem sequutus Lipsius refinxit in id, quod postea vulgarunt omnes et quod nos recipiendum duximus. Cogita eum, qui pro amico, propinquo, denique pro se ipso in causis agendis consulit oratorem eiusque opem implorat. Schurzfleisch. volebat *si denique alius*, sed fortius est, quod vulgata indicatur.

recurret. Sic libri omnes, et quidem recte. cf. Quint. Inst. or. 1. pr. §. 17. *nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere;* Sul-

aut ad te, Materne, non, quia poeta es neque ut pro eo versus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi: quorum tamen hic exitus est, ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro

pic. Sever. dial. c. 8, 7. *tum Martinus recurrens ad nota subsidia;* Lactant. epit. c. 5. *testimonia ... praetermisi, quae si desideras, ad ipsos tibi libros recurrendum est*, quos duos locos excitavit Wopkens. Sed dubitavit de latinitate dictionis I. Fr. Gronovius, et *decurret* substituit, Heumanno patrocinante. Usurpatur autem eo significatu *decurrere* apud Iustin. 16, 3. 4. Curt. 6, 7, 27. 7, 1, 78. Plin. Epist. 10, 97. At vero non opus est emendatione, praesertim quum verba cum *re* composita simplicium vi ea aetate frequenter dicta sint.

aut ad te, Materne, non, quia poeta es. Sic MSS. Farn. Neap. ed. Spir. Lips. et edd. seqq. omnes praeter edd. Oberl. et Seebod. alteram, in quibus restitutum est, quod in edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Pithoe. exstat, *non ad te, Materne, quia poeta es.* Praeplacet codd. lectio, quia Maternum eloquentiae operam dedisse aliquando, sed maluisse versus facere ideoque eloquentiam omittere, pluribus contestatum est. Confugiunt ergo illi ad te, Materne, utpote oratorem, non quia poeta es.

hi enim Basso domi nascuntur. MS. Neap. *etiam* pro *enim* exhibere, ad me transscriptum est, errore aperto, si quidem ed. Oberlin., quacum ille liber collatus est, *etiam* praebet ad orationis vim augendam; codex igitur consentit cum edd. omnibus, quae *enim* servant. Seebod. ed. alt. corrigebat *hi enim etiam*, infelicissime. — *domi nascuntur* proverbialis loquutio est de iis, ad quae aliorum labore non opus habemus. Iam Ciceroni usitata est epist. ad div. 9, 3, 6. *sed quid ego nunc haec ad te, cuius d o m i n a s c u n t u r;* epist. ad Attic. 1, 19. *quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, cum haec d o m i n a s c a n t u r;* Plin. Epist. 6, 6, 6. *primus etiam et cummaxime n a s c e n t i b u s meis opusculis interest;* 8, 4, 6. *sic ut erunt recentia et rudia et adhuc similia n a s c e n t i b u s.* Cfr. Interpr. ad Plaut. mil. glor. II, 2, 36. Burmann. ad Petron. c. 38. p. 161. Heusing. ad Cic. de offic. p. 263. — *pulchri quidem et iucundi.* cf. Plin. Epist. 7, 20, 2. *o iucundas, o pulchras vices.*

excudit. Sic MSS. Farn. (t. Lips.) et Neap., edd. Pithoe. Heumann. Orell. [Bekk. Boettich. Rupert.]. Dicitur enim *excudere*, metaphora ab operibus artis ducta, pro: *componere, cum meditatione et accurate effingere* (cf. Orell. Prolegom. p. XLIV. sq.), velut apud Cicer. ep. ad Att. 15, 27. (non 12., ut apud Orell. expressum est): *excudam aliquid Ἡρακλείδιον, quod lateat in thesauris tuis*; Plin. Epist. 1, 3, 4. *effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum;* Salvian. praef. ad opus de gubernat. dei: *ut aliquod limatum opus studio ingeniorum excuderent.* Minus apta Lipsii est emendatio *extudit*, quod quidem non raro confusum est a librariis cum *excudit*, ut Heinsius ad Ovid. Amor. 3, 5, 34. demonstravit, quodque transfertur, ut Spalding. ad Quint. Inst. or. 1, 3, 6. inquit, a sculptore, qui innumeris scalpri ictibus e rudi marmore Deum aliquem extundit. velut apud Virgil. Georg. 1, 133. 4, 315. Gell. 17, 2.

et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire: et ne id quidem gratis. nam et domum mutuatur et auditorium exstruit et subsellia conducit et libellos dispergit: et ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam

Quapropter adprobatum est illud ab iis, qui Lipsium sequuti sunt, et nuper a Schulz. Oberl. Seebod. Dronk. Osanno; sed reiicio, quia laboris et molestiae significatio, quae huic vocabulo inest, minus convenit, ubi scriptor de lusibus poematum loquitur. Edd. antiquae omnes consentiunt in *extulit*, quod insolentius dictum videtur.

elucubravit. Sic MSS. Neap. et Farn. et edd. post Lipsium vulgatae praeter Dronk., qui locis nihil probantibus edd. vett. lectionem *lucubravit* defendendam suscepit. Congruit tamen *elucubravit* cum *excudit*, diciturque id de ingenii monumentis, quae cum cura conficiuntur, ut apud Cic. Brut. c. 90. *orationem elucubrare.*

rogare ultro etc. Ab Augusti aevo percrebruit mos apud Romanos, ut scriptores ea, quae commentati erant, amicis, notis doctisque viris recitarent, eorum iudicia sciscitaturi. cuius moris auctorem ferunt Asinium Pollionem. De eis recitationibus cf. Gierig. ad Plin. Epist. Tom. II. p. 538.—545. Heinrich., comment. I. in Iuvenal. sat. p. 18. Weber, de poetarum Ro. recitationibus, Vimariae 1828. Weichert, *über das Leben etc. des Apollon. v. Rhodus* p. 18. 51. et quos laudat Thorbeckius de Asinio Pollione p. 107. Quantas molestias tales recitationes pepererint scriptoribus, quamque exigua earum fuerit utilitas et ad augendas litteras et ad famam singulis conciliandam, praeclare ob oculos positum est a Tacito et h. l. et infra c. 10.

auditorium. Ed. Put. praebet *adiutorium*, quem errorem edd. Riv. Ber. Alc. Rhenan. propagarunt; Nicol. Loënsis epiphyll. lib. IX. c. 5. *adiuturium* se emendare profitetur. Sed cf. c. 10. *ab auditoriis et theatris.* — In antecedd. pro *cogatur* ed. Spir. *cogantur.*

et ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur. Copulam *et* in edd. vett. neglectam ideoque ab Dronk. et Osanno iterum deletam, addidit e cod. Farn., quocum MS. Neap. facit, Lipsius, eumque sequuti fere omnes. — Ab eodem viro correctum est edd. vett. vitium alterum *recitatione* in *recitationem*, et negligenter tantum in nonnullis Lips. edd. typis exscriptum est *recitationum.* Ad loquutionem cf. Plin. Epist. 10, 9. *deosque . . precor, ut omnes cogitationes tuas tam laetus sequatur eventus; beatissimus* enim dicitur pro laetissimo, fortunatissimo, ut apud Cic. Tusc disp. 5, 12, 34.

omnis illa laus. MS. Vat. 1862. *omnis ista laus*, quod festinantius probarunt Seebod. Dronk. et Osann.

velut in herba vel flore praecepta. Sic e MS. Farn., quocum facit Neap., Lipsius et recentiores plerique. *praecepta* i. q. ante capta, festinantius capta, priusquam maturuerint; qua de vocabuli vi dubitari nequit, noverat eam et exempla multa collegerat B. Rhenanus in thesaur. locut. Tacit. p. 17. sq., cfr. praeterea Heinsium ad Ovid. Heroid. 17, 107. et ad Valer. Flacc. 4, 751., Boetticher. Lex. Tacit. p. 366. In edd. antiquis exstat *percepta*, saepius id commutatum cum *praecepta*, ut apud Plin. Ep. 10, 79, 2., quo loco nonnulli hoc adspernati sunt. Ingeniosa est coniectura Schelii *prae-*

pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium pro-

cerpta legentis, quod apud Plinium reperitur Epist. 5, 20, 8. *ne gratiam novitatis et florem . . . . epistolae loquacitate praecerpam;* Paneg. 58, 5. *praecerptum praefloratumque;* Quint. Inst. or. 4, 5, 4. *omnis . . gratia novitatis praecerpitur.* At sententia neutiquam diversa est ab ea, quae codd. lectione continetur. Idem contendo valere de coniectura Hofmann. Peerlkamp. *intercepta; intercipitur* enim, quod in medio capitur nec pervenit ad destinatum sibi locum. cf. Ovid. Metam. 8, 292. 15, 113. Ruhnken. dict. in Terent. p. 92. — *In herba vel flore esse* proverbii in modum dicitur pro: nondum res matura est; dictione a frumentis sumpta, quae germina mittere coeperunt. Oudendorp. ad Caes. B. C. 1, 48. Gronov. ad Liv. 25, 15. Interpr. Ovid. Her. 17, 263.

aut clientelam. aut om. ed. Iunt.; pro *volucre* ed. Put. *voluere*; pro *sestertia* MS. Neap. *sextertia* (ut ed. Spir.) semper.

mansurum. Participia futuri activ. adiectivorum loco usurpantur, ut An. 4, 38. *pulcherrimae effigies et mansurae;* Hist. 1, 78. *nova iura ostentui magis quam mansura*, ibid. 2, 49. *sepulcrum exstructum est modicum et mansurum.* Sic infra c. 22. *firmus paries et duraturus*, c. 34. *magna et duratura eloquentiae fama.*

clamorem vagum. Vid. Quint. Inst. or. 10, 1, 17. *in lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor aut ille laudantium clamor extorquet.* Cf. Spalding. ad l. l. et Tom. II. p. 84. coll. Tom. V. p. 195. *Clamor* enim plaudentium est.

indulgentiam . . . mereri. mereri pro consequendo dictum exemplis docuerunt Dronk. ad h. l. et Spalding. ad Quint. Inst. or. 4, 2, 39. *Indulgentiam* intellige Caesaris gratiam et favorem; ita *indulgentissimus imperator* dicitur apud Plin. Paneg. c. 90, 4. pluribusque eiusdem Epistolarum locis a Dronkio collectis, quibus adde Epist. 10, 21, 1.; 56, 3.; 92.

si ita res familiaris exigat. Vide Quint. Inst. or. 12, 7, 9. *at si res familiaris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, ... patietur sibi gratiam referri.*

suum genium propitiare. Haec verba non reperiuntur in edd. antiquis, de glossemate igitur ea suspecta habuit Broterius, quasi talia unquam proficisci potuissent ab librariis, ineptis plerumque homuncionibus. Bene igitur factum est, ut ex codd. adderentur ea, quae orationi poetarum in morem amplificatae optime conveniunt. MSS. Farn. (teste Lipsio) et Neap. praebent *suum ingenium propitiare*, idem repperit Broter. in MSS. Vatt. 1862. et 1518. — *sive ingenium propitiare* MS. Vat. 4498.; quod negligere Seebodio, Dronk. et Osann. nefas videbatur. Sed, vere Orell. inquit, ingratum hoc et aperte falsum post illa: *indulgentiam principis ingenio mereri;* aeque enim is, qui ingenio suo principis indulgentiam meritus esset, dici poterat suum ingenium propitiasse. Recurrendum est ad palmariam Lipsii emendationem, a plerisque interprr.

pitiare, suam experiri liberalitatem? adiice, quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, „in nemora et lucos", id est in solitudinem, recedendum est.

probatam: *suum genium propitiare* [,quod falso opinatur Bekk. in Farn. exstare]. Fuit enim unicuique homini genius suus, cuius in tutela versabatur, quique una et nascebatur et moriebatur. Vide Interpr. Horat. Epist. 2, 1, 143. *Suum genium propitiare* dicitur is, qui non aliorum ope adiutus ad optima et summa quaeque tendit. Opposita haec sunt antecedentibus. Melius est, dicit Noster, sibi debere, quibus opus sit, quam ab aliorum, imprimis principis (per cuius genium iurare solebant Romani) liberalitate ea accipere. Quae si teneas accurate, cognosces, quam falsi sint Dronk. et G. Iacobus, qui in seqq. lectionem MS. Neap. edd. Spir. et reliquarum ad Lipsium *suam experiri libertatem* restituerunt pro Lipsiano *s. exp. liberalitatem*, quod venuste opponitur indulgentiae ex eaque ortae liberalitati principis.

deserenda. Ed. Put. *deservanda*, unde Schurzfleisch. *desertanda* coniiciebat, quod vocabulum fide caret ac testimoniis. MS. Neap. *deferenda*, et paullo post *ut quae*, uti ed. Spir. *ut que.*

in nemora et lucos. Quae vocabula etsi bene distincta sint (cf. Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 324. et Doederlein. Lat. Etym. et Syn. Vol. II. p. 90. sqq.), promiscuo tamen usu usurpantur nec raro leguntur coniuncta. Ita recurrunt cap. 12. init.: *nemora vero et luci et secretum ipsum;* Germ. c. 9, 5. *lucos ac nemora consecrant*, c. 10, 7. *iisdem nemoribus ac lucis*, c. 45, 9. *fecundiora igitur nemora lucosque*, al. Vide Burmann. ad Lucan. 1, 453. Brouckhous. ad Tibull. 3, 13, 5. Respexit haec verba Plin. Epist. 9, 10. *poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas.* Sententiam, secessu agresti et amoenitatibus ruris poeticum ingenium excitari et inflammari, scriptores Romani repetunt frequenter, velut Ovid. Trist. 1, 1, 41. *carmina secessum scribentis et otia quaerunt;* Plin. Epist. 1, 6, 2. 2, 2, 3. 9, 36, 6., et Horatius, cuius verba (Carm. 1, 1, 30. *me gelidum nemus . . . secernunt populo*, et Epist. 2, 2, 77. *scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes, rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra*) Nostro obversata videntur. Discrepat autem Quintiliani iudicium Inst. or. 10, 3, 22. sqq. *non tamen protinus audiendi, qui credunt, aptissima in hoc nemora silvasque; quod illa coeli libertas, locorum amoenitas sublimem animum et beatiorem spiritum parent. Mihi certe ... iucundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus.*

id est in solitudinem. „Quoties, A. Langius inquit p. 80. (p. XX. ed. Dr.), in haec verba incidi, toties mihi de glossemate, quod vel explicandi ista formula prodit, fuere suspecta." Sed ut eiusdem viri docti iudicium de An. 5, 3. improbavimus, ita hoc quoque improbandum est. Non cogitavit enim is de familiari sermone eiusque indole, qualem describere vult Tacitus, ubi verbosiores addere solemus, quae in pressa oratione rectius omittuntur. Quanquam additum *id est* glossemata plerumque prodit, ut apud Cic. Brut. c. 62, 222. *abducamus ex acie, id est a iudiciis*, tamen eadem formula vis quoque adiicitur orationi. Cf. Valcken. diatr. in Eurip. XIX. p. 194. Oudendorp. ad Appul. Met. 1. p. 42. Ruhnken. ad Vell. 2, 23.

recedendum est. MS. Neap. edd.

X. Nec opinio quidem et fama, cui soli serviunt, et quod unum esse pretium omnis laboris sui fatentur, aeque poetas quam oratores sequitur: quoniam mediocris poetas nemo novit, bonos pauci. quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. quotusquis-

antiquae et nuper Seebod. Osann. Orell. [Boett. et Rupert.], quod bene defensum est a Wopkensio. Schelii coniectura *secedendum est* nititur aliis Nostri locis, ut c. 12. *secedit animus*, c. 13. *malo secretum et quietum Virgilii secessum*; An. 15,45. *longinqui ruris secessum*; et probata est ab Heumann. Schurzfleisch. Ernest. Schulz. Oberlin. Dronk. [Imm. Bekk.]. Speciosius id quam verius; nam eodem iure, quo *reponere* dictum est saepius pro *seponere* (cf. Boetticher. Lex. Tac. p. 409.), contendo *recedere* usurpari posse pro *secedere*. — *cedendum* in ed. Iunt. typothetae error est.

Cap. 10. *Nec opinio quidem et fama.* Sic expressum est in edd. vett. Lips. Pith. Bernegger. Gronov. al., ex quibus restituerunt nuper Dronk. Osannus, Orellius [Boettich. Rupert.], quos sequor. In edd. reliquis *ne opinio q. et f.* exstat, quod reiiciendum est, quia *nec ... quidem*, nostratium *auch nicht einmal*, melius inservit transitioni, quam, quod cum emphasi dicitur et excludendi vi, *ne ... quidem.* Et saepe *ne* et *nec* confusa sunt a librariis, cf. Drakenb. ad Liv. 1, 10, 3. Sed fuere, qui earum particularum usum fuisse apud Romanos negarent; quo iure docebunt Moser. ad Cic. N. D. 1, 15. [Beneke ad Cic. orat. Catil. p. 273. Beier. ad Cic. de off. 3, 4, 17. Goerenz. ad Cic. Acad. 2. §. 82. Ph. Wagner. not. crit. ad Virgil. Georg. 1, 126.]. Cf. not. ad An. 4, 35. — *Opinio* et *fama* synonyma sunt. nam *opinio* pro fama et quidem bona usurpari, notum est (vid. Spalding. ad Quint. Inst. or. 1, 2, 4. 2, 2, 16.), neque tamen Quintiliani demum aetate ea significatio invaluit, sed apud Ciceronem quoque (de off. 2, 9. 34. 39.), Caesarem (B. G. 7, 59.) aliosque reperitur. Intelligenda est opinio ingenii, non morum.

pretium omnis laboris sui. MS. Neap. *pr. omnes laboris sui* [ut in Farn. apud Bekk.] — ed. Spir. *pr. omnes sui labores fatentur:* — edd. reliquae *pr. omnis sui laboris fat.*, quam lectionem probo, verbis tantum ex MS. Neap. auctoritate transpositis. [Consentit Boettich.]. — In seqq. pro *aeque* MSS. Neap. [et Farn.] exhibent *atque*, ed. Spir. *ad quę*, quod aperte corruptum est. *Aeque* et *quam* aliis quoque Taciti locis se excipiunt, ut An. 2, 52.

mediocris. Revocavi hanc MSS. Neap. [Farn.] et edd. vett. ad Rhen. usque scripturam; *mediocreis* edd. Rhen. Lips. Pith. Bernegger.; non insolitae enim eae terminationes Tacito sunt. [Eadem nunc est apud I. Bekker. et Boetticher.].

recitationum fama. Edd. Spir. Put. et Riv. consentiunt in vitiosa lectione *narrationum fama*, quam falsam esse perspiciet, quicunque cap. anteced. Apri verba de poetarum recitationibus legerit.

penetrat? nedum etc. MSS. Neap. Farn. (teste Lipsio) *penetrat medium.* — edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. *penetrat metrum: ut* etc. — ed. Ald. *penetrat? nedum*, quod primus restituisse dicebatur Lipsius, quem posteriores sequuti sunt.

que, cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquar, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est: ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tanquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae: ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto: nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcunque

ne quid de Gallis nostris loquar. loquar scripsi e MS. Neap. [ut I. Bekker. et Boetticher. e cod. Farn.] — in reliquis libris *loquamur.* Praeterea supervacaneum est, quod Schultingius correxit, *Galliis,* probantibus Orell. [et Rupert.]. Bene se excipiunt nomina terrarum et gentium, ut An. 3, 2. *addito ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema .... munera fungerentur,* quem locum Dronk. contulit.

ut semel vidit. Hanc Acidalii coniecturam probarunt Heumann. Schulz. Oberlin. Bekker. Orell. [Boettich. Rupert.]. Recte, cf. Plin. Epist. 2, 3, 8. *Nunquamne legisti, Gaditanum quendam ... ad visendum eum* (T. Livium) *ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse?* ibid. 6, 20, 5. *amicus avunculi, qui nuper ad eum ex Hispania venerat, ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem v i d e t, illius patientiam, securitatem meam c o r r i p i t.* Corrupta est igitur codd. Neap. [et Farn.] et reliquarum edd. lectio *et semel vidit,* quam Dronk. et Osann. servasse miror.

oratorium ingenium. Id MS. Neap. edd. Pithoe. sqq. exhibent pro *oratorum ingenium,* quod in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Bernegg. al. exstat.

oblectare otium. Cf. Tacit. An. 12, 49. *cum ... iners otium oblectaret;* Plin. Ep. 1, 22, 6. *nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectat.* — Poetica est dictio *nomen inserere famae,* quam alias quoque Noster usurpavit, ut An. 6, 2. *dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit;* Hist. 2, 61. *Mariccus quidam .. inserere sese fortunae ... ausus est;* adde Plin. Epist. 7, 33, 1. ad Tacitum missa: *auguror, ... historias tuas immortales futuras: quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio.*

cothurnum vestrum. Sic MSS. Neap. (in quo, ut in ed. Spir., *coturnum* scriptum est) et Farn., ex quo Lipsius correxisse videtur edd. priorum scripturam *cothurnum nostrum,* quae a Dronk. et Osann. restituta est. Quod ab Apri ingenio alienum esse vident, qui non caecutiunt prorsus; is enim non tanti aestimavit tragicam poesim, quanti aestimabatur ab Materno aliisque.

et epigrammatum lusus. Copulam a MS. Neap. et edd. antiquis

aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adepturus in levioribus subsistis. ut, si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Ni-

omissam adposuit Acidalius, quem recentiores secuti sunt; poscit eam orationis concinnitas. Ed. Spir. *epigrammata.* — Paulo post pro omnium librorum lectione *habeat* Heumannus malebat indicativum *habet*, nulla cogente necessitate, ut hodie vel tironibus notum est. — Praeterea verba perperam distincta sunt in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc.: *anteponendam. Caeteris* etc., quod vitium a Rhenano sublatum est. — *Materne* ed. Spir. typotheta corrupit in *Materne.*

cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat. *Arcem*, pro quo edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent vitiosum *artem*, ab Rhenano repositum est, suffragante MS. Neap. Summum oratoriae artis fastigium et praecipua eius laus declaratur, ut apud Quint. Inst. or. 12, 11, 28. dictum est: *Cicerone arcem tenente eloquentiae*, et apud Tacit. An. 14, 31. *arx aeternae dominationis*, ad quem loc. vid. not. — *Ferat* tuentur MS. Neap. et omnes fere libri editi; et recte quidem, nam *ferre* absolute dictum est ab antiquis scriptoribus; id quod demonstrarunt Heinsius ad Virg. Aen. 2, 207. et Herzog. ad Caes. B. G. 6, 28., et Tacitus probat An. 2, 23. *postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat*; Frontin. Strateg. 2, 2, 12. *ab ea parte, ex qua decursus in aversam hostium aciem ferebat.* Quapropter noli cum Acidalio corrigere *te ferat*, quod festinantius in verborum contextu positum est ab Oberlin. et Seebod. ed. altera; neve cum Heumanno scribe *quem cum . . . . ferat*, neve ex pronomine possessivo *tua* coniice *te.* Nihil enim efficitur loco adlato e cap. 13. *me vero dulces . . . Musae . . . in illa sacra illosque fontis ferant*, et *tua* defenditur verbis, quae cap. 9. leguntur: *vis pulcherrimae naturae tuae*, ut animadversum est dudum a Wopkensio apud Orellium ad h. l.

errare mavis. Nulla opus est emendatione. nam recte explicuerunt interprr. „circumvagari infra arcem, in humilioribus." Reiiciendum est igitur Schelii *haerere*, Schurzfleischii *terram mavis*, qui arguti aliquid quaerit in oppositis *arx* et *terra*, ut summa quaeque et praestantissima opponantur humilioribus et levioribus; Schulzii denique *repere.* — In ed. Put. frequenti errore legitur *maius.*

summa adepturus. Probavi Acidalii emendationem, ab Orellio [Boett. et Rup.] praelatam scripturae in aliis libris vulgatae *adeptus.* Patebit enim accuratius sententiam consideranti, Apri mentem esse, Maternum tum quidem non iam consequutum fuisse summam oratoriae eloquentiae laudem; sed facultatem ei et spem eius acquirendae non deesse, ferri eum ad summum fastigium ipsa natura sua. Similiter Plin. Epist. 5, 9, 5. *summa consequuturus, si virtutes eius maturuissent.*

ac tibi. Edd. antiquae omiserunt *ac* copulam, quam ex cod. Farn., ut videtur, nam MS. Neap. quoque exhibet eam, interposuit Lipsius et deinceps omnes. Dronkius coniiciebat: *exercere honestum, et tibi*, qui si motus est ad

costrati robur ac vires dii dedissent, non paterer inmanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate iaculi aut iactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco: cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tanquam minus obnoxium sit offendere poetarum quam oratorum studium. effervescet enim vis pulcherrimae naturae tuae, nec pro amico ali-

corrigendum *ac* voculae repetitione auribus aliquantisper molesta, rectius iudicabit collato cap. 12. *Orphea ac Linum, ac si introsp.* (cf. not. ad eum l.) aliisque apud Orellium.

Nicostrati robur ac vires. Clarissimus is athleta, de quo Quint. Inst. or. 2, 8, 14. *at si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur: efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum.* Idem narrat Pausan. in Eliacis 5. c. 21, 5. Fuit is, auctore Luciano πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν c. 9., Isidoti filius, et palmam illam pancratii et luctae in certamine Olympico tulit Olymp. CCIV., quo anno victoriam collocavit Iulius Africanus. Alios, qui de eo exposuerunt, scriptores commemoravit Schulzius. — Synonyma *vires ac robur* iuncta ut Hist. 1, 87, ad quem loc. cf. not.

et ad pugnam natos. Et in Lips. edd. neglectum Acidalius restituit, neque tamen primus, ut Seebod. tradit, si quidem in antiq. edd. omnibus exstat. In eiusdem Seebod. ed. utraque expressum est *datos*, errore aperto. — Paulo post pro *sic nunc* ed. Spir. *sicut nunc* praebet.

ad vera proelia. cf. not. ad c. 37. extr. et Plin. Ep. 2, 3, 6. *Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta causa, ita res inermis, innoxia est: nec minus felix, senibus praesertim.*

ne ad illud quidem. Sic MSS. Neap. [Farn. apud Bekk.] et Vaticc., ex quibus restitutum est a Dronk. Osann. Orell. [Bekk. Boettich.]. In reliquis omnibus libris scriptum est *id* [,quod servavit Rupert.]. — Praeterea pro *confugere*, quod tenent edd. fere omnes, errore typothetae in Lipsii nonnullas edd. posteriores illatum est vitiosum *consurgere*, quod unus Seebodius propagavit, sed non monito lectore.

obnoxium sit offendere. MSS. Neap. [Farn. apud Bekk.] edd. antiquae omnes (praeter Spir., in qua *sicut offendere* exhibetur) et deinceps Lips. Bernegg. Gron. Seeb. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Rupert.]; quod recte dici iudicarunt Wopkens. ad h. l. et, quem is adduxit, Wasseus ad Sall. Catil. c. 24. Et vere illi; solet enim infinitivus poetico more coniungi cum adiectivis et participiis, ut Agric. c. 8. *peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere;* An. 14, 56. *factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis.* Tamen alii noluerunt infinitivum ferre, quare *obnoxium sit offensis* Rhen. Ald. Pithoe. Schurzfleisch. [et Boettich.] exhibuerunt, Acidalius *offensae* coniecit, Ernestio probatum, ab Heumanno, Schulzio, Oberlino receptum; Bipontini denique *offendini* maluerunt, quae vox pro *offensio* usurpata est apud Nonium 2. n. 602.

effervescet enim vis. Sic ed.

quo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendes. nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris aut elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. sentio quid responderi possit: hinc ingentis *ex his adsensus, haec in ipsis auditoriis

Spir., quacum facit MS. Farn., in quo satis frequenti commutatione exstat *effervescet enim ius*. Futurum praeferendum duxi propter sequens *offendes*. In aliis libris unanimi consensu scriptum est *effervescit enim vis*.

offendes. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] Vaticc. ed. Spir., ex quibus hanc scripturam asciverunt Osann. Orell., dum reliquae retinent, quod a Puteolano inde vulgatum est *offendis*. Habet sane, quo firmari possit praesens tempus, nam cap. 2. narratur Maternus Catonis suae recitatione potentium animos offendisse. Sed in universum haec verba accipienda sunt de omnibus tragoediis, quas in potentium offensionem Maternus scripturus est, et Catonis nomen pro iis omnibus positum est, quos Maternus in scenam traducere vult.

excusatur. Hoc Rhenano debetur, qui correxit edd. antecedentium errorem *accusatur*.

fortuitae et subitae dictionis. Cf. Cic. de orat. 1, 33. *subita et fortuita oratio*; Tacit. de Germ. c. 11. *nisi quid fortuitum et subitum inciderit*. Est oratio extemporalis, cui nulla praeivit cura et meditatio. Eodem significatu Atticis proprium est verbum αὐτοσχεδιάζειν, ceteris Graecis σχεδιάζειν, unde αὐτοσχέδιοι sive σχέδιοι λόγοι. vide Ernesti Lex. Technol. v. σχεδιάζειν et Wernsdorf. ad Himer. p. 21.

meditatus. Sic MS. Neap. ed. Spir. (sed interpunctionis signo post *impetu* omisso et post *videris* collocato (:)), quod amplexi sunt Lips. Bernegger. Gronov. Schulz. Osann. Orell. [Bekker. et Boetticher.]. Solet autem Noster eius generis particulas omittere, ut cap. 21. *haec ossa et haec macies probant. ipse mihi Calvus ... satisfacit*, et cap. 11. *arte quadam mitigavit*. Non opus est igitur supplemento: *impetu: at tu meditatus*, quo amplificarunt orationem Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Oberl. Bipont. Seebod. ed. pr. Dronk.; *et tu med.* Schurzfleischii commentum est; nec ullam video causam idoneam, quare adponendum sit cum Seebod. ed. altera *tu* ante *meditatus*, quod, quia *tu* ob praecedens *impetu* facile excidere potuerit, probarunt Osann. Moser. Annal. Heidelberg. l. l. p. 939. Orellius, [et in textu collocavit Rupert.].

aut elegisse. *Aut* additum e MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. [idem factum ab Bekker. et Boetticher., qui *et* vel *atque* aptius putat. Si quid video, *aut* corruptum est ex *at tu* et ab librariis negligentioribus alieno loco positum, ita ut Puteolani correctio hac vett. librorum scriptura bene defendi possit].

*hinc ingentis *ex his adsensus*. Locus varie tentatus accuratam lectionum discrepantium notationem flagitat, quare singula deinceps enumerabo. MSS. Neap. [et Farn. t. Bekk.] *hic ingentis ex his assensus*, idem in MSS. Vaticc. repertum est a Broterio et servavit ed. pr. Seebodius. — *hinc ingentis* (sive *ingentes*) *ex his assensus* edd. Spir. Put. Ber. Riv. Alc. Rhen. Ald. Lips. Pithoe. Bernegger. Gronov. Oberlin. Seebod. ed. alt. Osann. Orell., sed is asterisco adposito.

praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. nobis satis sit, privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

Depravata haec videbantur plerisque. Gesnerus itaque et Wopkens. *ex his* tanquam glossema voculae *hinc* eiiciendum putarunt, sed recte tu miraberis librariorum stoliditatem eam, qua voculam tritissimam explanare necessarium duxerint. Melius igitur loco consuluisse putandus est Muretus, qui *hinc ing. existere ass.* scribendum suadebat, quod Acidal. Gronov. et Schurzfleisch. probarunt, Heumann. Bipont. Schulz. et Oberlin. receperunt. — *excitari* Schelii menti occurrebat; *hinc ingentem esse his* (sc. tragoediis) *assensum* a Schultingio profectum, *excire* F. A. Wolfii coniecturam Bekker. Dronk. [Boettich. et Rupert.] in textu collocarunt, quae mihi quoque reliquis omnibus probabilior videtur. — Sequentia denique constitui ex auctoritate MSS. Neap. [et Farn.], qui exhibent *haec . . . laudari*, ut coniectura dudum adsequutus erat I. Fr. Gron., quem sequuntur Heumann., Wopkens. l. l. p. 388., Schulz. Orell. [Bekker. Boett. Rup.]. In reliquis exstat *hinc*, in MSS. Vaticc. *hic*, manifesto vitiosum. — Adiicio F. A. Wolfii verba in: *Vermischte Schriften und Aufsätze* p. 164.: „Ceterum totus locus, dubitari licebit, an hodie satis integer legatur. Quippe hiat quodammodo, quod mox sequitur, *Tolle igitur.* Sed de hoc genere plura insunt libello, vix sine locupletioris codicis ope sanabilia." Supplevit igitur haec Broterius *Sentio quid responderi possit: placere haec argumenta: hinc ingentes ex his assensus; hinc in ipsis auditoriis praecipue laudari, et mox omnium sermonibus ferri. Fateor. At quanto plus celebritatis, tanto plus offensae; tanto ruina certior. Tolle igitur* etc., quae quidem omnia Broteriana sunt magis quam Tacitina.

ferri. Ed. Spir. *fieri.*

quietis et securitatis. Plin. Ep. 6, 8, 2. *quam sit mihi curae modestia, quies, securitas eius.* — *tibi sumas*, audaciam et arrogantiam indicat, qua ipsum principem offendere non veretur. Vide Spalding. not. crit. ad Quint. Inst. or. 12, 6, 5.

satis sit. Ed. Iunt. *satis sic.*

in quibus expressis. Sic libri omnes; recte, dummodo bene explicentur haec verba. Sed in diversas partes interpretes abierunt. Alii, ut Oberlin., *expressis* explicant: expositis; Woltmannus vernaculo sermone: *bei Darlegung derselben;* Drückius: in causis, quas non elegimus, sed pietate vel officii vel necessitudinis iniunctas suscepimus; [Rupert.: „an *expressa* sunt perspicua et manifesta?"; Boetticher.: „*expressis* idem duco quod *expromptis*; *wenn man einmal, damit hervortretend, nöthig hat*"]. Equidem puto expressas causas sumptis, quas supra commemoravit Tacitus, oppositas esse, easque indicari, ad quas agendas necessitudine aliqua cogamur. Nihil igitur opus est, ut verba corrigantur. nam quod Lipsius dedit et Schelius probavit: *in quibus expressit si quando necessitas*, ob verborum collocationem minus probabile est; Schulting.: *in quibus et professis si quando* etc.; De la Monnoye et Lamallius proponunt *expressius*

XI. Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, remissus et subridens Maternus, parantem, inquit, me, non minus diu accusare oratores,

idque pro *acrius* dictum cum *offendere* iungi volunt; Pichen. vult *causis;* Orellius: *expertis*, i. e. *in quibus* (nobis) *expertis* (ubi experti simus) *si quando n. sit* etc.; Rauchenstein. apud Orell. exspectat *explicandis* aut *expediendis*, vel dativum aliquem, qui referri possit ad *causidicos;* Heumanno denique et Schulz. *expressis* inepti glossatoris manum prodere videbatur, quare illi deleruut, obsequentibus Ricklefs. et Strombeckio. — Cum extremis huius cap. verbis conf. Agric. c. 3. *hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.*

Cap. 11. *intento ore.* Cf. Virg. Aen. 2, 1. *conticuere omnes intentique ora tenebant;* Cic. pro Flacco c. 11, 26. *vos oro et obtestor, ut totam causam quam maxime intentis oculis, ut aiunt, contemplemini;* Minuc. Fel. Octav. 39. a Wopkens. adlatus: *intentos vultus tenebamus.* Significati sunt vultus in adversarios defixi eoque animum attentissimum prodentes. Edd. Put. et Riv. dederunt *intētore* vel *intentore*, ex qua corruptela Acidalii emendatio *intentior* fluxit, qua carebimus non maiore cum damno, quam si paulo post Heumanni coniecturam *remissius* prae vulgata *remissus* neglexerimus.

parantem, inquit, me non minus diu accusare oratores, quam Aper laudaverat (fore enim . . . prosterneret) arte quadam mitigavit. Locum depravatissimum partim ex codicum lectionibus, partim ex coniectura restituendum duxi audacius fortasse, quam quod cautioribus criticis probare possem. Sed persequamur singula. MS. Neap. praebet: *parant enim quid me* — [MS. Farn. teste Bekkero: *parant enim quid non.*] — ex MSS. Vaticc. Broterius nil adnotavit, nisi hoc: „corrupte MSS. *parant.*" — Edd. Spir. Put. Ber. Alc. *Maternus parat. Quid enim me*, idque interpolatione corrupit ed. Riv. sic: *Maternus parat. quid enim, inquit, refert me non minus* etc. — Edd. Rhen. et omnes sqq. [Rupert. quoque] *paravi, inquit, me non minus diu* etc. Vulgatae huius scripturae fides infringitur eo, quod coniectura tantum nititur neque ullo antiquorum librorum testimonio stabilitur, deinde haud scio an non Latinum sit *paravi me accusare*, quum usitatius sit iungere id verbum cum *ad* vel *ut* et coniunctivo. [At Caesar bell. Gall. 1, 44. dixit: *iterum paratum sese decertare*, et Liv. 44, 37. *rex paratus pugnare*, et Virg. Aen. 5, 108. *pars et certare parati.*] Quapropter Schultingius coniecturam tentabat, sed improbandam eam, quia ipsa ex alia Rhenani coniectura pendet: *paraveram, inquit, me, non minus diu accusare oratores, quam Aper laudaret.* Alia via ingressus est Orellius, quem non solum latinitas vulgatae lectionis offendit, verum etiam sententia verbis *non minus diu* pronuntiata. Quasi vero, inquit, in diuturnitate accusationis iudicii eventus positus esset, aut omnino sermo fieret in seqq. de tempore in accusationem insumpto aut ad defensionem necessario. Hoc dicit, sic pergit ille vir doctissimus: „quia Aper mitius quam pro mea exspectatione tractavit poetas, ego quoque modestius acturus sum cum oratoribus." Quis autem reprehendere posset sententiam his verbis conceptam: *Par est, inquit, me non minus modice accusare oratores, quam Aper laudavit*, vel, si mavis, *laudaverat.* Haec Orellius, qui loci sententiam acute perspexit, sed in idem incidit vi-

quam Aper laudaverat (fore enim arbitrabar, ut a laudatione eorum digressus detractaret poetas atque carminum studium prosterneret) arte quadam mitigavit, concedendo iis, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere ali-

tium, quod in vulgata et Schulting. script. reprehenderat, audaciae dico. Neque verum est, quod contra diuturnitatem accusationis, quam animo habuerat Maternus, monet, si quidem diuturnitate vehementia accusationis indicatur, talisque mina egregie convenit Materni subridentis personae. Sententiam vero illam faciliore modo ex antiquis libris restituimus, verborum distinctione mutata, quod neminem vitio versurum esse spero. Ita iungendum est *me* cum *mitigavit* verbo, et Aper intelligendus, qui callide, astute invidiam accusationis lenivit. [Consentit cum Walthero I. Bekkerus, qui in novissima editione sic locum constituit: *Parantem me, inquit, non minus diu accusare oratores quam Aper laudavit (fore . . . prosterneret) arte quadam mitigavit*, aptiore loco pronomen ponens quam id a Walthero factum quivis intelligit. Bekkerum sequutus est, ut semper, Boetticherus.]

laudaverat. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc.; bene defensum est plusquamperfectum ab Orellio eo, „quod laudes oratoriae facultatis usque ad cap. 9. propositae modestam illam poetarum accusationem praecedunt." — Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Pith. Bernegger. Gronov. Seebod. *laudat.* — Lipsius in marg. ed. a. 1607. proposuerat *laudare*, quod Broterio melius visum est. — Acidalius coniiciebat *laudare* vel *laudavit*, hoc receperunt Heumann. Schulz. Oberlin. Dronk. Osann. [Bekker. Boettich. Rup.].

fore enim. Heumanni coniectura *quod fore enim* supersedere possumus. — Pro *digressus* in edd. Lips. et al. legitur *degressus*, saepe confusum cum illo. cf. not. ad An. 6, 1. 2, 69. al.

detractaret. Sic MSS. Neap. [Farn.] edd. antiquae ad Pithoeanam usque, unde restituerunt Dronk. [Bekker. Boett. Rupert.] — in reliquis libris servatur, quod nunc magis in usu est, *detrectaret*. Sed ob antiquos libros in illa forma consentientes, itemque quia vocis origini accommodatior est, mallem eam aliis quoque locis velut An. 1, 42. 14, 52. cet. restitutam. Praestabiliorem eam esse dudum viderunt Drakenborch. ad Liv. 34, 15, 9. a Spalding. ad Quint. Inst. or. 9, 2, 104. laudatus, Oudendorp. ad Sueton. Caes. c. 54. Aug. c. 24., alii VV. DD. ab Dronk. et Osann. indicati.

arte quadam. Ea distinguendi ratione, quam ego institui, solutae sunt difficultates omnes, quas his vv. reperiebant interpretes. Acidalius desiderabat verbi *mitigavit* obiectum, quod grammatici vocant, ideoque, Heumanno adsentiente, inserebat *id* ante *arte*. Alii requirebant coniunctionem, quare Ernestius pro *id* malebat *sed*, quod Schulz. et Seebod., sed is uncis circumclusum, in textu posuerunt; Seebod. ed. altera, Dronk. et Rauchenstein. *at arte* praeferebant; Wopkens. *at quaedam* corrigebat; alii denique *verum* vel *sed* supplendum censebant; et Osann. *arte quidem* temere coniiciebat. Quid quod in nostra scriptura ne opus quidem est, ut cum Orell. et Walch. ad Agric. p. 142. ad *ἀσύνδετον* confugiamus.

ego autem sicut in c. a. efficere

quid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Neroneis improbam et studiorum quoque sacra profa-

aliquid et eniti f. possum, ita r. t. et ingredi fam. ausp. sum. Et haec verba in edd. antiquis corrupta sunt verborum transpositione, sed MS. Neap. [e Farn. cod. pauca tantum enotata] ea exhibet, ut supra exprimenda curavimus. Ed. Spir. *sicut in c. agendis efficere ut niti fortasse possum*, quod in ed. Puteol. mutabatur in *sic. in c. a. niti fort. possum, ita rec. tr. et ingredi et efficere famam ausp. sum*, quae corruptela locum obtinuit in edd. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald., e quibus non satis accurate scripturae varietatem adnotavit Dronkius. In integrum restituit locum Lipsius e Farn. cod., quem sequuti sunt interpr. omnes, nisi quod *et* voculam, quam MSS. Neap. [Farn.] Vatt. et edd. antiquae praebent, cum Lipsio omnes fere omiserunt [praeter Bekker. et Boetticher.]. Reliquum est, ut verbo de singulis moneam. Perperam enim traditum est post Schurzfleischium a pluribus, in ed. Riviana expressum esse *sicuti causis*, quod Heumannus et Schulz. etiam in verborum contextu posuerunt; *in* vero praepositionem in hac loquutione recte additam esse, docent verba c. 32. *quicquid in eloquentia effecerit* et cap. 21. *minus in eloquentia effecerit.* Praeterea Seebod. ed. pr., ut lectio ed. Spir. scripturae magis responderet, malebat *efficere et niti f. p.*, sed saepius utrumque verbum coniunctum est, velut apud Cicer. ep. ad fam. 13, 29, 5. *enitare, contendas, efficias*; id. divin. in Caecil. 8. *in quo ego quid eniti aut efficere possim;* de amic. 16, 59. *sed potius eniti et efficere.* cf. Ochsner. Eclog. Cic. p. 181. Noli vero adsentire iis, qui a partu graviore translatum hoc verbum opinantur. Deinde Orellius suspicatur *potuissem*, qua emendatione neutiquam opus est. Ernestium denique offendebat *ingredi famam*, quia *famam auspicari* idem sit, quare *ingredi* glossam sibi olere contendebat. Sed defendit pleonasmum Schultingius Suet. Calig. c. 54. *quam ut initium ... auspicaretur;* Iustin. 26, 12. *auspicia belli parricidio incipientes*, similesque pleonasmi in dialogo sunt permulti, ut c. 16. *incipit ... exstitisse*, c. 18. *prae Catone Appium Caecum magis mirarentur.* Vide Boetticher. Lex. Tacit. proleg. p. LXLII. sqq.

cum quidem. Sic MSS. Neap. [Farn.] ed. Spir., quod ab ed. Puteol. correctum est in *tum quidem quum.* [Cod. lectionem sequuntur Bekker. et Boetticher.] Errore aperto in ed. Riv. exstat *tum quidam cum*, quam corruptelam Schurzfleisch. inde ortam putat, quod ad marginem libri monitum fuerit, quosdam scripsisse *cum* pro *tum* vel *dum;* sed id falsum esse cognoscent, qui scripturae varietatem in edd. vett. noverunt.

in Neroneis improbam ... Vatinii potentiam fregi. In libris omnibus et manu exaratis et typis descriptis legitur *in Nerone* et *vaticinii*, quae ut explicarent frustra enisi sunt interpretes. Servavit id Lamallius, qui Sigrasium sequutus vaticinio poesim significari putat; Neronem vero accipiebat Materni eo nomine inscriptam tragoediam. Facili correctione Casp. Barthius Advers. XLIV, 25. restituebat *vaticiniis pot. fr.*, ut eo intelligerentur loci tragoediae tyrannorum odium spirantes, quibus, quia plauserit populus, Neronis potentiam imminutam et fractam sibi persuaserit Maternus. Sed durum hoc. Recta vero via ingressus est I. Fr. Gronovius Observatt. III, 4. [p. 227. ed. Frotsch.], neque tamen in omnibus satisfecisse putandus est.

nantem Vatinii potentiam fregi: et hodie, si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. ac me deiungere a fo-

Sagaciter tamen perspexit, in corrupto *vaticinii* hominis alicuius praepotentis nomen latere, atque in promptu tum positum erat *Vatinii* substituere. Fuit is Vatinius Beneventanus sutor et vitrearius artifex, qui gratia Neronis plurimum valuit. cf. Martial. 10, 3, 4. 14, 96. Iuvenal. 5, 46. Tacit. Hist. 1, 37. et imprimis An. 15, 34.: *Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primo in contumelias adsumptus, dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret*; quibuscum cf. Xiphilin. 63, 15. Praeterea idem Gronovius Acidalii sequutus est emendationem *improbatam*, idque explicuit: potentia Vatinii improbata reprehensaque est in illo principe ab omnibus bonis. Sed otiosum est talia ab Materno commemorari, quae nemini ignota esse potuerunt. Falsissimum est eandem ob causam, quod Heumanno et Schulzio placuit: *ipsi Neroni improbatam*, et Seebod. ed. alt. *etiam Neroni improbatam*, quod vel historiae adversari manifestum est. Altera igitur emendandi ratio quaerenda erat, quam, Gronovio praeeunte, repperit Osannus. Divinaverat enim ille, Maternum musico agone prae Vatinio coronatum esse nihilque moratos esse iudices, quin ipsi palmam darent, Vatinii potentia prorsus neglecta. Quapropter hic scribendum suasit *in Neroniis*, quo indicaretur certamen, quinquennale, quod, Sueton. Nero. c. 12. auctore, *instituit primus omnium Romae, more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia.* Malim tamen scribi *in Neroneis* [Rupert. *in Neroneo* sc. agone sive certamine], quae forma et melius respondet vett. libb. scripturae et usurpata est a Tacito An. 16, 12. *et mensis, qui Aprilem eundemque Neroneum sequebatur*, et Sueton. Ner. c. 21. 55. Vitell. c. 4. Neque dubitari licet cum V. D. in suppl. ephem. lit. Hal. a. 1829. nr. 122. de emendationis veritate ob *in* praep. additam, quae exstat, Orellio docente Prolegom. p. LV., in inscript. N. 2588. *in omni athletico certamine victorem.* [Bekkero Farn. cod. *Vatinii* habere videtur, idem *in Nerone* retinet; Boetticher. *in Neroneis* scripsit.] Audacior est Schultingii emendatio: *et tum quidem, cum in Nerone improbam et summorum* (pro quo Seebod. malit *Musarum*) *sacra profanantem vatum impotentiam fugi* vel *fugimus*, de qua nihil amplius dicendum. — Pro *profanantem* in edd. vett. *prophanantem* scriptum est.

et hodie. „Roman. addit copulam", inquit Lipsius, receperunt sequentes edd., sed quia deest in edd. antiquis, delerunt eam Dronk. Osann et Orell., uncis circumdedit Seebod. ed. pr. Sed est ea particula in MSS. Neap. [et Farn.], quare, ne hiet oratio, restituo [cum Bekker. Boetticher. Rupert.]. Heumannus malebat *ut hodie* et in seqq. *arbitrer* pro *arbitror*, quod vix necessarium, sicuti eidem nequeo adsentire cum Acidalio *in* ante *nobis* delente.

nominis. MSS. Neap. [Farn.] *numinis*, quae confusio frequens est.

ac me deiungere. Sic MSS. Neap. Vaticc. et edd. antiquae usque ad Lipsium, qui tacitus *iam* interposuit, sed *deiungere* cum Pithoeo servavit. Bernegger. Gronov. sqq. ad Dronk. usque scripserunt *ac iam me seiungere*, cuius

rensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco: non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam inruperunt. nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia. nec vereor ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint.

XII. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi adferunt voluptatem, ut

in locum Dronk. sqq. revocarunt antiquam scripturam, nisi quod Orell. [Bekker. Boetticher. Rupert.] servarunt *iam*, quod ille in cod. Farn. esse opinabatur.

comitatus istos et egressus. Ed. Pithoeanae repetitio Heidelberg. a. 1593. *et gressus*, perperam igitur Dronk. Schulzium erroris arguit. Satis bene se habent verba. cf. c. 6. *comitatus et egressus*, An. 11, 12. *multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere.* Temere correxit Schurzfleischius *comitatus istos expressos*, „per quos eos Tacitus innuit, quibus sine patroni offensa non poterant clientes supersedere."

quam aera et imagines. Intellige statuas aeneas et aereas imagines, quae in patronorum aedibus poni solebant. Frustra Acidal. corr. *quam illa aera*, frustra Cuiacius *quam ceras et imag.*, ut ius imaginum designaretur. — Antea pro *salutationum* Schelius et Schurzfleisch. malebant *salutantium*, sed cf. c. 29. *ambitione salutationum.*

etiam me nolente. Edd. antiquae, Lipsii priores et Pithoeana *etiam iam me nol.* dederunt, quod defendit Schurzfleischius Ciceronis locis, quorum lectio non satis stabilita est. Lipsius ipse in postrema ed. *iam* delevit, eum sequuti sunt omnes. — Pro *inruperunt* ed. Spir. *eruperunt.*

nam statum hucusque ac secur. melius innoc. tueor. Corrupti sunt libri antiqui; MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. et edd. antiquae praebent *nam statum cuiusque ad secur. melius inn. t.*, in qua lectione non solum vitiosum est illud *tueor statum ad sec.*, verum etiam ipsa sententia generalis non apta ad reliquum Materni sermonem, quo de se solo eum dicere patet. Recte igitur Lipsius sqq. Broter. Bipont. Oberl. Schulz. Seebod. *statum hucusque ac securitatem* emendarunt, perperam recurrerunt Dronk. et Osann. ad antiqq. libb. corruptelam *statum hucusque ad securitatem*, quae probari nequit. Alii alia tentarunt; Acidal. Heumann. Orellius [et Rupert.]: *nam statum cuiusque ac securitatem melius innocentia tuetur*; Schulting. et Schelius: *n. statum quoque ac sec. m. i. tueor.* In quibus edd. Broterius *huiusque* invenerit me latet. [Bekker. et Boettich. in Lipsiana emendatione acquieverunt.] Ad sententiam cf. Plin. Paneg. c. 49, 3. *ecquid ergo discimus experimento, fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam.*

nisi pro. nisi om. MS. Neap. — Pro *nam statum* Heumann. vult *iam statum.*

Cap. 12. *Nemora vero et luci.* cf. not. ad cap. 9. — Pro *nec in strepitu* in MS. Neap. scriptum est *non in strep.*, quod ferri posset.

inter praecipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur; sed secedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris. haec eloquentiae primordia, haec penetralia: hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit: sic oracula loquebantur. nam lucrosae huius et sanguinantis

ostium. MSS. Neap. [Farn.] et edd. antiquae usque ad Rhenan. omnes exhibent *hostium*, quae scribendi ratio saepius reperitur in libris vett. Ad rem compara Horat. Satir. 1, 1, 10. *iuris legumque peritus, sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat*, et Cicer. pro Muren. c. 9. — *litigatore* ed. Put. corrupit in *litigatorie*.

inter sordes ac lacrimas. lachrymas edd. antiquae. — [*lachrimas* MS. Farn.]. De scriptura vocabuli vide not. ad An. 1, 5. 11, 2. Rem bene illustrant loci Ciceronis ab interpr. comparati, ep. ad div. 14, 2, 2. *te nunc ... sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus*; orat. post redit. ad quirit. c. 3, 6. *filii pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, maiorum natu lacrimae populum Romanum movere potuerunt*; ib. § 7. *fratris ... quotidianae lacrimae sordesque lugubres a vobis deprecatae sunt.* Sordes vero dicuntur pro vestibus sordidis, quibus induti rei eorumque propinqui et affines incedebant, id quod satis notum est.

secedit. MS. Neap. *sedit*, et paulo post ed. Spir. *fructurque*.

haec penetralia, hoc primum h. c. commoda mortalibus. penetralia hoc omittunt MSS. Neap. [et Farn.], unde coniicere licet, inconsulto Orellium Farnesiano codici adscripsisse, quod Lipsii ingenio debetur. Ex illa corruptela orta est vitiosa edd. vett. scriptura, quae ad Lipsium locum tenuit: *haec penetr., haec primum* etc., quam Lipsio praeeunte omnes in modum hodie vulgatum correxerunt. Unus Schultingius et hoc loco et in seqq. substituere malebat *hic*, ut procederent verba sic: *hic pr., h. c. ..., hic* (in locis istis secretis) *oracula loquebantur.* De *habitu cultuque* cf. not. ad An. 1, 10. et Cortium ad Sallust. Iugurth. c. 28. — Reliquum est, ut defendam cod. Neap. et edd. vett. lectionem *commoda*, quae in dubium vocata est a plerisque. Noli vero vocabulum illud explicare cum Ernestio: apta, iucunda, sed cum Bipont. et Oberlin. intellige eloquentiam hominibus opportunam, utilem, eorum commodis inservientem, quo quidem significatu nihil frequentius, ut lexicographi docent. Bene igitur eam lectionem servarunt Oberlin. Seebod. Dronk. Osann. [Bekker. et Boetticher.]. Alii coniecturis sanare locum volebant, Muretus et Acidalius emendabant *commendata*, quod Heumann. Schelius, Broter. Schulz. Orell. [Rupert.] receperunt; Lipsius: *comta* vel *commodata*, huic plaudente Freinshemio, quia ab ipsis diis immortalibus eloquentiam hominibus datam esse Maternus existimet; Schelius denique: *commota.* Quibus autem modis totus hic locus graviter affectus vel a sententia vel a verbis laboret, uti Osanno visum est, acutiores perspiciant; equidem non potui.

contacta. Sic de Germ. c. 10. equi *nullo mortali opere contacti.*

lucrosae huius et sanguinantis

eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus atque, ut tu dicebas Aper, in locum teli repertus. ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum et oratorum et criminum inops poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria maior aut augustior honor: primum apud deos, quorum proferre responsa

eloquentiae. Et hoc loco antiquorum librorum scripturam tuendam censeo contra nonnullorum coniecturas. *Sanguinante eloquentia* scriptor significat eam, quae delationibus aliorum hominum caedem efficit ideoque sanguine in periculum adductorum quasi manat. Hanc esse sententiam docent, ni fallor, verba seqq. *in locum teli repertus.* Lipsium de latinitate dubitantem et adfirmantem *sanguinare* tantum esse: emittere sanguinem, refutavit Schulz. locis adlatis probans, id verbum significare quoque: sanguineum colorem aut animum prae se ferre. Vid. C. Barth. Advers. XLIV. c. 25. Lipsius conieceral *saginantis*, ut ita ex more Nostri synonyma *lucrosa et saginans* iungerentur; egregium id et in textu ponendum videtur Orellio, qui hercle non reputavit, simpliciter sic dici non posse; quin eo ipso loco, quem adfert, Cicer. pro Sest. § 78. *sanguine saginantur* dictum est. Salinerio et Bipont. *sanguinariae* placebat, scilicet apud Plin. Ep. 4, 22, 6. est: *sanguinariae leguntur sententiae*, et N. H. 19, 53. *sanguinarium responsum.* Supervacuum est Schelii *sanguine manantis*, quo nihil significatur aliud, quam quod vulgata exprimitur. Qui pro *lucrosae* maluerint *luctuosae*, me fugit, nec ulla correctionis est causa, quum iam ante illam aetatem *lingua esse coeperit in quaestu*, ut Quint. Inst. or. prooem. § 13. inquit.

ex malis moribus natus. Praepositionem adieci e MS. Neap., quamvis Goerenz. in Iahnii Annal. paed. et phil. Vol. I. p. 311. contenderit, verbis nascendi et oriundi nusquam coniungi *ex*, sed ubique *e*. Eam opinionem Beierus refutavit ad Cic. Lael. p. 120. Voculam post praecedens *et* saepius elisam demonstravit Drakenb. ad Liv. 5, 32, 4. Quare non mirum, eam in reliquis libris omnibus omissam esse. [Ascivit cum Bekker. eandem e Farn. cod. Boetticherus.]

inops. Sic MS. Neap. edd. Lips. et sqq. — in prioribus vitiose est scriptum *ĩpos* vel *inpos.* Vere hoc tradidit Dronk., sed in eo falsus est, quod *poetis* in ed. Spir. excidisse dicit.

abundabat. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. et edd. post Ernestium omnes; idem Pithoeus, Acidalius et Muretus correxerant. Recte. Perperam autem in edd. antiquis et reliquis ad Ernest. usque *abundat* legebatur.

male admissa. Vide Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 83. et Herzog. ad Caes. Bell. Gall 3, 9. Ne opus quidem erat addito *male*, quia *admissum* simplicitur dictum est de pravo facinore ab Cicerone part. orat. c. 35. et Tacit. An. 11, 4. aliisque, sed dedit id scriptor membrorum concinnitati, quia *bene facta* praecessit.

nec ullis aut gloria maior aut augustior honor. Lectionem hanc satis bonam debemus Lipsii acumini, qui Farnes. cod. scripturam sequutus priorem edd. corruptelas emendavit. MS. Neap. dat: *nec ull. aut gloria maiore aut angustior honor.* — Farn. cod. *nec u.*

et interesse epulis ferebantur: deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea et Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus: vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detractent. nec ullus Asinii aut Messallae li-

aut gl. more aut augustior honor — MSS. Vaticc. *nec ullis aut gloria in ore*, tum duorum triumve verborum lacuna est, quae reperitur quoque in hac edd. antiquarum scriptura: *ne aut illud clamore .... aut angustiae honor.* Lacunam explevit Broter. sic: *nec ull. aut gloria maior umquam contigit aut augustior honor*; eam servavit in textu Osann., qui *esse potuit* excidisse putat. Sed omnia sanissima.

ferebantur. Heumannus corrigere volebat *dignarentur* vi passiva, sed cfr. Wopkens. Observ. misc. VII, 3. p. 390. — Paulo post edd. vett. post *deinde* interserunt *quod*, primum a Lipsio deletum, idem abest quoque a MS. Neap. — Pro *diis genitos* in ed. Spir. *dii gen.* scriptum est. *diis geniti* apud Virgil. Aen. 6, 131. sunt; notissima quoque Homerica illa *διοτρεφεῖς* et *διογενεῖς*. Compara Hesiod. Theog. 94. sqq.: *ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα καὶ κιθαρισταί· ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες.* — *causidicorum* denique Heumannus mutabat in *causidicum.*

Orphea et Linum. Eosdem similiter iunxit Virgil. Eclog. 4, 55. *nec Thracius Orpheus nec Linus*, et Quint. Inst. or. 1, 10, 9.: *Orpheus et Linus, quorum utrumque diis genitum ... posteritatis memoriae traditum est.* [Bekker. et Boetticher. ediderunt cod. Farn. auctoritate *et Linum*, quod praestabilius, ut *κακοφωνία* vitetur.]

ac si. Edd. Spir. Put. Riv. *ac se*, quod vitium posteriores bene sustulerunt. *altius* vere explicuit Schulz.: a primis initiis; ita quoque An. 3, 25. *altius disseram.* Neutiquam conferri potest graecum *ὑπ' αὐγὰς σκέπτεσθαι, θεᾶσθαι, θεωρεῖν*, quode vide summum Hemsterhus. ad Timaeum p. 264. sqq. ed. Ruhnk.

illud certe mihi concedis. MS. Vat. 1862. *istud*, quod illico recepit Dronk., saepius eo nomine reprehendendus, velut init. cap. 13. et alibi. — Orellius in Emendand. Mureti et Acidalii coniecturam *concedes* probat studetque firmare coll. cap. 33. *id certe concedes.* Inde confici nequit quicquam, et maiore cum vi sententiae dicitur *concedis.*

quam qui Virgilii detractent. *qui* e MSS. Vaticc. Broter. et Ernest. addiderunt, [idem est in cod. Farn.]; MS. Neap. *per* exhibet corruptum. cf. cap. 8. *quam qui fastidiat..* De Ciceronis obtrectatoribus cf. not. ad cap. 18., nec Virgilio eos defuisse a pluribus testatum est, amplissime ab Donato vita Virgilii cap. 16, 61. sqq. Cf. A. Weichert. poett. latt. reliq. p. 161. 273. 310. sqq.

Asinii et Messallae. *Messallae* edd. Spir. Lips. Bernegger. [et cod. Farn.] — *Mesallae* edd. Put. Riv. — *Messalae* edd. Ber. Alc.

ber tam inlustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.

XIII. Ac ne fortunam quidem vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et an-

[Eandem scribendi rationem Boetticher. adscivit, laudans ille Wiesii diss. inaug. de M. Vall. Messallae Corvini vita et studiis doctrinae p. 5. sq.]. Duumviros hos aliis quoque locis iunxit Noster, ut An. 11, 6. et 7. Intelligendus C. Asinius Pollio, ferocissimus vir ae vehementissimus (cf. An. 1, 12), de quo post diligentem Manutii disputationem ad Cic. ep. ad div. 10, 31. et post copiosam I. R. Thorbeckii comment. de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae. L. B. 1820. pluribus dicere vix opus est. De M. Valerio Messalla Corvino cf. Ellendt. hist. eloquent. Roman. p. CXXXI., I. H. Vossium ad Virg. Eclog. 6. [et Wiesii scriptionem peculiarem supra commemoratam].

Medea Ovidii aut Varii Thyestes. Verba *aut Varii* omissa sunt in MSS. Farn. et Neap.; reliqui libri exhibent omnes. Cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 98.: *Iam Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset.* A. Langii Vindic. tragoed. Rom. p. 5. De Medea Ovidiana copiosius disputavit P. Burmann. Antholog. lat. I. p. 128. — L. Varius (de nomine v. Spalding. ad Quint. Inst. or. 10, 3, 8. Weichert. Poett. latt. reliq. p. 156. 259.), magna apud Augustum et Maecenatem gratia pollens, et epicis (Horat. Carm. 1, 6, 1. Sat. 1, 10, 44.) et tragicis carminibus clarus, ab Horatio (Ep. 2, 1, 245. A. P. 55.) et Virgilio, quibuscum familiaritate iunctus erat, eximiis laudibus ornatur. Inter tragoedias celebratur imprimis Thyestes, quam Virgilio adscribebant Donat. vita Virg. § 81. et Servius ad Virg. Eclog. 3, 20. Eius fragmenta collegerunt Rutgers. Lection. Venus. c. 3. et Bothius Poet. scen. lat. fragm. p. 272. Thyestem in Batavia repertam iactari, falso tradidit Spalding. ad Quint. T. I. p. 585., immo Terei particulae quaedam ab Heerkensio Iconibus Paris. 1788. et a D. Chr. Grimmiò Annaberg. 1790. vulgatae intelligendae sunt, quarum quae sit auctoritas A. Langius Vindic. p. 8. ostendit. [Singulari libello de eo poeta se commentaturum esse promisit A. Weichertus.]

Cap. 13. *et illud felix contubernium.* Dronk. hoc quoque capite pluribus locis e MS. Vatic. 1862. scribendum censuit *iste* pro *ille*, sic h. l. *istud f. cont.*, paulo post *licet istos* et infra *in ista sacra istosque fontes*, sed nemine, ut par erat, obtemperante. Haeserunt vero nonnulli priorum interpr. in his verbis; I. Fr. Gronov. cogitabat: *et illud secum contubernium*, eademque fere sententia Schulting. malebat *sedens contub.* i. e. otiosum, ut otiosa illa poetarum vita opponeretur inquietae et anxiae oratorum; Casp. denique Barthius aliquanto audacius coniiciebat: *et illud Elysii contubernium.* Quid moliamur talia? intellige tu lucos illos et secretum, in quo poetas secum et cum deis Musisque imprimis versari opinabantur veteres. — Uti hic dictum est *comparare timuerim*, sic infra c. 27. *non verebor nominare*; Plin. Panegyr. c. 18, 2. *nec ducum quisquam aut non amari a militibus aut amari timet*, ibid. c. 89, 1. *non timuisti eligere meliorem*, et saepius. — *inquieta et anxia* vocabula similiter iunxit Plin. Epist. 2, 9.

xia oratorum vita. licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint: malo securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud Divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium vene-

init. *anxium me et inquietum habet petitio.*

licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint. Sic MSS. Farn. et Neap., nisi quod in hoc [item in illo] pro *ad cons.* scriptum est *et cons.* Meliora primus dedit Lipsius, libri auctoritatem, ut ipse disertis verbis profitetur, sequutus; quapropter immerito Dronk. et Osann. dubitarunt. Edd. vett. exhibent: *licet illos agitent certamina et pericula sua et controversiae*, ex qua lectione Seebod. ed. alt. *et controversiae* Lipsianae scripturae addi debere opinabatur post *per. sua*, sed uncis verba circumdedit. Lusisse videtur Schurzfleisch., qui antiqua lectione servata pro *agitent* corrigendum suadet *evehant.*

securum et quietum. Sic MSS. Neap. et Vaticc., unde asciverunt eam lectionem Dronk. Osann. [Bekker.]. Sic supra dictum est cap. 10. *quietis et securitatis excusatio.* Reliqui libri [cum Farn. cod. teste Bekk.] tenent *secretum*, quod ferri posse non nego, sed praeferri id nolim propter praecedens *inquieta*, ut iam Orellius perspexit. — Pro *tamen* in edd. ante Rhenan. *tum* exstat.

Augusti epistolae. Augusti epistolas ad Virgilium laudat Claudian. epist. ad Olybr. (n. 41.) v. 23. *dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni*, et saepius commemoravit eas Donatus vita Virgilii, ad cuius c. 7. § 28. cf. Heynium. Fragmenta epistolarum ab imperatore scriptarum collegit Rutgers. Var. Lect. II. c. 14. p. 141.—180. cf. F. A. Fabricius, Imp. Caes. Augusti temporum notatio, genus et scriptorum fragmenta. Hamburg. 1727. 4. et Iac. de Rhoer., de studiis literariis Caesaris Augusti. Groning. 1770.

Virgilii versibus. Verba transposui e MS. Neap., nam omnes *versibus Virgilii* ediderunt. [Idem factum est a Bekkero e Farn. cod., quem pariter sequitur Boettícherus.] De re accuratius dicendum. Tradidit Donat. vit. Virg. c. 11. § 41.: *Bucolica eo successu edidit, ut in scena quoque per cantores crebra pronuntiatione recitarentur;* et ab Servio ad Eclog. 6, 11 narratur, eclogam sextam a Cytheride mima esse recitatam. Dubitavit de re Heynius T. I. p. XCII. narrationemque fictam esse ex Eclog. 6, 66. suspicatus est, quia recitationes in theatro factas esse aliunde non constet. Meliora docuit A. Langius Vindic. trag. Rom. p. 27. [cf. I. H. Voss. ad Virg. Bucol. T. II. p. 38. ed. nov.] Honorem vero quantum populus adsurgendo dederit Virgilio, manifestum fit Sueton. testimonio Aug. c. 56.: *filiis praetextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro et a stantibus plausum gravissime questus est*, et Plin. Panegyr. c. 54, 2.: *quin etiam tanto maiore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent.* Honos enim ille principum erat.

Virgilium. Huius nominis repetitionem aegre ferebant Ernest. et Hofmann. Peerlkamp. ideoque *Virgilium* deleri volebant. Sed quem offendet eorundum verborum repetitio, quum sat multa

ratus est sic, quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent an quod timentur? quod, cum quotidie aliquid rogen-

vel optimorum scriptorum exempla collecta sint, quorum e numero ea tantum seiungenda sunt, quae per Anadiplosim rectius explicantur.

Secundus Pomponius. Est is L. Pomponius Secundus (cognomen h. l. nomini praepositum. cf. not. ad c. 1. et Kritz. Sallust. Vol. I. praef. p. XXII.), quem Quint. Inst. or. 10, 1, 98. eorum tragicorum poetarum, quos ipse viderit, longe principem appellat, sed senes eum parum tragicum putasse addit. De vita eius duos libros Plinium maiorem scripsisse, *memoriae amici quasi debitum munus*, narrat Plin. Ep. 3, 5, 3. Vide Lipsium ad Tacit. An. 11, 13. Maffei Verona illustrata II. p. 18. Gesner. ad Plin. Ep. l. l. et Spalding. ad Quintil. Inst. or. T. III. p. 235.

Afro Domitio. Edd. Spir. Put. Riv. Beroald. Alc. *Aphro.* Fuit Domitius Afer, Nemausensis, longe omnium, quos Quintiliano cognoscere contigit, summus orator (Inst. or. 12, 11, 3.), idemque testatur 10, 1, 118.: *Eorum, quos viderim, Domitius Afer et Iulius Africanus longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus et quem in numero veterum locare non timeas.* Is vero *capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit*, ut ait Tacit. An. 4, 52., imprimisque Agrippinae accusatione a. u. c. 779. inter oratores inclaruit. Mortuus est sub Nerone a. u. c. 812., teste Tacito An. 14, 19., *cibi redundantia in coena*, ut Hieronymus refert in Chron. Euseb. p. 160. Cf. Spalding. ad Quint. T. II. p. 194. et A. Weichert. Poett. latt. reliqu. p. 246. sq.

Crispus iste et Marcellus. Sic e MS. Neap. scribendum duxi [ut Bekker. et Boettich. e cod. Farnes.].

in hac sua fortuna. Hoc exstat in MSS. Neap. et Vaticc., ex quibus Broterio probante lectionem primus recepit Ernestius, cui obtemperarunt edd. sqq. praeter Seebod. Orell. [et Rupert.]. Iis vero satius videbatur servare omnium antecedentium librorum scripturam: *in hac praesenti fortuna*, praesertim quum Farnes. cod. id firmari opinarentur. Sed Lipsius tacet; et verum est, quod Ernest. monuit, *praesenti* otiosum esse, quia *hac* eiusdem significatus sit.

quod timent. In edd. vett. omnibus, dein in edd. Lips. et sqq. ad Broter. usque et in edd. Schulz. Seebod. Lünemann. [Rupert., sed in ea unci circumpositi sunt] *an quod tim.* exhibetur. sed cum in enuntiatis dubitativis *an* secundae orationis parti praeponi soleat, duplexque *an* poni posse, negaverint etiam permulti, inter quos Ruhnken. ad Muret. T. II. p. 742. [sed perperam illi. cf. Hand. Tursell. T. I. p. 107.—9.], et cum particula omissa sit in MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., rectius eam deleveris cum Broter. Oberlin. Bekker. Dronk. Osann. Orell. [Bekker. edit. nov. et Boetticher.]. Sed alterum *an* eiici Ernest. malebat, adsentiente Schulzio, nulla causa idonea.

aliquid. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. *aliqui.*

tur, ii quibus praestant indignantur? quod adligati cum adulatione nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero „dulces", ut Virgilius ait, „Musae", remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra ani-

ii quibus praestant. Correxi vulgarem librariorum errorem *hi, quibus*, idque eo fidentius, quum e MS. Neap. *ii* enotatum sit. [Eadem scriptura iam apud Orell., dein apud Bekker. et Boetticher.]. Sed non convenit inter interpretes de loci sententia, adeoque illi inter se discrepant, ut corrigere velint verba sine ulla diversitate scripturae in omnibus libris descripta. *praestant* ab Heumann. Bipont. al. dictum accipiebatur pro: quos antecellunt eloquentia et potentia. Gronovius rectius cogitabat de praestando eo, quod rogantur, officio, munere; neque in ea sententia quicquid est, quod offensioni esse possit. Nam *gravis est liberis ipsa beneficiorum potentia*, ut Florus ait 4, 2, 92., adde Diogen. Laërt. 10. § 9. Non igitur haec adeo sunt inepta, ut cum Lipsio *quibus non praest.* scribendum sit, cui obtemperavit Weikert. et Woltmann. in transl. vernac. Similis sententia inest Schultingii emendationi: *quibus praestant minus;* displicet vero Schelii commentum, quod Schultingio quoque placuit: *his, quibus pr., indignantur*, ut indicaretur animus oratorum importunis et impudentibus precibus offensus.

adligati cum adulatione. Sic MS. Neap. et edd. fere omnes. Insolentior autem visa est *cum* praepositio, quam non probari posse contenderunt plerique; corrigendum igitur erat. Schultingius *omnium adulatione* malebat, praeferebat tamen *humili adulatione;* Heumannus: *diligentissima adul.* vel: *cautissima adul.*, quae nimis recedunt a lectione vulgata; Schulz. *comi* vel *Caesarum adul.*, quum constet, eos plurium imperatorum gratiam sectatos esse; Schneider. Observv. p. 6.: *allig. communi adul.*, ea scilicet, qua alii omnes adligantur, quae tota civitate reperitur; Wopkens.: *all. sunt adul.*, et Hofmann. Peerlkamp.: *alligati quum sint adul.*, quod vix ferendum. Si quid mutandum est, malim *omni* scribi; audacius autem videtur, praepositionem librorum testimoniis firmatam aut uncis includere ut spuriam aut delere. Incluserunt Seebod. Dronk. et Orell., eiecit eam Oberlinus. Defenderunt praepos. Osann. [et Boettich.] coll. cap. 7. *cum gratia venit*, Hist. 1, 52. *cum cura adiit*, quae ab h. l. alienissima sunt; nullus autem exstat locus, quo *adlig. cum re* dictum sit, *ad rem* vel *re aliqua* sexcenties illi verbo iunguntur. [Hand. Tursell. Vol. II. p. 142. censet litteris *cum* expressum esse compendium verbi *civium.*] — Pro *imperantibus* ed. Bekkeri *imperitantibus* dedit, typothetae errore satis aperto. — Denique *eorum* ab Lipsio emendatum est pro vett. edd. *rerum.*

dulces Musae. Cf. Virgil. Georg. 2, 475. *Me vero primum dulces ante omnia Musae, quarum sacra fero ingenti percussus amore, adcipiant.* Eaedem μειλίχιαι Arato Phaen. v. 16. — Paulo post vett. edd. ad Rhenan. *remotae* habent.

sollicitudinibus et curis. Pertinent haec ad ἓν διὰ δυοῖν, eiusque figurae speciem eam, ubi loco adiectivi substantivo coniungendi duplex ponitur substantivum. Eadem sunt apud Quint. Inst. or. 11, 15, 44. Plin. Ep. 2, 11. 5, 6. 8, 23. Sic cap. 18. *fama gloriaque*, c. 23. *malignitas et invidia*, c. 36. *invidiam aut crimen.* [MS. Farn. *cotidie*, ut fere solet. *Bekk.* cf.

mum faciendi in illa sacra illosque fontis ferant: nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim, cui velim, relinquere, quandoque fatalis et

Wunder. praef. Cic. or. Planc. p. XIV.] — *faciendi* ab Rhenano est scriptum, in ed. Spir. erat *facies*, in edd. Put. Riv. Ber. Alc. *faciente*.

fontis. Sic scripsi e MS. Neap.

famamque pallentem. Sic MS. Neap. et edd. vett.—[*pallantem* cod. Farn.]. Ne hunc quidem locum intactum reliquerunt critici. Heumannus maluit *forum pallens ac trepidus exper.*, *famam* eiecit, quippe cuius hic nullus locus esse possit, quia ipse Maternus famam ingredi auspicatus sit carminum recitatione, et ut duplici praedicato *insanum* et *lubricum* ornatum sit forum, ita ad concinnitatem restituendam requiri *pallens ac trepidus*. Sequitur eum Schulzius. Schurzfleisch. *fallentem* corrigebat, ut conveniret cum *lubricum forum*; [eademque sententia Boetticheri suadentis *fallacem*]. Rauchenstein. numeri causa: *famamque pallentem pavens ac trepidus*, Hofmann. Peerlkamp.: *famamque pallens et trepidus*. Quid multa, explicandum est cum Oberlino: fama, quae homines pallidos reddit; pallet orator, Oberlin. inquit, quum populo displicet, quum male rem egisse videtur. Sic *curae*, *morbi pallentes*.

anhelans. Heumann. coniecit *anhelus*, quod adiectivum fere poeticum est.

testamentum pro pignore scribam. Hexametrum notavit Io. Bambanius in Fabric. Biblioth. lat. T. II. p. 389. sqq., alios ex Taciti quoque scriptis exempla collegit Car. Funk. in: *Matthias, paedagogische u. literarische Mittheilungen*. III. p. 82. —88. Res, quam tangit scriptor, satis nunc nota est. Principes enim Romani adeo fuerunt avari et crudeles, ut testamenta, in quibus ipsi heredes non scripti erant, rescinderent, eoque efficerent, ut plerique securitatis causa et ad partem hereditatis suis servandam principem adscriberent. Notabile est Tacitinum illud Agric. c. 43. *a bono patre non scribi heredem nisi malum principem*; exempla suppeditant Tacit. An. 16, 11. 17. 19. Sueton. Nero c. 32. Domit. c. 12. Cf. Plin. Panegyr. c. 43, 1.: *in eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt: nec una omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, heres es.*

quandoque fatalis et meus dies veniat. MS. Neap. *quando enim* — ed. Spir. [et cod. Farn.] *quandoque enim*, quod, frequenti in codd. confusione (cf. Spalding. not. crit. ad Quint. Inst. or. 8, 8, 6. et not. meam ad An. 1, 6.), ab edd. omnibus in *quandocunque* mutatum est. *Quandoque* a scriptoribus pro *quandocunque* dici et supra docui ad An. 1, 6. et larga exemplorum copia ostenderunt Interpr. ad Liv. 1, 24, 3.; 31, 4. Recte igitur Osann. et Orell. id revocarunt, dum reliqui in *quandocunque* perseverant. — Deinde Pithoeus et Cuiacius copulam *et* omiserunt, quod fieri posse docet inscript. apud Orell. nr. 4777., in qua *hic tuus fatalis dies* legitur. Sed utrumque per se recte dicitur, et coniunctione ea vim quandam atque emphasim scriptor spectasse videtur. — Denique *veniat* est in MSS. Neap. [Farn.] Vaticc., et inde translatum in edd. Seebod. Dronk. et Osann., recte, opinor. Vide Ramshorn.

meus dies veniat. statuarque tumulo non moestus et atrox, sed hilaris et coronatus: et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.

XIV. Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, cum Vipstanus Messalla cubiculum eius ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem: Num parum tempestivus, inquit, interveni, secretum consilium et causae alicuius meditationem tractantibus?

Minime, minime, inquit Secundus, atque adeo vellem maturius intervenisses. delectasset enim te et

§ 164. 5. Nam pro *veniet*, quod vulgo legitur, *venerit* scribendum erat, id quod bene perspexit Ernestius. Verborum distinctionem novam Orellius suadet hanc: *quandoque ... veniet, statuar tumulo*, ubi *que* post *statuar* necessario delendum esset; sed tali audaciae omnes adversantur libri.

statuarque tumulo. Neque statuae in sepulcris positae intelligendae sunt, neque dictum est pro simplici *sepiliri;* immo optat, ut in rogo collocetur ipse, non moesto et atroci vultu, ut esse solet eorum, qui per vim occisi sunt, sed hilaris et coronatus, quippe qui suo die e vita cesserit. Sepulturam etiam de combustione dici comprobavit Gisb. Cuper. Observatt. lib. I. p. 23. sq. ed. Traiect. — Reliqua satis iam illustrata sunt ab I. Fr. Gronov., quare ea praetermitto.

Cap. 14. *quum Vipstanus Messalla. tum* tenent MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. et edd. Spir. Put. Ber. Riv. Alc.; *quum* ex Rhenani emendatione ortum in libris seqq. omnibus positum est. — Magna est scripturae discrepantia in Messallae nomine, ut iam notavimus ad Hist. 1, 76. 4, 42. — *Vibanius* est in MSS. Farn. [teste Lipsio, sed Bekkero auctore *urbanius* in eo libro scriptum est] Neap. et veteri cod. Ursini. — *urbanius* in ed. Spir. — *Urbanus* in edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *vispanus* ed. Riv. Ex codd. Ursinus *Vibianus*, Lipsius *Vipsanius* scribebant, atque hoc ad Ernestium usque vulgabatur ab omnibus. Ernestius restituit *Vipstanus*, non ex MSS. Vaticc., ut falso narratur ab nonnullis, sed lapidibus addicentibus antiquis. cfr. not. ad An. 11, 23. 14, 1. Hist. 3, 9. Ernestium sequuntur edd. recentt. praeter Seebod. ed. pr. et Broter., a quibus *Vipstanius* editum est et ed. Bipont., in qua *Vipsanus* scriptum legitur. — Pro *instinctus* MSS. Neap. [Farn.] *stinctus tum*, edd. antiquae *instinctus: Tum*, una Spir. *instinctus. Tum* etc. — *Eius* post *cubiculum* suspectum videbatur Ernestio sine ulla ratione, neque melius res processit Acidalio, qui *est* post *ingressus* delere volebat, quam vocem uncis circumcludi iubet Orell. Addend. et Emend. — Denique pro *ingressus* ed. Spir. exhibet *ingressa*.

suspicatusque. Sic MS. Neap. edd. Ber. Riv. Alc. et sqq. omnes; ex typographico errore in edd. Spir. et Put. scriptum est: *suspicaturque*.

tempestivus. Edd. Put. Riv. *tempestivis*. — *interveni* omnium edd. scripturam ed. Spir. in *intueri* corrupit, et Heumann. ex coniectura in *intervenio* mutavit. — *consilium causae* copula *et* omissa praebet ed. Iunt.

Minime, minime. Repetitum

Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.

Me vero, inquit, et sermo ipse infinita voluptate adfecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes adsu-

vocabulum est in MS. Neap. edd. Spir. Ber. et sqq. omnibus, idque aptissime convenit interlocutori alterum refellenti intentiore sermone. Aegre fert Secundus, Messallam animo suo informasse sententiam, se ingratum fore disputantibus. Non igitur probandum est, nuperrime a Dronk. Osann. Orell. alterum *minime* omissum esse, ut factum est item in edd. Put. Riv. et Iunt., praesertim quum vox repetita vel potius repetenda saepius in edd. vett. omissa sit. Nihili est, quod Osann. opinatur, scribendum fuisse: *Minime, inquit Secundus, minime.*

exhortatus. MS. Neap. *et hortatus.* — Pro *utque* ed. Spir. *uterque* — Pro *decebat* MS. Neap. et ed. Spir. *docebat;* edd. Put. Riv. *dicebat;* quod nunc legitur, Beroaldi debetur emendationi.

audentior. Sic in marg. edd. Francof. et Colon. apud Dronk. memoratarum, dein in edd. Lips. Pith. et sqq. — *audenter* edd. vett. Lipsii errore quodam in edd. eius *et* ante *poetarum* omissum est; copulam necessario requiri sensit I. Fr. Gronov. ideoque *poetarumque* scripsit. Sed quum *et* in libris manu scriptis et edd. vett. exhibeatur, restituenda est copula. [Rupert. omisit, quia „copula minus apta est quam appositio."?].

vero. Rhenanus emendavit edd. antecedentium lectionem corruptam *vere.* — Pro *adfecisset* MS. Neap. *affecisse.* — Deinde Heumann. temere, ut solet, corrigendum suadebat: *ut sermo ipse . . . ita id ipsum.* — Denique *id* edd. Put. et Riv. corruperunt in *ad.*

temporum nostrorum oratores. Hanc omnium librorum lectionem non ferendam putabant nonnulli, quibus *oratores* sine epitheto dictum frigebat. Quapropter Ursinus et Muretus, *optimi* excidisse existimantes, coniiciebant: *et optimi temp. nost. orat.*; Acidalius: *et temp. nost. orat. optimi;* Schurzfleischius: *quod vos vere optimi temp. nostr. oratores,* quam emendationem Schulz. in textu ponere ausus est. Omnia bene se habent, nam cum vi dicitur *oratores,* quia illa aetate magna laus erat haberi et appellari *oratorem.* cf. c. 1. *nostra aetas . . . vix nomen ipsum oratoris retineat;* c. 15. *cum . . . neminem hoc tempore oratorem esse contenderes;* c. 32. *ut denique oratorem esse fateatur.* — Pro *et declam. stud.* ed. Spir. *sed decl. stud.*

adsumitis. MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. 1862. 4498. *assumitis,* indeque translatum id in edd. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boetticher.] — MS. Vat. 1518. *et sumi-*

mitis, quae et ingenium alunt, et eruditionis et litterarum iucundissimum oblectamentum cum vobis, qui illa disputatis, adferunt, tum etiam iis, ad quorum aures pervenerint. itaque Hercule non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.

XV. Tum Aper, Non desinis, Messalla, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia inridere atque contemnere? nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum, oblitus et tuae et fratris tui

tis. Recte libri. Cf. Cic. de orat. 1, 12, 54. *translationem orationis, quae sine illa scientia nulla est, sibi assumet.* Vulgo scriptum est *adiungitis*, [quam lectionem defendere conatur Rupert.].

eruditionis. Sic emendavit Rudolph. Agricola, eamque emendationem probarunt Lips. et Pichena, receperunt Bernegger. sqq. omnes, [firmavit cod. Farn. apud Bekker.]. — *eruditiones* MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. — *eruditionem* Rhenan. Ald. Lips. Pithoeus et nuper Orell. [et Rupert.], ut iungantur verba: *ingenium alunt et eruditionem*, sententia quidem bona, sed adversantibus libris. Alii coniecturas proposuerunt, spernendas eas, quia satis bona est librorum scriptura; sic Acidal.: *ingenium alunt eruditione*, quod non displicuit Dronkio; Heumann. et Schurzfleisch.: *ingen. alunt exercitatione*, ut c. 33. *quibus exercitationibus iuvenes . . . alere ingenia sua solita sint.*

cum vobis. *cum* omis. MSS. Neap. [Farn.], servavi vocabulum, quia in eo consentiunt edd. omnes. [Pro *illa* cod. Farn. *iam* exhibere Bekker. testatur, unde *iam illa* scribendum coniecit Boetticher., quo non opus est.] —

tum etiam iis. Sic MS. Neap. edd. Ald. et nuper Orell. pro vulgato *his.* — Pro *Secunde* MS. Neap. *seconde.*

Iulii Asiatici. MS. Neap. *Iuli*; ed. Put. *Asiati.* De viro cf. Hist. 2, 94.

plurium. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. — *plurimum* MSS. Neap. [Farn.] edd. Put. Riv. Ber. Alc., quae confusio facile oriri potuit. Schurzfleischius *plurimam* legi et ad *spem* referri vult. — Pro *rhetorum* ed. Put. *theorum.*

Cap. 15. *Non desinis.* MS. Neap. *num*, ed. Beroald. *disinis.* Universae sententiae contraria profert Plin. Ep. 6, 21. init.: *sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio.*

fratris tui. Intellige Aquilium Regulum, cuius mores et facta saepius commemorantur in Plin. Epist. 1, 5. 2, 20. 4, 2. et 7. 6, 2., ut recte suspicatus est Lipsius ex Tacit. Hist. 4, 42.: *magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messalla adeptus est, nondum senatoria aetate ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari.*

eloquentiae, neminem hoc tempore oratorem esse contenderes: atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non verebaris, cum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares.

Neque illius, inquit, sermonis mei poenitentiam ago; neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, (quanquam interdum in contrarium disputes) aliter sentire credo. ac velim impetratum ab aliquo ve-

neminem h. t. oratorem esse contenderes; atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opin. non vereb. Locus in libris antiquis misere depravatus. MS. Neap. ed. Lips. *neminem . . . contenderes; antiquis eo credo audacius, quod maligni in iis op. n. v.*; idem exhibent MSS. Vaticc., nisi quod ex Vat. 1518. Broterius *maligne in iis* enotavit. — Ed. Spir. *nostrum h. t. oratorem esse contendere. antiquis eo credo audacius quod malignus. his op. n. v.* — Edd. Put. Ber. Riv. Alc. *nostrum h. t. oratorem esse contendere antiquis eo credo audacius, quo malignius, his opinionem n. v.* — Edd. Rhen. Ald. *nostro hoc tempore oratorem contendere antiquis, esse credis audacius, quo malignitatis opinionem non ver.* Lipsius duplicem emendandi rationem proposuit, aut scribendum: *contenderes parem antiquis. eo credo audacius* etc., aut *contenderes. atque id eo credo audacius* etc. Hac Lipsii et Rhenani coniectura coniuncta Pithoeus restituit locum, uti nunc vulgatur: *atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non verebaris. malignitatis* imprimis placuit summo viro F. A. Wolfio in: *Vermischte Schriften* p. 163., cuius verba adscribo: „pro *maligni in iis* Acidalius coniecit *m. iudicis* (quod probatum est ab Heumanno et Schulzio), emendatione satis facili, ut ipse autem appellabat, eleganti. Sed elegantiam quidem mallemus cuiuspiam boni auctoris exemplo quam tali praeconio probavisset. Nobis de elegantia contra videtur. Propiorem et vere latinam lectionem servant plures vett. editt., postea diductam vitiatamque sola fortasse culpa operarum, *malignitatis opinionem.* Id primum conspectum nemo non simul verissimum iudicaverit." Cf. c. 18. *vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse.*

ipse tibi. Edd. antiquae *ipsi tibi*, vitio frequenti, quod primus sustulit Lipsius.

quanquam ... disputes. Quanquam cum coniunctivo iunctum infra quoque cap. 26. et 34. Cf. not. ad An. 3, 55., ubi adde Spalding. ad Quint. Inst. or. 1. prooem. § 18. 1, 21, 5. 6, 3, 18.

ac velim. Sic libri omnes praeter ed. Spir., in qua *at velim* expressum est, quod Dronk. Osann. et Orell. receperunt; ille falsa deceptus opinione, coniunctionem adversativam ad transitum indicandum ab optimis quoque scriptoribus usurpatam esse; hic vero Proleg. p. LVI. calidius et acrius quam verius contendens, particulam adversativam ipsa sententia imperiose requiri, ut oppositio significetur eorum, quae verbis praecedentibus dixerit Messalla. Perperam; progreditur enim interlocutor ad exhortandos illos, ut quae senserint de discrepantia illa velint exponere.

strum, ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. et, quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video, etiam Graiis accidisse, ut longius absit Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mytilenas contentis scholasticorum

conquiro. MS. Neap. *inquiro* — Pro *plerumque* Heumannus coniecit *persaepe*, idemque adversativa sententia pro *Et quod* maluit corrigi *At quod* etc., utrumque sine causa idonea.

quibusdam solatio est. Acidalii coniecturam *solutio est* i. e. solvit quaestionem, Schurzfleisch. et Broter. probarunt, non reputantes illi, tum dicendum fuisse, *quae quibusdam solutio est*, vel, *quod quibusdam solutioni est*, id quod vere monuit Orell. Proleg. p. XLVI.

auget quaestionem. MS. Neap. *questionem.* Sententia est: maiore huius differentiae causas cognoscendi cupiditate me incendit.

Graiis. Sic omnes edd. inde a Puteol., neque id spernendum, quum et alii scriptores eadem forma utantur, veluti Nepos praef. 3. Themist. 9, 2. Alcib. 7, 4. Eumen. 1, 5. aliique. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. *gratis.*

ut longius absit Aeschine et Demosthene. MS. Neap. *abiisset*, sed supra scriptum est *absit*, [Farn. cod. *abiisset.*] — edd. antiquae *absit Eschines et Demosthenes* (vel *Demostenes*, ut ed. Spir.). Quae correxit Rhenan. in castigatt. *absit Aeschine et Demosthene*, itaque ediderunt omnes sqq., nisi quod Orellio placuit scriptura in marg. editt. Francof. et Colon. notata *absit ab Aeschine et Dem.* Solet enim *ab* praepositio in huius verbi structura repeti (cf. infra c. 23. Plin. Paneg. c. 1. 63. 71. Quintil. Inst. or. 1, 3, 2. 10, 21. 11, 3. 15. et sexcentis locis), neque tamen desunt loci, quibus solus ablativus non adiecta praepositione reperiatur. Cf. Hand. Tursellin. Vol. I. p. 38. 62.

sacerdos iste Nicetes. MS. Neap. et edd. antiquae *sacerd. iste enitet*, quod cum satis dubia correctione Rhenanus in *Dositheus* mutasset, palmaria emendatione Lipsius Antiq. Lect. I, 16. restituit *sacerdos iste Nicetes.* Fuit is Smyrnaeus, et rhetor ea aetate non ignobilis, quem Plinius quoque frequentaverat (cf. Epist. 6, 6, 3.). Cf. Philostrat. Vit. Sophist. 1, 19. Senec. Controv. 4, 25. 9, 2. Suasor. 1.

Mytilenas. MS. Neap. *Mythilenas*, edd. Spir. Put. *Mitilenas*, ed. Pith. *Mitylenam*; reliquae edd. *Mitylenas* praeter Dronk. [Bekk. Boettich. Rupert.], qui *Mytilenas* ediderunt. cf not. ad An. 6, 18. [ubi adde Wesseling. ad Herod. 1, 160. Bekker. ad Thucyd. 3, 2. et Plehn. Lesbiac. p. 11.].

contentis scholasticorum clamoribus quatit. Sequutus sum egregiam Pithoei emendationem, quae ab Ernest. Broter. Seebod. Orell. [Bekker. Boetticher. Rupert.] et F. A. Wolfio l. l. probata est. „De commotis plausibus auditoriorum, inquit Wolfius, sermo est, non de Stentorea rhetoris declamantis voce." In reliquis libris omnibus, codd. quoque Neap. [et Farn.] *contentus* scriptum est, quo rhetorem contenta voce loquentem indicari non posse patet. Sed volunt interpretes significari talem, qui discipulorum coetusque collecti adclamationibus contentus sit eisque summa quaeque sibi adeptus esse videatur. Sed praestat ornari *clamoribus* epitheto aliquo. Quare

clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut ab Asinio recessistis.

XVI. Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quaestionem movisti. sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messalla, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adiuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. nam et ego et Secundus exsequemur eas partes, quas intellexe-

Freinshemius et Heumann. *continuis*, Schulting. *contentiosis* corrigebant; sed sufficit *contentis*. MS. Neap. et ed. Spir. *et* ante *clamoribus* interserunt, quo bene carere possumus.

vos ipsi. MS. Neap. *nos ipsi.* Ex eodem codice scripsi *ab Asinio*, praepositione repetita, ut fit plerumque post particulas disiunctivas. In reliquis libris tantum *Asinio*, in ed. Spir. *sinio* legitur.

Africanus. Cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 118. *Iulius Africanus concitatior, sed in cura verborum nimius, et compositione nonnunquam longior, et translationibus parum modicus.* Vide Spalding. ad Quint. T. III. p. 290.

Cap. 16. *quaestionem movisti.* Pluralem verbi numerum *movistis* exhibent MSS. Neap. [Farn.] edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Pithoe., ex quibus eam revocarunt Dronk. et Osann. Sed quum praeter Vipstanum Messallam nemo eam quaestionem protulerit, deinde quum *s* littera praecedenti vocabulo facillime addi potuerit propter seq. *sed*, praeferendum videtur, quod tacite scripsit Lipsius, *movisti*, quodque asciverunt sqq. omnes et nuperrime Orellius defendit. [Lipsianam script. retinuerunt Bekker. Boetticher. Rupert.] — *questionem* MS. Neap., ut cap. antecedenti.

explicabit. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., ex quibus id receperunt Dronk. Osann. [Bekker. Boetticher.]. In omnibus aliis libris *explicaverit* scriptum est, quod servandum duxerunt Orell. [et Rupert.]; ille enim, ut ipse dicit, in mutatione *explicabit* veram correctionem non reperit. At neque vitiosi quicquam inest et firmat eam codd. consensus.

cogitationes. Edd. Ber. et Alc. *cognitiones*, quae vocabula apud Cicer. de orat. 1, 3, 10. confusa sunt et saepius, veluti supra c. 5.

si illud. *Si* omissum in MSS. Neap. [Farn.], sed recte adscriptum in edd. omnibus. Pro *illud* Dronkius ex more suo (cf. not. ad cap. 13.) e Vat. cod. 1862. correxit *istud*, nemine obtemperante.

exsequemur. Ed. Spir. *exequamur.* — Paulo post addidi *eas* ante *partes* ex auctoritate MS. Neap. [, idem fecit Bekker. ex Farn. cod., quem Boetticher. sequutus est]; reperitur id in ed. nulla. — Dein MS. Neap. *obmisisse*, ut c. 3. *obmisit*, *obmissis.* Denique pro

rimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus est iamdudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum et indefensum saeculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis? ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intelligo; ac mihi versantur ante oculos Ulixes et Nestor, quorum aetas mille fere et $\overline{\text{CCC}}$

Aprum ed. Iunt. praebet *Apatrum.*

manifestus est. Sic edd. antiquae et sqq. pleraeque, neque dissentit MS. Neap., in quo *manifestus et iamd.* repertum est. Negligentia factum videtur, ut in edd. Bernegger. Heumann. Schulz. Oberlin. et eorum, qui Oberlinianam textus recognitionem expresserunt. omissum sit *est*, quod recentiores rectissime restituerunt.

inauditum et indefensum. Cf. An. 2, 77. *inauditum et indefensum;* Hist. 1, 6. *inauditi atque indefensi*, ibid. 2, 10. *indefensum et inauditum.* Suet. Claud. c. 38. *inauditos et innoxios.*

significatione ista. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. edd. Lips. Broter. Bipont. Seebod. (ed. alter.) Dronk. Osann. Orell. [Bekker. Boetticher. Rupert.]. Sed edd. antiquae et Pithoe. Pichen. I. Fr. Gronov. Heumann. Schurzfleisch. Ernest. Schulz. Oberlin. al. exhibent *signatione*, quod quidem vocabulum non nisi apud citerioris latinitatis scriptores legitur. Sed maluerunt in ea lectione perseverare, quia *antiquorum* nomini temporis signatio insit, nec significatio. cf. Fr. Modius Novantiqu. Lect. ep. XV. Qui lectionem *signatione* porro defendent, Orellius inquit Proleg. p. XLVI., recurrant ad Quint. Declam. 365. p. 755. Burm., ubi tamen mihi quidem idem error videtur obtinere. Praeterea *significatio* est *antiqui* nominis, nam veteres et antiquos appellant rhetores eos, „qui vetustatem pertulerunt." Vide Quint. Inst. or. 10, 1, 40. et Spalding. ad eund. 8, 5, 12.

ac. Ed. Spir. *hac.*

Ulixes et Nestor. Commemorat eos, quia carminibus Homericis tanquam praestantissimi oratores celebrantur. De hoc enim Homerus Il. α', 249.: *τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή*, vel, ut apud Ciceron. est de senect. c. 10, 31. *ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio.* Discrepant vero libri in nominum scriptura. *Ulixes* praebent edd. Spir. et nuper Dronk. Osann. Orell. [Rupert.], quam formam veram esse post alios probavit Osann. ad Apulei. de orthogr. p. 52. — *Ulyxes* MS. Neap. edd. Put. Riv. Ber. — *Ulysses* edd. Alc. et sqq. [nuper Bekker. et Boettich.], quod vix videtur latinum fuisse. cf. Burmann. ad Ovid. Heroid. 1, 1. — Pro *Nestor* MSS. Neap. [et Farn.] *Menestor.*

mille fere et $\overline{\textit{CCC}}$ annis. Sic

annis saeculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen, ut utrique superstites essent. ex quo adparet, non multo plures quam CCCC annos interesse inter nostram et Demosthenis aetatem. quod spatium temporis, si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur; ad naturam saeculorum et respectum inmensi huius aevi,

MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., ex quibus repositum est a Broter. Ernest. et recentt. Antea vulgabatur *mille fere et CC annis*, quod temporum rationibus non accurate respondet.

antecedit. MSS. Neap. [Farn.] *caedit.*

profertis. Sic MSS. Farn. teste Lipsio et Neap. et edd. post Lipsium omnes; sed in ed. Spir. *perficitis*, in edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *percipitis* reperitur, quod aperto falsum est.

CCCC annos. Corruptus est numerus, qui ab libris vett. exhibetur; in MS. Neap. *trecentos an.* exstat, [in Farn. cod. *tercentos a.*], in edd. Spir. Put. Riv. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. *CCC annos.* Sed Lipsius iam et Mercerus temporum computatione accuratius instituta perspexerunt *CCCC annos* corrigendum esse, eosque sequuti sunt omnes. Cicero enim de divinat. 2, 57, 118. dicit: *Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC fuit;* at vero, *ab interitu Ciceronis*, ut infra narratur c. 17., *in hunc diem centum et viginti anni colliguntur*, quos annos si coniunxeris, plus etiam quadringentis annis habebis. Mortuus est Demosthenes in Calauria insula Philocle archonte Ol. 114, 3. sive mense Octobri a. Chr. 322., et eodem fere tempore Hyperides interfectus est ab Antipatro. cf. Plutarch. Demosth. c. 28. Phot. Bibl. cod. 22. Dialogus vero noster habitus fingitur (cf. not. ad cap. sq.) A. U. C. 828. sive Ol. 213. anno altero vel tertio. Miro artificio lectionem antiquitus traditam Schurzfleisch. defendit; nam, sic ratiocinatur, cum infra quoque temporis computatio a morte Ciceronis instituatur, h. l. item a morte Demosthenis anni computandi sunt. Colliguntur sic CCCXCVII anni, non igitur *multo plures quam CCCC annos interesse* dici poterat, quia pauciores etiam sunt. Unde vero idem vir doctus colligit, Tacitum hoc libello non accurate tempora notasse; immo contrarium tota haec Apri disputatio ostendit.

quod spatium. Ed. Spir. *quo spat.*, et postea *infinitatem* pro *infirmitatem.*

videatur. Coniunctivum servavi contra MSS. Neap. [Farn.] testimonium, *videtur* exhibentium, nam postulat eum latinitas. Ex eisdem libris omisi *si* ante *ad naturam*, quod in omnibus edd. [praeter Bekker. et Boettich.] exstat. MS. Neap. *ac respectum* pro *et resp.*

inmensi huius aevi. Ita MSS. Neap. et Vaticc., inde edd. Broter. sqq. praeter Dronk. et Osannum, qui editt. ante Broter. publicatarum lectionem *huius immensi aevi* restituerunt. Quidni sequamur codices. Errore fortasse typothetae in ed. Schulz. *immensi* omissum est.

perquam breve et in proximo est. nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio coeli siderumque, quae cum maxime est, rursum exsistet, isque annus horum quos nos vocamus annorum XIIMDCCCCLIV complectitur: incipit De-

in proximo est. Ad sententiam Plinius comparandus est Ep. 4, 24, 5. *si computes annos, exiguum tempus: si vices rerum, aevum putes.*

si, ut. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. et edd. post Broterianam ad hoc tempus omnes — ed. Spir. *sicut* — edd. Puteol. et sqq. *si, sicut.*

Hortensio. Eo nomine inscriptus erat Ciceronis liber, deperditus nunc, quo philosophia ab ipso defensa et collaudata est. Commemoravit eum de Fin. 1, 1, 2. Tusc. disp. 3, 3, 6. 2, 2, 4. de divinat. 2., init. ad Attic. ep. 13, 18. aliisque locis, libri nomine non addito. Cf. Beier. ad Cic. Offic. Vol. II. p. 16. sq. et libri fragmenta in ed. Orell. T. IV. P. 2. p. 479. — 486. Eundem Ciceronis locum respexit Serv. ad Virg. Aen. 1, 269.: *Et horum annorum, quos in Fastis habemus, magnus XII millia DCCCCLIV amplectitur*, et ad Aen. 3, 284.: *magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. Et hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium post annos XII millia nongentos quinquaginta quattuor, solstitiales scilicet.* Ex his Servii locis corrigendus est scriptor noster, quum edd. vett. et MS. Neap. numerum exhibeant uno centenario minorem; scriptum est enim *XIIDCCCLIIII.* Emendavit Nic. Loënsis, sequuti sunt Heumann. Ernest. et recentt., idem faciendum esse perspexerat Davies. ad Cicer. de nat. deor. 2, 20. Sed nonnullis vel hic numerus videbatur minor, et in marg. edd. Francof. et Colon, ut Dronkius refert, *XV* aut certe *XIIIIMDCCCLIV* ut corrigatur, suadetur ex Macrob. Somn. Scip. II. c. 11. Schulting. denique malebat *IVMDCCCLIV*, quia Censorinus de die natal. c. 18. tradiderit, Aretam Dyrrhachinum annum hunc magnum statuisse annorum nostrorum 5552. De re vide explicatius dicentes Broterium et Dronkium.

[*est.* A Farn. abest, et potest abesse, inquit Boetticher.]

verus annus. Frustra in marg. edd. Francof. et Colon. *vertens an.* corrigitur. — *siderum* sine *que* est in edd. Put. et Riv., excidit autem propter sequens *quae.*

cum maxime. Sic recte scriptum est in libris, nec opus, ut cum Nicol. Loënsi epiphyllid. miscell. 9, 5. *nunc maxime* corrigatur, quod factum est a Schurzfleisch. Heumann. Oberlin. Schulzio. Vide tu de particulis illis coniunctis Ernest. ad Tacit. Hist. 1, 29. et Clav. Cicer. p. 359., Spalding. ad Quint. Inst. or. 6, 1, 23. Beier. ad Cic. Offic. Vol. II. p. 47.

quos nos vocamus. Sic MSS. Neap. Vatt. edd. Ernest. et recentiores omnes. — In edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *quos* omissum est; dein Rhenanus (in castigatt.) emendavit *quos vocamus*, quod propagatum est in edd. usque ad Ernest. et Broterium.

complectitur. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *complectuntur*, quod Rhenanus correxit, adsentiente MS. Neap.; de reliquis codd. tacent.

mosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed fere eodem mense exstitisse.

XVII. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis: sed Ciceronem et Caesarem et Coelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messallam. quos quidem cur antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video. nam, ut de Cicerone

incipit ..... exstitisse. De similibus pleonasmis dixi ad cap. 11. *ingredi famam auspicatus sum*, quare noli de vitio cogitare cum Ernestio.

eodem anno quo nos. Ita MSS. Neap. [Farn] Vaticc. edd. Ernest et recentiores. — *eodem annos quo nos* ed Spir. — *anno quo nos* edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. et sqq. Inutili coniectura Pithoeus scribendum suasit *non solum eodem mense quo nos, sed fere eodem die*, et Schulzius in sqq.: *sed fere eodem mense et die.*

fere eodem mense. MS. Neap. *fama eodem modo* [, idem cod. Farn., unde Bekker. et Boetticher. *ferme eod. m.* scripserunt, quod placet]. *fere* voculam supervacuam esse et, si placeat eruditis, expungendam, Schurzfleisch. credit.

Cap. 17. *Menenium . . Agrippam.* Sic edd. post Puteolanam omnes, in qua sublatus est MSS. Neap [Farn. t. Bekk.] et ed. Spir. error apertus *me nimium.* De viro omnia nota ex Liv. 2, 32.

antiquus. MSS. Neap. [et Farn.] *antiquos.*

Coelium. Discrepant in huius nominis scriptura libri vett.; MSS. Neap. [et Farn.] et ed. Spir. *alium* exhibent, edd. Put. Ber. Alc. aliae *Caelium*, quae quidem forma in lapidibus quoque reperitur, quanquam magis firmata est vulgo recepta scriptura *Coelium*, quae iam in ed. Riv. exstat. Est vero M. Coelius Rufus, de quo praeter P. Manutium in praef. comment. in epistolas Coelianas, Ciceronianarum libro octavo insertas, in ed. Graevii Vol. I. p. 367. vide Ellendt. hist. eloq. Rom. p. CX. sqq. — De Caio Licinio Calvo praeter Ellendt. l. l. p. CXVIII. sqq. adeas A. Weicherti libellum de C. Licinio Calvo poeta, Grimae 1825. editum et in Poetarum latin. reliquiis p. 89.—146. repetitum, quocum conf. Osann. ad Apulei p. 17. et Klein. ad Ovid. Trist. p. 86.

Asinium. Edd. Spir. Put. Riv. *Assinium.*

quos quidem cur a. t. p. adscribatis. Nec hic locus integer est in libris antiquis, quia MSS. Neap. [et Farn.] *quid* praebent *cur* omisso, ut in ed. Spir. quoque factum videmus, itemque codd. illi *ascribitis* exhibent, non *ascribatis* vel *adscribatis*, in qua lectione edd. omnes consentiunt. Veteres appellantur scriptores, qui ante Augusti principatum fuerunt, ut apud Graecos antiqui scriptores nominantur, qui ad Alexandri aetatem

ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa COSS., ut Tiro libertus eius scripsit, VII. Idus Decembris occisus est, quo anno D. Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium COSS. suffecit. statue sex et quinquaginta annos, quibus mox Divus Augustus rem publicam rexit; adiice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Cai,

vixerunt. Sed fluctuant scriptores in ea appellatione, id quod de Quintiliano ostendit Spalding. T. II. p. 126., ubi docet, a Quintiliano quoque Inst. or. 9, 3, 1. Ciceronem cum veteribus coniungi, eodem sane iure, quo Livium inter veteres rettulit Tacit. Agric. c. 10.

ipso. Ed. Spir. *ipē*, [pariterque cod. Farn. t. Bekk. *ipse.*]

Hirtio . . et Pansa. MS. Neap. *Hyrcio.* — Edd. antiquae *Hyrtio.* In Puteolani ed. typothetae errori debetur lectio *pensa.* Paulo post MS. Neap. et edd. antiquae *Tyro* praebent, non *Tiro.* Scripsit vero haec Tiro in libris de Ciceronis vita, quorum quartus ab Asconio commemoratur ad Cic. Milonian. c. 14. Cfr. Lion. in Seebodii *Archiv f. Philolog.* a. 1824. p. 247.

VII. Idus Decembris. In MSS. Farn. (t. Lipsio) Neap. Vaticc. et in edd. antiquis tantum verba *VII. Idus* exstant, et quidem in Farnesiano libro spatio relicto ad mensis nomen adiiciendum. Addidit Anton. Augustinus nomen *Octobris*, sed rectius et ad historiam accommodatius a Lipsio *Decembris* positum est. Cf. Pighii Annales ad a. u. 710. Vitiose ed. Riv. *VI. Idus* dedit. Verba sequentia *quo anno Divus Augustus . . suffecit* ita otiosa videbantur Schulzio, ut de glossemate ea suspecta haberet. Habet sane accurata temporum notatio languidi aliquid, sed non in eo sententiarum nexu, qui accuratam eorum definitionem exigat. *Divus* ante *Augustus* omittunt MSS. Neap. [et Farn.], placuit tamen vocem servare, quae in omnibus edd. est. — Pro *suffecit* denique ed. Put. dat *sufficit*, eademque interpunctionis signum omittit.

statue sex et quinquaginta annos. MS. Neap. *statuae* — ed. Spir. *statuę* — edd. Put. et Riv. *statutae.* Sed disceptatio orta est de annorum numero, quem statuit Aper. In MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. legitur *novem et quinquaginta annos;* edd. antiquae ante Lipsium consentiunt in *VIII et L annos;* Lipsius denique *sex et quinquaginta annos* scripsit; eum omnes sequuti sunt. Vett. edd. numerum revocandum putavit Dronk. adsentiente Osanno; perperam. non enim a Caesaris, ut ille voluit, sed a Ciceronis morte Aper numerat, ut ex ipsius verbis adparet; Tullius vero occisus est VII. Idus Decembr. A. U. 711. et Augustus obiit XIV. Kal. Septembr. A. U. 768., quos annos si computaveris, numerus a Lipsio statutus efficietur. Magis etiam confirmat id Suetonii testimonium Octav. c. 8.: *primum cum M. Antonio Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio per duodecim fere annos, novissime per quatuor et quadraginta solus rem publicam tenuit.*

Cai. Sic edd. Spir. Put. Riv. Rhen. Ald. Lips. et Pithoeus, pro quo posteriores *Caii* scripserunt, sed Dronk. vett. edd. scripturam restituit. [In edd. Bekker. et Boetticher. *Gai* scriptum est, quod reperitur in monumentis quibusdam, veluti apud Gruter. p. 250. 574. cf. P. Diaconus de not. litterar. p. 1589. ed. Putsch., sed disertis

ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque ipsum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet, centum et viginti

verbis a Quintiliano dicitur Inst. or. 1, 7, 28.: *nam et Gaius C litera notatur, quae inversa mulierem denotat.* cf. Terent. Maur. p. 2402. ed. Putsch., Diomed. p. 408. ed. Putsch., Mar. Victorin. p. 2469. et Serv. ad Virg. Georg. 1, 194. Neque praetermittendum est, G litteram demum post primum Punicum bellum inventum esse a Sp. Carvilio, auctore Plutarch. Quaest. Rom. 54. ed. Hutten., cuius nomen in Sp. Carvutium corrupit Terent. Scaurus p. 2233. Putsch. Vide Noris. ad cenotaph. Pisan. dissert. 4. c. 5.]

atque ipsum .... longum et unum annum. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] et Vaticc. et ed. Pithoei. — MS. Farn. teste Lipsio *atque ipsum ... unum annum.* — ed. Spir. *atque unum G. et O. et vit. longum et unum annum*, ex qua lectione verbis *longum et* reiectis orta est scriptura edd. Put. Ber. Riv. Alc. Rhenan. Ald. *atque unum G. et O. et Vit. unum annum*, quam revocavit nuper Seebod. et post eum in textu posuerunt Dronk. et Osannus; quorum hic sic distinxit verba, ut unus annus Galbae, itemque Othoni et Vitellio unus adtribueretur, dum alii post *Othonis* interpunctionem ponere solent. Sed id est contra historiae fidem, nisi tu viginti duo dies anni nomine consignatos esse putaveris. Lipsius igitur correxit *atque ipsum G. et Oth. et Vit. unum annum*, idque retinuerunt sequentes, nisi quod Acidalius *unum*, quod *ipsum* vocabuli glossema esse suspicabatur, volebat deleri; et Schurzfleisch. coniecit: *adde ipsis Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum*, ut haec cum superioribus per *statue* et *adiice* coniunctis verbis melius concinnaret. Equidem codd. sequutus *longum et unum annum* recepi, Schurzfleisch. probatum et Osanno, qui aliam verborum collocationem desiderat *et longum unum annum.* Bene dicitur longus annus, quia inter mortem Neronis et principatum Vespasiani unus annus et viginti duo dies fuerunt; *et un. an.* dictum est quasi esset *sed unum ann.*, ut Hist. 2, 20. An. 1, 38. aliisque locis apud Walch. ad Agric. c. 15. p. 222. [Eandem lectionem Bekker. et Boettich. amplexi sunt.]

sextam iam felicis huius principatus stationem. Offendit nonnullos dictionis insolentia. *statio* enim hac aetate de principis loco usurpatum est, usu a militaribus stationibus ducto. cf. Lips. ad Plin. Paneg. p. 39. ed. Arntz. Quare Schelio placebat refingere *ac sex iam, tam felicis huius principatus stationem*, Schulting. *ac sex iam inter felicis huius princ. stationem*, et *ac secutam iam fel. h. pr. stationem*, quae quidem coniectura haud improbabilis videtur. Neque enim ea solum difficultas tollitur, quam movit Schelius offensus accurato numeri indicio in re notissima, verum etiam id, quod non minus offendit, quod Vespasianus non per totum imperium suum, sed sexto demum principatus anno rem publicam fovisse dicitur. Felicissimum Traiani principatum Plinius commemorat Epist. 10, 2, 2.

centum et viginti anni. Sic MSS. Neap. et Vatic. 1518. edd. post Puteolanum omnes, is enim correxit codd. Vaticc. 1862. et 4498. et ed. Spir. errorem $\bar{C}$ *et* $\bar{X}$. Cf. cap. 24. *cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.* Sextus vero illius im-

anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fatebatur ei pugnae interfuisse, qua Caesarem, inferentem arma Britanniae, arcere litoribus et pellere adgressi sunt. ita si eum, qui armatus C. Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem et Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus

perii annus a Kalendis Iuliis anni LXXIV. p. Chr. ad anni LXXV. pertinet Kalendas itidem Iulias. Numero rotundo utitur Noster, ut fieri solet in maiore numero, proprie enim CXVIII anni efficiuntur. *Colligere* in computatione solemne verbum, ut de Germ. c. 37. *ducenti ferme et decem anni colliguntur*, et Plin. N. H. 13, 13, 27. *ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXV.* Unius hominis aetatem tot annis contineri eodem iure dicit scriptor, quo Agricola quinquaginta sex annos natus *medio in spatio integrae aetatis ereptus* dicitur cap. 44.

fatebatur. Sic MSS. Neap. [et Farn. edd. Bekker. et Boetticher.] — in reliquis omnibus *fateretur* scriptum est.

ei pugnae. Hanc emendationem Mureti, Pithoei et Acidalii omnes pro vitiosa MS. Neap. et edd. antiquarum lectione *et pugnae* receperunt, quae commutatio non insolita fuit. Cf Spalding. ad Quint. Inst. or. 5, 10, 96.

Britanniae. Sic libri omnes, sed eam lectionem vitiosam putarunt propter subiectum verbi *adgressi sunt* omissum. Quare ex edit. Bipont. coniectura *Britannis* Oberlin. Bekker. et Lünemann. ediderunt, ut ex dativo nominativum supplerent ad *adgr. sunt. Britanni .. adgr. sunt* vel *Britanniae ... adgressae sunt* Ernestius malebat. Tu adquiesce in vulgato, si quidem facile cogitantur incolae Britanniae; noli tamen Rauchensteinii sententiam probare, qui: hoc minus offendendum, inquit, quum Britannus ipse sit, qui narret, quid sui fecerint. Immo Gallus est Aper. cf. c. 10. *ne quid de Gallis nostris loquar.*

voluntas. Heumann. coni. *voluptas*, ut in Virgiliano illo Ecl. 2, 65. *trahit sua quemque voluptas*, sed ibi intelligendus est amor, libido.

idem et Caesarem. MS. Neap. *et quidem et Caes.* — [MS. Farn.] edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *et quidem Caes.*; Rhenanus correxit, quod deinceps vulgabatur *idem Caesarem*, quam lectionem, *et* ex Neap. libro interposito, ego quoque probavi. Dronkius malebat *et idem*, [Rupert. *is quidem*]. — Pro *potuit* Seebod. ed. pr. *potuerit* voluit; temere.

actionibus. Actio pro ipsa oratione dicitur, etiam scripta, quanquam orationem ab actione distinguit Plin. Epist. 1, 20. Vide interpr. Suet. Ner. c. 15. Spalding. ad Quint. Inst. or. 10, 1, 21. et not. crit. ad 4, 1, 32. Recte igitur eam lectionem, quae in Neap. cod. exstat, Lipsius adscivit pro edd. vett. *auctoribus.* Ob illarum in hac voce consensum Dronk. et Osann. *actoribus* maluerunt, quod usurpatur de oratore infra c. 26., apud Ciceronem etiam Brut. c. 89. et Horat. A. P. v. 369. Sed codicis scripturam praeferendam duco.

interesse. proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui, se a D. quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. ex quo colligi potest et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse. nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. Ne dividatis saeculum, et antiquos ac veteres vocitetis oratores, quos eorumdem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt.

XVIII. Haec ideo praedixi, ut, si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis,

congiario. MS. Neap. *cogiario* et paulo post *cogiarium*, lineola supra *o* omissa. — Pro *plerosque* Gesnerus malebat *plures*, non improbante Heumanno. Sed cf. not. ad An. 4, 9. Agric. c. 1. Neque tamen Tacito proprius est usus vocabuli *plerique* pro *multi*, sed etiam a Nepote sic usurpatum est. Cf. Indic. in Bardiliana Nep. Stavern. repetitione.

audiri. Ed. Spir. *audire.*

ne dividatis. Acidalii coniecturam ab Heumanno et Bekkero probatam firmat auctoritas codd. Neap. [et Farn. t. Bekk.], quare eam in textu posui prae vulgata lectione *nec dividatis*, quod ferri posse non nego. Non opus tamen Orellii emendatione *ne nunc dividatis.* — Ex eodem libro manu scripto *vocitetis* recipiendum est, [ut receperunt Bekker. et Boetticher. e cod. Farn]; verbum enim frequentativum bene convenit in huius nominis saepius repetita iactatione. Sed omnes libri editi *vocetis* praebent. [Me offendit h. l. vocabulorum *antiquus* ac *vetus* coniunctio; solet enim scriptor *vetus* priore loco ponere eique subiungere *antiquus*, ut cap. 15. et 16. eodemque modo apud alios coniuncta reperiuntur vocabula, velut apud Plin. Epist. 3, 6, 3. *vetus et antiquum* et Paneg. 11, 4. *illos veteres et antiquos.* Et sententia exigit, ut *recentes* ponatur pro *veteres*, si quidem auctor indicare vult, nomen ineptum esse, si idem homo veteres illos cum iis, qui sua aetate vivunt, coniungere potest. Recentes igitur is copulat cum veteribus. *recens antiquo* oppositum Agric. c. 10. Plin. Ep. 8, 14.]

quos. Ed. Ber. *quo.*

Cap. 18. *ex horum orat. fama gloriaque laus.* Meliorem hanc scripturam debemus cod. Farn., ex quo eam Lipsius recepit; non igitur ex coniectura profecta est, ut Dronk. et Osann. opinantur. Cum Farnesiano consentit liber Neapol. Edd. quae Lipsianas antecedunt *et horum orat. fama gloriaque ac laus*, quod quibus rationibus defendi possit, ut volebat Schurzfleisch., non perspicio. *fama gloriaque* synonyma ab aliis quoque scriptoribus coniuncta sunt, a Sallust. Iug. c. 4. et 48. Plin. Ep. 4, 2. 6, 29. 7, 28. et Paneg. c. 10. Ut h. l. *laus adquiritur* dictum est, ita apud eundem Plinium Ep. 1, 10, 6. *quae . . . illi tamen plurimum venerationis adquirunt.*

propiorem. Ed. Put. *propriorem.* Eadem confusio infra c. 21.

quam Ser. Galbae, C. Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus. sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam imitatus nulla parte

Ser. Galbae, C. Carboni. MS. Neap. *S. Gallae aut C. Carboni;* ed. Spir. *Cai Carbonis. aut* interpositum non prorsus improbaverim, cum saepius scriptores ea particula usi sint ad coniungendas enuntiati partes, non ad disiungendas, ut Cicer. Orat. 1, 4.: *in poetis non Homero soli locus est aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos.* Schultingius mancam orationem esse putavit propter cap. 25., ubi inter antiquos numeratur C. Laelius quoque, ideoque eius nomen h. l. addere voluit: *Ser. Galbae, C. Laelio et Carboni.* Quid impedit quominus Laelium *aliis* adscribamus, qui antiqui vocentur.

merito antiquos vocaverimus. Sic emendatum est ex codd. Vaticc. a Broterio, quem sequuti sunt deinceps fere omnes. Multoque magis ea firmatur scriptura codd. Neap. [et Farn.] auctoritate. In edd. antiquis itemque Lips. Pithoei et sqq. usque ad Ernestium et verborum ordine transmutato et verbi modo editum est *antiquos merito vocaremus*, quod perperam defendit Ernestius collato *docerem;* neque perinde est, id quod Oberlin. opinabatur, utrum elegeris tempus; „immo, inquit F. A. Wolf. *Vermischte Schriften* p. 161., recte praefertur *vocaverimus* i. e. vocare licet; nec defendi potest vulgatum *vocaremus.* Longe alia ratio est enuntiatorum, ubi boni scriptores imperfecta ponunt, Cicero in primis." Cf. Ramshorn. p. 408. sqq.

impoliti. Ed. Ald. *impositi*, typographico errore; Corbinellius coniiciebat *incompositi*, temere.

rudes et informes. Synonyma, ut cap. 20 *rudi caemento et informibus tegulis*, An. 12, 35. *rudes et informes saxorum compages*, Agric. c. 3. *incondita ac rudi voce.* — Eodem modo infra coniuncta sunt *plenior et uberior*, quocum cf. An. 12, 60. *plenius quam antea et uberius;* et *solutum et enervem*, cui compara An. 1, 50. *languida et soluta.*

quos utinam nulla parte imitatus esset. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *quos utinam imitatus esset* exhibent, quod ineptum et sensui contrarium est; ad sententiam igitur recte Rhenanus edidit *quos utinam imitatus non esset*, quem Ald. Lips. Pithoeus et posteriores fere omnes sequuntur. Sed meliorem lectionem MSS. Vaticc. [quibuscum facit cod. Farn. t. Bekkero] praebuerunt: *quos utinam nulla parte imitat. esset*, quam probarunt Broter. Bipont. Oberl. Dronk. Osann. Orell. [Boetticher.]. Eandem stabilivit MS. Neap., in quo *utinam in illa parte imit. esset* repertum est, frequenti confusione vocabulorum *illa* et *ulla*, de qua Cortius egit ad Lucan. 5, 617. Negligentiores vero fuerunt Oberlin. Bekker. et Lünemann., qui verba transposuerunt: *quos utinam imitatus nulla parte esset.* Muretus coniecturam proposuit praeclaram haud dubie: *quos utinam ne in illa parte imitatus esset*, [quam in textu posuit I. Bekkerus; si quid video, rectissime. nam, ut omittam cod. Neap. auctoritatem, quae non spernenda est, ipsa sententia flagitat eam scripturam, cum scriptor id unum vituperet in Calvo, Coelio et in ipso Cicerone, quod haud raro antiquorum illorum oratorum asperitatem maluerint imitari quam vim vehementiamque, quam illis adscribit consentiens fere veterum scriptorum testimonium. Neque tamen *nulla parte*, quod in reliquis libris exstat,

esset Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero. Agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero; Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis

cum Rupertio ad glossas et interpolationes rettulerim, immo firmant ea emendationem Mureti *in illa parte*, id quod scit, qui accurate litterarum ductus meminerit. Ceterum Rupert. acquievit in Rhenani scriptura: *utinam imitatus non esset*].

Coelius. Edd. Spir. Put. *Celius.* cf. supra ad cap. 17.

ante praedixero. Hoc est pleonasmis plerumque adscriptum nec raro deprehenditur vel apud optimos scriptores, vide Drakenb. ad Liv. 21, 20, 8. Tacit. An. 11, 7. *nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante praeviderit*; Plin. Ep. 10, 15, 2. *ut ante praedixi.* cf. not. ad cap. 23. [Explicatius de talibus disputavit Hand. Tursell. Vol. I. p. 385.]

mutari. Sic MS. Neap. edd. Spir. Rhenan. et seqq. omnes; edd. Put. Riv. Beroald. Alc. dederant *mutare*, quod copiose defendere conatus est Schurzfleisch., nec improbavit Broter. collato Liv. 39, 51. *mores quidem Romani quantum mutaverint vel hic dies argumento erit.*

formas quoque et genera. quoque in edd. omnibus omissum primus adiecit Broter. e MSS. Vaticc., idem exstat in codd. Neap. [et Farn.], recentiores igitur particulam restituerunt praeter Seebod. ed. pr., qui eam uncis circumclusit. Simile est exemplum infra c. 19. *formam quoque ac speciem orationis esse mutandam.*

Sic. Ed. Spir. *sicuti*, edd. Put. sqq. *sicut*, e MSS. Vaticc. et Neap. Ernestius scripsit *sic*, quod nunc vulgatur.

Gracchus plenior et uberior. Cf. Cic. Brut. 33, 125.: *Sed ecce in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare, quemquam pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse;* et compara aliorum de eodem viro iudicia apud Ellendt. hist. eloquent. Rom. p. XLV., quibus adde Fronton. ep. 3, 16.: *oratores veteres, quorum aut pauci aut praeter Catonem et Gracchum nemo tubam inflat; omnes autem mugiunt vel stridunt potius*, adde 3, 18. 4, 2, 5.

distinctior. Quid sit explicavit Buttmann. ad Quint. Inst. or. 12, 10, 39. *Annon in privatis et acutus et non asper et non indistinctus et non supra modum elatus M. Tullius?* Pertinet autem hoc vocabulum ad orationem luminibus insignem, ornatam, ut adparet ex Cic. Brut. c. 17. extr. Ernest. Lex. technol. p. 133., neque de sola perspicuitate intelligendum est. Eodem fere modo *littora distincta tectis et urbibus* sunt apud Ciceron. N. D. 2, 39., et *herbae innumeris distinctae floribus* apud Ovid. Met. 5, 266.

mitior Corvinus. Adpositum est Quint. iudicium Inst. or. 10, 1, 113. *Messalla nitidus et candidus et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam;* de sequentibus *in verbis magis elaboratus* vide Senec. Controv. 2, 12. *latini utique sermonis observator*

elaboratus. nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi: nec statim deterius esse, quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum

diligentissimus, et Fronton. ep. 4, 3. p. 95. ed. Rom.

quaero. MS. Neap. et ed. Spir. *quero.* — Postea edd. Put. et Riv. *vultum* corruperunt in *multum.* Illi vero simillimum Fabianum hoc Inst. or. 12, 10, 69. *plures igitur etiam eloquentiae facies.*

in illis. Praepositionem *in* MSS. Neap. [et Farn.] et ed. Spir. omiserunt. Inde a Puteolano edd. omnes praepos. addiderunt. Pro *deprehendi* edd. antiquae *deprendi* dederunt, quae quidem forma syncopata poetis magis in usu est quam pedestris orationis scriptoribus; ac si ea saepius reperitur in libris vett., malim id litterarum compendiis tribuere.

vitio autem malignitatis etc. Cf. Agric. c. 1. *aetas quamquam incuriosa suorum* (ubi vide Walch. p. 106.) et An. 2, 88. *dum vetera extollimus recentium incuriosi.* Vellei. Pat. 2, 95, 2. *praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur, et his nos obrui, illis instrui credimus*, ad quem locum Ruhnken. docuit, sententiae semina apud Thucyd. 2, 45. eiusque imitatorem Sallustium Catil. c. 3. esse. Cf. Horat. Carm. 3, 24, 31. *virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi*, et Sophocl. Aiac. 964. Br. οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι, τἀγαθὸν χεροῖν ἔχοντες, οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ, alios multos a Th. Schmidio ad Horat. Epist. Vol. II. p. 15. commemoratos.

Num dubitamus. Ed. Spir. errorem *nam dubit.* ad sententiam recte correxerunt Puteol. et edd. usque ad Lipsianam ed. in *nam non dubitamus*, sed Lipsius verisimiliter emendavit, quod nunc MS. Neap. confirmat, *num dubit.*, in quo edd. sqq. recte acquieverunt. Non igitur opus est, ut cum Mureto *numnam dubit.* substituatur, vel cum Heumanno ad orationem concinniorem reddendam edatur *num dubitabimus .... quum satis constet*, in cuius coniecturae parte altera praeivit Acidalius.

prae Catone Appium Caecum magis mirarentur. Libri quidem editi omnes itemque MS. Neap. consentiunt in *pro* praepositione, sed ea hic locum habere nequit nec ullo modo comprobabitur coll. c. 23. *Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt*, ubi peculiarem voculae significatum, quo *loco alicuius rei* indicat, nemo non videt, nec Cic. pro Milon. c. 2. *clamores maximos pro vestra salute neglexit.* Ibi quidem *pro* contra Huldricum aliosque defendere conabatur Orellius, sed nunc se errasse profitetur et *prae* ex codd. restituendum censet. Eandem praepositionem, quae in verbis quoque compositis a librariis confusa est cum *pro* (vid. not. ad An. 3, 5. et Beier. ad Cic. orat. fragm. p. 15.), hoc loco ponendam esse dudum perspexit Groslotius, quocum consentiunt Schurzfleisch. et Oudendorp. ad Apuleii Metam. IV. p. 269. Usurpatur enim ea in comparationibus, vide Drakenb. ad Liv. 3, 26, 7., atque talis h. l. instituitur; nam ho-

magis mirarentur? satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum antiquus videretur. legistis utique et Calvi

mines potiorem, praestantiorem iudicant Catonem quam Appium. Praetulerunt *prae* Schulz. Oberlin. Osann. Orell. [Bekker. Boetticher. Rupert.]. Neque offendere potest *magis*, quod delendum censebat Schurzfleisch., sed eodem iure, quo antea *ante praedixero* scripsit Noster, h. l. copulavit *prae Catone magis mirarentur.* Bipontini denique ex *pro* praepositione viri praenomen derivandum et *Porcio Catone* scribendum esse putarunt, sed nemo desiderabit praenomen omissum in viro clarissimo omnibusque satis noto. De Appio Claudio Caeco (quem *Cecum* faciunt edd. Spir. Put. et Riv.) eiusque eloquentia disputavit Ellendt. hist. eloq. Rom. p. X. sqq. [adde H. Meyer. fragm. orat. Rom. p. 1. sq.]

ne Ciceroni quidem. Certissimam hanc I. Fr. Gronovii emendationem adprobarunt Broter. Ernest. et deinceps omnes praeter Dronk. et Osann., qui veterem scripturam *nec Ciceroni quidem* reposuerunt, at male, ut docuimus not. ad cap. 10. *nec opinio quidem.*

obtrectatores. Cf. Quint. Inst. or. 12, 10, 12.: *Quem* (M. Tullium) *tamen et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem et Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium et in salibus aliquando frigidum et in compositione fractum, exsultantem ac paene, quod procul absit, viro molliorem;* coll. ibid. 12, 1, 22. *nec Cicero Bruto Calvoque* (sc. *videtur satis esse perfectus*), *qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt, nec Asinio utrique, qui vitia orationis eius etiam inimice pluribus locis insequuntur.* cf. Orell. ad Cic. Tusc. disput. 2. § 3. p. 371.

sed supra modum. Sed particulam in omnibus ante Ernestium edd. omissam, recte e codd. Vatt. et Neap. [nec minus Farn. t. Bekker.] receperunt edd. post Ernestium omnes. Alioquin hiaret oratio.

et parum antiquus. In hac scriptura consentiunt MSS. Neap. Vaticc. et edd. antiquae, nisi quod edd. Put. et Riv. *parum* corruperunt in *parvum*, quam corruptelam quo iure Dronk. et Osann. Beroaldo quoque et Alciato adscripserint, viderint ipsi. Et recte libri, modo tecum reputaveris, quae in antecedentibus scriptor protulerit. Loquutus est de iis, qui antiquos scriptores vel potius oratores recentioribus praeferunt, qui malunt Catonem probare et Gracchum aliosque eiusdem aetatis, quam eos, qui suo tempore vel Augusteo aevo vixerunt. Iis vero eo nomine reprehendendus videbatur Cicero, quod parum sese ad illorum exemplar accommodaverit, potius Graecos oratores expresserit. Neque infringitur huius argumentationis vis eo, quod Schulzius monuit, ob id ipsum taxari hoc capite Ciceronem, quod antiquos nimium sequutus sit. Verum quidem est, supra dictum esse, *quos* (Galbam scilicet, Carbonem aliosque antiquos) *utinam nulla parte imitatus esset ipse Cicero*, sed spectant ea magis ad sermonem (quod de iis quoque verbis censeo, quae c. 22. leguntur: *priores eius orationes non carere vitiis antiquitatis*) quam ad dicendi genus ipsum, in quo valde deflexisse Ciceronem ab antiquorum oratorum vi nemo nescit; h. autem l. vituperatur, quod tumens sit et inflatus et parum pressus, alienus igitur a composita et concisa oratione. Ipsum illud antiquum in laude fuisse apud

et Bruti ad Ciceronem missas epistolas: ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque dis-

posteriores Romanos docent M. Aurelii verba ab Orellio adlata Front. p. 50. ed. Rom.: *Nihil ego unquam cultius, nihil antiquius, nihil conditius, nihil latinius legi.* Laudandi sunt igitur, quod veterem scripturam restituerunt, Seebod. ed. altera, Dronk. Osann. Orellius. At vero improbata est eadem a permultis; Ursinus enim et Lipsius, quos Pichena, Bernegger. I. Fr. Gronov. Heumann. Ernest. Broter. Schulz. [I. Bekker. Boetticher. et Rupert.] sequuti sunt, emendarunt *et parum Atticus*, commoti imprimis Quintiliani auctoritate Inst. or. 12, 10, 14. *praecipue vero presserunt eum* (M. Tullium), *qui videri Atticorum imitatores cupierant*, ita ut in Cicerone vituperetur Asianum dicendi genus, quod in prioribus saltem eius orationibus deprehendatur. Sed si quid video, utriusque scripturae eadem est sententia, eamque ob causam libris antiquis potior adscribenda auctoritas quam ingeniosae emendationi. Eodem modo apud Quint. Inst. or. 5, 14, 32. Spalding. pro *antiquis* corrigere volebat *Atticis*, et versa vice apud eundem 10, 1, 115.: *imitator autem est Atticorum* Osann. coniiciebat *antiquorum* cf. eius not. ad Apul. de orthogr. p. 17. Doederlein. denique Lat. Syn. et Etym. I. p. 99. *parum et antiquus* praeferebat, quam vitiosam verborum collocationem ortam esse ex Oberlini corruptela Lipsianae emendationis in *parum et Atticus* veri est simillimum, cum omnes libri in *et parum antiquus* consentiant. Temerarium denique est, quod Schurzfleisch. coniiciebat, *parum nativus*, qua obiectione, ut ipsius verba transscribam, iudicii integritas et naturalis dexteritas defuisse illi dicitur.

legistis. E codd. Vaticc. et Neap. haec scriptura restituenda est cum Ernestio, quem deinceps omnes sequuti sunt, pro antiquitus vulgato singulari numero *legisti;* ad plures enim oratio conversa est, et supra quoque c. 17. *vidistis — dividatis . . . vocitetis* dictum est et hoc cap. *Calvus vester.*

exsanguem et attritum. In his verbis discrepant libri, sed scripturam nostram firmant MSS. Neap. et Farn. Nam in edd. vett. exstat *exanguem ac tritum*, de priore vide tu Buttmann. ad Quint. Inst. or. 12, 10, 15. not. crit., alterum recte emendavit Lipsius et sqq. omnes ex libro Farnesiano, ut ipse profitetur. Comparandum est Ciceronis iudicium Brut. c. 83, 283. *Calvus ... metuens, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio, nimia religione attenuata, docte et attente audientibus erat illustris: a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur*, quod respexit Quintil. Inst. or. 10, 1, 115. *inveni, qui Calvum praeferrent omnibus, inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse.* cf. Walch. ad Agric. p. 175. Schultingio *aridum* elegantius videbatur, coll. cap. sq. *aridissimis Hermagorae et Apollodori libris*, sed Ciceronis locus confirmat vulgatam lectionem.

otiosum atque disiunctum. Otiosum intellexerim languidum, lentum, ut colligere licet ex Quint. Inst. or. 8, 2, 19. *at ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio intelligit.* Sic cap. 21. Bruti *lentitudinis ac teporis libri* commemorantur, sic cap. 22. Cicero vocatur: *lentus in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus.* Superfluae sunt emendationes Lipsii, qui *odiosum* malebat, quia in epistolis Brutus

iunctum: rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tanquam solutum et enervem: a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem. si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam; nunc mihi cum universis negotium est.

XIX. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc

acer esse soleat et intentus, sed id nihil facit ad rem; itemque Schelii *concisum*, quod, ut recte inquit Ernestius, lenius est quam pro reprehensione. *Disiunctum* exstat in edd. vett. et inde servatum est a plerisque; nihil enim discrepantiae inest codd. Neap. [et Farn.] scripturae *diiunctum*. Quod Rutgers. et Lipsius coniecerunt, Bipontini et Oberlin. probarunt, *discinctum* spectat potius ad delicatulum et mollem oratorem, *disiunctus* vero significat orationem in minutas sententias divisam et brevioribus incisis expressam, quae careat periodorum ambitu.

rursusque. Sic scripsi e MS. Neap. [ut e Farn. cod. Bekker. et Boetticher.] pro vulgato *rursumque*. *rusumque* ed. Riv. Eosdem libros sequutus *audisse* scripsi pro *audivisse*.

solutum et enervem. Ernest. Clav. Cic. p. 604.: *orator solutus* est primo, qui facilem et volubilem linguam habet, deinde in actione remissior, tertio, qui verba apte collocare, quod *vincire* dicitur, nescit. Sic apud Quint. Inst. or. 9, 4, 142. *effeminata et enervis compositio*.

fractum atque elumbem. Quint. Inst. or. 12, 10, 12. *in compositione fractum* appellari Ciceronem commemorat.

interrogas. Indicativum debeo MS. Neap., in omnibus aliis libris *interroges* expressum est; sed coniunctivi nulla est necessitas. [Eundem nunc receperunt Bekker. et Boetticher. e cod. Farn.]

videntur. Ex Lipsii emendatione sic omnes, antea erat *videri*. — Paulo post pro *mox* edd. Put. et Riv. exhibent *mos*, frequenti confusione *s* et *x* litterarum.

nunc mihi cum universis negotium est. Edd. Spir. Put. Riv. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. et Pithoe. *nec mihi c. u. n. est*, quod revocavit Osann. ita argumentatus: anteaquam de singulis oratoribus antiquis dicturus sit Aper, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi demonstrandum sibi sumpsit; quae demonstratio concluditur fine cap. 20., unde iam ad singulos venit, quorum tamen non universos, sed potiores percenset. Et hoc plane praedixit nostris verbis *nec* (pro *nec tamen*) *mihi cum univ. neg. est*. Haec Osannus, qui Apri mentem non percepit; is enim iam se ipse reprehendit, quod singulos quosdam oratores, Ciceronem, Calvum, Brutum, percensuerit, de quibus dicendi locus infra sit datus, redit igitur ad universos, ad eloquentiae conditionem; idque aptissime expressit Lipsii emendatio, quam omnes adprobaverunt, *nunc mihi* etc., in quo *nunc* opponitur *mox* particulae. Osanni sententia si vera esset, dicendum erat: *nec mihi cum omnibus negotium erit*. Conf. Cic. de divin. 2, 25, 54. *de quibus dicam equidem singulis, quoad videbitur; sed dicendum etiam est de universis*.

Cap. 19. *quatenus*. Minime

velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum adfirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via:

aptum esse hoc vocabulum, „cum omnia definita sint, nec suspensa videatur sententia", contendit Heumannus et *hactenus* scribendum suasit, quo neutiquam opus est. cf. not. ad cap. 5.

quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum etc. Multum disceptarunt interpr. de horum verborum emendatione, quum ea corrupta esse nonnulli pronuntiassent. In codd. Farn. (teste Lipsio) et Neap., idemque in ed. Spir. legitur: *quem usque ad Cassium quem reum faciunt, quem* etc. (nam in eo falsus est Osann., quod in ed. princ. *Cassium Severum* exstare tradit); MSS. Vaticc. exhibent: *quem usque ad Cassium Severum quem reum faciunt, quem primum* etc. Sed verbis illis *quem reum* contineri corruptelam nominis *Severum*, primus Puteolanus perspexit, ex quo scriptura, quam ego quoque servandam duxi, vulgata est. Sed offensioni fuit nonnullis antiquorum librorum in hisce consensus; Broterius igitur correxit: *hunc velut terminum antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Severum, quem reum faciunt, quemque primum adfirmant* etc., quod retinuerunt Dronkius [et Rup.], tantummodo *que* pronomini *quem* additum atque ex coniectura natum reiicientes. Ernestio *constituere terminum ad aliquem* non latinum videbatur, causam non exposuit, idemque vir doctus *faciant* maluit, quia *hunc - quem* pro *ita ut eum* dictum sit. Schneiderus Observatt. p. 6. scripsit: *nam quatenus antiq. admir. nunc velut terminum antiq. constituere solent, ac Cassium Severum reum faciunt, quem primum* etc., quod ab antiqua scriptura nimis recedit. Haud meliorem emendationem Osann. proposuit: *quem usque ad Cassium Severum statuunt, quem primum* etc., et Orellius, qui coll. cap. 38. *et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur*, *faciunt* in *finiunt* mutari volebat. Hofmann. Peerlkamp verba illa omisit temerario iudicio et emendavit: *constituere solent usque ad Cassium Severum, quem primum adfirmant flexisse* etc. Pronominis repetitionem ferri posse nemo negabit, nec minus verba *terminum facere* in vulgata scriptura. cf. Boetticher. Lex. Tacit. v. *facere.* — Praeterea ob compendiariam scribendi rationem pro *quem . . . faciunt* in MS. Neap. et ed. Spir. *qui . . . . faciunt* scriptum est. [Fortasse non displicet, Boetticherus inquit, *Nam quatenus antiquitatis admiratores, dum velut term. ant. const. solent, hunc usque ad C. S. faciunt* cet.] — De T. Cassio Severo cf. Sueton. August. c. 56. Caligul. c. 16. Vitell. c. 2 Tacit. An. 1, 72. 4, 21. Seneca Excerpt. Controv. III. praef. p. 421. Spalding. ad Quint. Inst. or. 6, 1, 43. F. A. Wolf. praef. or. Marcell. p. 19. et 35. [Adde Wyttenbach. Animadv. ad Plutarch. Mor. T. I. p. 479. et Henr. Meyer. Orator. Roman. fragm. p. 225. sqq.]

vetere atque directa dicendi via. Sic MSS. Neap. Vaticc. et edd. post Broter. et Ernest. omnes, id quod multo ante placuerat Mureto. In edd. vett. scriptum est *vetere atque dicendi via directa*, ubi verborum collocatio nimis molesta est, quamvis Wopkens. Observatt. VII, 3. p. 394. eam probet. Heumannus verba *atque directa* delere vult, in quibus nihil nisi diversam lectionem pro *dicendi* reperiri credebat; mirum sane artificium.

non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum conditione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facile perferebat prior iste populus, ut imperitus et rudis, impeditissi-

non infirmitate. Ed. Spir. *ifinitate.* Quem Lipsius posuit asteriscum ante haec verba, eum signum esse voluit orationis mutilae; *eum* vel *hunc* excidisse opinatus fortasse.

ad id dicendi genus. MSS. Neap. et Vatt. *illud dic. genus*, quod Dronk. et Osann. receperunt, festinantius puto, si quidem ambiguum est pronomen, quia modo praecesserat.

iudicio et intellectu. Vitiose in ed. Spir. *video et intellectum* scriptum est; I. Fr. Gronov. coniiciebat *delectu*, quod Heumann. probavit. Nihil autem efficitur locis ab Gronov. comparatis, velut Cicer. pro Planc. c. 4. *populus non delectu aliquo aut sapientia iudicat;* nam *intellectum* scriptoris nostri aetate pro *intelligentia*, *prudentia* (nostratium *Einsicht*, *Kunstverstand*) dictum esse, satis docent loci a Boetticher. Lex. Tacit. p. 280. adlati: An. 6, 36. *quis neque boni intellectus neque mali cura*, dial. infra c. 36. *intellectus eorum, quae nec in virtutibus neque in vitiis numerantur.* Quint. Inst. or. 1, 5, 2. *duplex verborum intellectus est*, et Declamat. 325. p. 659. *serit virtutum intellectum rerum natura.*

cum conditione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Sic scripsi e Neapolitano libro, quocum in omnibus fere Farnes. cod. apud Lipsium consentit, praeterquam quod *ac diversitate* ibi repperit Lipsius, idque in textu posuit. Eum pauculis immutatis plerique sequuti sunt usque ad Dronkium. Sententia satis perspicua haec est: ubi temporum conditio mutata est i. e. ubi alia rei publicae regundae forma in alterius locum successit, et ubi eadem de causa hominum iudicia immutantur, necessario requiritur eloquentiae quoque immutatio illis adcommodata. *aures* enim eo significatu saepius usurpantur apud Nostrum, ut c. 20. *horum igitur auribus et iudiciis obtemperans*, c. 21. *auribus iudicum adcommodata*, c. 34. *habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam*, eodem cap. *cognitae populi aures.* Quare supersedere possumus Mureti et Ursini coniectura *diversitate auditorum*, quam ob vett. edd. probarunt Schulz. Oberlin. Seebod. Osann. Edd. antiquae consentiunt in: *dicebam, conditionem temporum et diversitates auctorum, formam quoque ac speciem orationis remutandam*, cui tantam fidem habuit Osann., ut corrigeret *e condit. temporum et diversitate auditorum formam quoque ac sp. orat. esse mut.* Nempe haesit in praepositione *cum*, quippe qua inepta ex ipsius opinione sententia significetur, quam supra protulimus. Nonne eandem capite antecedenti protulit Noster: *mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi*, et uberius de ea disputavit in subsequentibus. — Denique monendum est, Corbinellium *ire mutandum* coniecisse, quod non necessarium est.

prior iste populus. MS. Neap. *prior ille populus.*

impeditissimarum orationum. Hanc egregiam Mureti emendationem rectissime receperunt Oberlin.

marum orationum spatia: atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quicquid aliud aridissimis Hermagorae et

Schulz. Seebod. ed. alt. Orell. [Rupert. Bekker. et Boetticher.]. Auget emendationis veritatem adpositum *spatia*, quocum optime congruit, et firmat eam comparatio Quintiliani Inst. or. 8, 6, 42. *verumtamen talis est ratio huiusce virtutis, ut sine appositis nuda sit et velut incomta oratio; oneretur tamen multis. nam fit longa et impedita*, et quae proxime sequuntur *si dicendo quis diem eximeret*, ut init. cap. 20.: *Cogita illa inmensa volumina, quae pro Marco Tullio aut Aulo Caecina legimus.* Vulgata est in MS. Neap. et edd. ante Brot. scriptura *imperitissimarum*, quam nuper Dronk. et Osann. revocarunt. Sed id non magis dicendum est de Cicerone aliisque, quos significat Aper, quam quod Hofmann. Peerlkamp. suasit: *ineptissimarum*, vel Oudendorp. ad Suet. Claud. c. 42. *imparatissimarum*, vel Heumannus denique, qui *ineptissima* correxit et cum voc. *spatia* iunxit. Vulgata scriptura orta est ex praecedenti voc. *imperitus.*

id ipsum laudi dabatur. Sic MS. Neap. et edd. post Lipsium, qui Farnes. cod. sequutus esse videtur, omnes praeter Dronk. et Osann., qui e MSS. Vaticc. 1518. et 1862. itemque ex edd. antiquis *id ipsum laudabat* revocarunt. Sed ortum id vitium ex scripturae compendio *laudi dabat˜*, ut saepius.

iam vero. Quod ex Acidalii coniectura Heumann. edendum curaverat, id non solum MSS. Vaticc., sed etiam Neap. [et Farn.] stabiliverunt abunde. Rectissime igitur in ea lectione Dronk. Osann. Orell. [et recentissimi edd.] acquieverunt. *Ita vero* edd. antiquae, Lips. Pithoeus, Bernegger. Gronov. Bip. et Seebod. ediderunt, idque ex Schultingii emendatione in *ista vero* Schulz. Oberlin. et Lünemann. mutaverunt.

alte repetita series. MS. Neap. *altae rep. ser.*, ed. Spir. corrupta *alta repetitio series.*

argumentorum gradus. Sic Lipsius et recentiores plerique; id, Orellius inquit, simili metaphora ac cap. 20. *cursus* dictum. Tum scilicet *gradus* vel *cursus* argumentorum exsistunt, quum ex artis rhetoricae praeceptionibus argumentis levioribus scite succedunt graviora atque in omnium gravissimo desinimus argumentari. *argum. genera* edd. antiquae, Pithoeo et Schurzfleischio probantibus, et nuper cum Dronkio Osann., cui tum aptius videtur additum *mille.*

aridissimis. Ed. Put. *ardissimis*, ed. Spir. *arridissimis.* Sic auct. ad Herenn. 4, 11. *aridum et exsangue genus orationis*, de orat. 2, 38. *genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum.* Cf. Ernest. Clav. Cic. p. 283.

Hermagorae. Hermagoras Temnites, auctore Suida v. Ἑρμαγόρας, Romae Augusti temporibus vixit una cum Caecilio Siculo et Apollodoro, cuius paulo post mentio fit. *Theodori auditorem Hermagoram sunt qui viderint*, Quintil. Inst. or. 3, 1, 18. ait, consentiente Suida, qui eum τελευτᾶν πόῤῥω τῆς ἡλικίας tradit. Cf. Spalding. ad l. l. et ad 2, 15, 14. Ernest. Clav. Cic. p. 157. Nastius opinatus est rhetorem illum cele-

Apollodori libris praecipitur, in honore erat: et si quis odoratus philosophiam videretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in coelum laudibus ferebatur. nec mirum. erant enim haec nova et incognita: et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. At Hercule pervulgatis iam omnibus, cum vix in cor-

berrimum designatum esse, qui a Cicerone aequali Brut. c. 76. 78. de Invent. 1, 6. et saepius commemoratur.

Apollodori. Ed. Spir. *Apollidori*, edd. Put. et Riv. *Appollodori.* Apollodorus Pergamenus *praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit*, quae sunt Quintil. verba Inst. or. 3, 1, 17., Sueton. Aug. c. 89. Uberius de eo exposuit Strabo 13. p. 625.: *ὁ ῥήτωρ, ὁ τὰς τέχνας συγγράψας καὶ τὴν Ἀπολλοδώρειον αἵρεσιν παραγαγὼν, εἴ τις ποτ᾽ ἐστί· πολλὰ γὰρ ἐπεκράτει. μείζονα δὲ ἢ καθ᾽ ἡμᾶς ἔχοντα τὴν κρίσιν· ὧν ἐστὶ καὶ ἡ Ἀπολλοδώρειος αἵρεσις καὶ ἡ Θεοδώρειος. Μάλιστα δὲ ἐξῇρε τὸν Ἀπολλόδωρον ἡ τοῦ Καίσαρος φιλία τοῦ Σεβαστοῦ, διδάσκαλον τῶν λόγων γενόμενον· μαθητὴν δ᾽ ἔσχον ἀξιόλογον Διονύσιον τὸν ἐπικληθέντα Ἀττικὸν, πολίτην αὐτοῦ· καὶ σοφιστὴς ἦν ἱκανὸς καὶ συγγραφεὺς καὶ λογογράφος.* Eius libros Graece scriptos Valgius Rufus, ipsius discipulus, latinos fecit. Veneficii accusatus et damnatus Massiliam concessit (cf. Senec. Controv. 2, 13.), et provectior aetate decessit (Lucian. Macrob. Vol. VIII. p. 128. Bip.). Cf. Spalding. ad Quint. l. l. et Weichert. de C. Valgio Rufo poeta in Poett. latt. reliq. p. 233. sq. Copulam *et* ante *Apollodori* omiserunt MSS. Neap. [et Farn.].

et si quis odoratus philosophiam videretur. Edd. vett. et recentiores tantum non omnes exhibent *et si quis odoratus philosophiam*, quod ex MSS. Vaticc. in *quod si quis odoratus philos.* Broter. Seebod. ed. pr. Dronk. Osann. et Orell. mutarunt. Sed vulgata scriptura satis firmata erit, si MS. Neap. additamentum *videtur* latinitate postulante in *videretur* mutaveris. [I. Bekkerus in Farn. cod. *videtur* sive *videretur* exstare ait, hoc vero in verborum perpetuitatem recepit cum Boettichero.] Librarii errore *adoratus* in MS. Neap. exaratum est. — Illo supplemento adposito omnis hic solvetur lis de subsequenti copula *atque*, quae permultos offendit, neque id pro scriptura tunc vulgata immerito. Deleverunt id Heumann. et suadente Ernestio Oberlin. Dronk. (cui typotheta non obsequutus est) et Orell. [, uncis circumclusit Rupertius]. Ex Seebodii ed. priore apud Dronk. servata est eiusdem viri docti coniectura: *odoratus philosophiam antiquam.*

nec mirum. erant enim etc. Ed. Spir. *nec mirum erat*, quod interpunctione post *mirum* posita servavit ed. Ald., de qua falsa, ut saepius, retulit Osannus. *erat* in MS. Neap. quoque repertum est, videlicet lineola supra *a* ducenda neglecta.

paucissimi praecepta rhetorum aut ph. placita. Corrupta haec in libris vetustis, nam edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. exhibent; *paucissima praecepta, et rhetorum aut phil. placita*, quod vitium Rhenanus in castigatt. sustulit. Loci integritatem, de qua dubitant Dronk. et Osann., sibi restituant illi, non aliis.

vix. Ed. Spir. *vis.*

in cortina. Sic MS. Neap. (et

tina quisquam adsistat, quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices, qui vi et potestate, non iure et legibus cognoscunt,

fortasse Farnes., de quo Lipsius tacet) et edd. priores omnes; quae scriptura multum vexavit interpretes. Est autem *cortina* proprie vas rotundum et concavum ad varios usus destinatum, quod per similitudinem ad alia quoque transtulerunt veteres. Sic Ennius apud Varron. L. L. 6, 3. *quaeque freto cava coeruleo cortina receptat*, de spatio dixit, quod est inter coelum et terram; et Sever. Aetna v. 295. *magni cortina theatri* usurpavit de ipso cavo theatri. Quae si ad h. l. explicandum adhibueris, spatium subselliorum intelliges, quo, ut Lipsius interpretatus est, non advocati solum, sed scribae, praecones atque id genus operae forenses consistebant. Nicol. Loensis Epiphyll. IX, 5. interpretatur: in tribunalis clavo hemicyclo testudinato, ac magis etiam quaesitum est quod Scaliger ad Varronis l. l. exposuit. Satis placet vulgatae scripturae hic, quippe quae difficilior sit, praeferendae explicatio Lipsiana, quae Boetticbero quoque Lex. Tacit. p. 133. probata est. Seebod. Dronk. Osann. [Bekker. et Boetticher.] eam revocarunt. Sed haec non suffecerunt aliis, qui Ursini et Mureti emendationem *in corona* praetulerunt probante Gesnero in thesauro. Horum in numero sunt Acidal. Heumann. Schulz. Bipont. Oberlin. Orell. [et Rupert.]. Id quid sit in propatulo est, sed eam ipsam ob causam vix mihi persuadere possum, facillimum illud *corona* ab librariis immutari potuisse.

quin elementis . . . imbutus sit. Edd. antiquae et Lips. Pith. Bernegger. Gronov. Bipont. Seebod. Dronk. Osann. *qui elem. . . . . imbutus sit*, *qui* in MS. Neap. quoque est, idemque *et certe* praebet pro *at certe*. Sed desideratur in ea lectione negativa particula, quam miro quodam artificio suppleri posse Dronk. opinabatur. Pichena igitur scripsit *imbutus non sit*. Sed faciliore remedio vulgatae soloecismum sustulerunt Heumann. Schurzfleisch. Ernest. Broter. Schulz. Oberlin. Orell. [Bekker. Boetticher. Rupert.] *quin* corrigentes. Sententia haec est: Quod intercedit discrimen inter priora ista et nostra tempora, declaratur imprimis ipsorum auditorum diversitate; priores isti rudes erant et indocti, nostra vero aetate inter omnes adsistentes vix quemquam inveneris prorsus imperitum. Amat Noster particulas *si non . . at certe* coniunctas, e. g. c. 21. *si non universae, at partes earum*, de Germ. c. 33. *si non amor nostri, at certe odium sui*, An. 12, 39. *etsi non proelium, at certe bellum*, quae praetermisit Hand. Tursellin. Vol. I. p. 443.

eloquentiae itineribus. Tropum insolentiorem visum emendari maluit Heumannus; sed nil mutandum est. Nam eodem modo apud Cicer. de orat. 2, 57. 234 *itinere disputationis*, de legg. 1, 13, 37. *iter huius sermonis* dicitur, et defenditur praecipue, ut docuit Rauchenstein. apud Orell., sequente *effugiat*, ut apud Cicer. est ep. ad fam. 11, 13. *Antonius . . . itinera multo maiora fugiens.* Reiicienda igitur ingeniosa Hofmann. Peerlkamp. coniectura *eloquentiae Veneribus opus est, per quas*, quacum cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 78.

vi et potestate. MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. 1518. et 4498. edd. ante Lipsium et Pithoeus, unde re-

et nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec exspectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur.

XX. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. quis quinque in Verrem libros exspectabit? quis de exceptione et formula perpetietur illa inmensa

stituerunt Dronk. Osann. [Bekker. et Boetticher.]. Rectissime, nam opponuntur hic *iure et legibus*, et solent synonyma potius per *et* coniungi, quam per *aut*, quod ex Lipsii emendatione sequentes edd. servarunt. De re cfr. Quint. Inst. or. 4, 5, 10. *festinat enim iudex ad id, quod potentissimum est, et velut obligatum promisso patronum, si est patientior, tacitus appellat; si vel occupatus vel in aliqua potestate vel etiam si moribus incompositus, cum convicio efflagitat*, idem 4, 1, 72. *aliquando tamen uti, nec si velimus, eo (sc. prooemio) licet, cum iudex occupatus, cum angusta sunt tempora, cum maior potestas ab ipsa re cogit incipere.*

et nec accipiunt. nec om. MSS. Neap. [et Farn. t. Bekk.], copulam *et* cum Heumanno Schulz. delevit, perperam. [Vide Hand. Tursellin. Vol. II. p. 535.] — Pro *constituunt* ed. Spir. *consistunt* praebet.

Cap 20. *feret.* Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekker.] et ed. Spir., unde futurum ascivit Orellius [,post eum Bekker. Boettich. et Rupert.]. Eadem scriptura exstat haud dubie in MSS. Vaticc., ex quibus quae Broterius adtulit, aperto corrupta sunt. „*ferat*, in eius Not. et Emendatt. scriptum est: ita MSS. Vaticc. et editiones veteres ante Beroaldum, qui emendavit, *feret*", quo errore Seebod quoque deceptus Beroald. *feret* adscripsit. Immo Beroald. primus *ferat* edidit eumque posteriores sequuti sunt, et Ernestius consulto orationem a Nostro in *exspectaverit* et *perpetietur* variatam esse putabat. Sed ut prius illud librorum fide caret, ita h. l. quoque futurum rectissime restitutum est.

de infirmitate valetudinis. Ed. Spir. *īfinitate.* — MS. Neap. *validitudinis*, ut seq. cap. *valitudinario*, quam vocabuli formam praetulit Beier. ad Cic. Off. 1, 27, 94. T. I. p. 213. et ad Lael. 2, 8.

principia Corvini. Quod in Messalla Corvino Noster vituperat, laudat Quint. Inst. or. 4, 1, 9. *quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares agentium contra ingeniis dixerimus; qualia sunt pleraque Messallae prooemia.* Idem, quod hic de Corvino Aper, de Curione narrat Quint. Inst. or. 6, 3, 76.

exspectabit. Sic MSS. [Farn.] et Vaticc. edd. Broter. Bip. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekker. Boetticher.]; similiter, frequenti confusione ed. Spir. et MS. Neap. *expectavit*, sed in cod. *b* littera suprascripta. Correxit Puteolanus, bene perspiciens *exspectavit* ferri non posse, *expectaverit*, quod sive *exspectaverit* omnes fere sequentes retinuerunt, parum referre opinantes utrum exhibeatur.

quis de exceptione et formula. MS. Neap. et ed. Spir. omiserunt praepostionem *de*, quae necessario requiritur. [Eadem deest in cod.

volumina, quae pro M. Tullio aut A. Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex dicentem et, nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque adsistentium et adfluens et vagus auditor adsuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis

Farn., in quo etiam *qui* scriptum est. *Exceptiones*, auctore Ulpiano (l. 2. pr. D. de exceptionibus. XLIV, 1.), sunt quasi exclusiones, quae opponi actioni cuiusque rei solent ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est. Sunt igitur verba actionum formulis inserta, quibus efficitur, ut reus exceptione probata absolvatur, improbata condemnetur. Triplex vero ratio contra actionem se tuendi reo patuit, ut aut negaret factum, aut ut iure factum esse contenderet, aut ut novum aliquid proferret, quo actionem erueret; et haec quidem ratio proprie exceptionis nomine insignitur. Cf. Gaius IV. § 119. *ideo scilicet, quia omnis exceptio obiicitur quidem a reo, sed ita formulae inseritur, ut condicionalem faciat condemnationem. Comparatae sunt autem exceptiones*, idem inquit IV. § 116., *defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. saepe enim accidit, ut quis iure civili teneatur, sed iniquum sit eum condemnari*. Uberius hanc rem exposuit Zimmern, *Gesch. d. R. Privatrechts* Vol. III. § 91. sqq. *Formula* quid sit in iure vide apud Ernest. Clav. Cic. p. 434. sq. In iudiciis vero saepissime de eo agebatur, utrum recta formula electa sit ab actore necne, et, si quidem recta, an ad rem, de qua disceptabatur, apte concepta. V. Zimmern. l. l. § 49. sq.

pro M. Tullio aut A. Caecina. Nicol. Loënsis malebat *M. Caelio* substituere, ignorans fortasse Ciceronis pro Tullio orationem revera exstitisse; quae post Spalding. ad Quint. Inst. or. Vol. II. p. 136. singulari quadam temporum nostrorum felicitate in Bobiensibus codd. rescriptis ab A. Maio et Amad. Peyrone reperta et a VV. DD. Heinrichio, Cramero, Beiero et E. Huschkio (in Analect. liter. p. 77. sqq.) explicata est. Cf. Savinium in: *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft*, Vol. VI. p. 123. sqq. Quo iure ex verbis: *inmensa volumina* Patricius aliique collegerint, hanc orationem longam fuisse, et ipsa oratio demonstravit et Heinrich. ad orat. fragm. p. 61. docuit. — *Caecinae* nomen edd. Spir. Put. Riv. in *Cecinna*, edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. in *Caecinna* corruperunt. De eo vide Ernest. Clav. Cic. p. 109.

nitore et cultu. Idem infra c. 23. *nitorem et cultum*, et apud Quint. Inst. or. 10, 1, 124. 11, 1, 48.

aversatur dicentem. MSS. Neap. [Farn.] edd. Put. et Riv. *adversatur*, sed reliquae consentiunt in *aversatur*. Frequens autem est librariorum in his vocabulis permiscendis error. cf. not. ad An. 1, 28. Hist. 1, 1. — Inutile additamentum in *dicentem* latere opinati sunt Schelius et Schulz., quare hic delevit, Seebod. uncis circumdedit; sed perperam. Languidum vero est, quod Orellius coniecit, *docentem*, i. e. oratorem docentem dumtaxat, non id, quod nunc requirunt, delectantem.

perfert. Hoc post Rhenanum omnes ediderunt; in ed. Spir. *prefert* legebatur, typothetae errore.

tristem et inpexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscii aut Turpionis Ambivii exprimere gestus velit. Iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire, sed etiam referre domum aliquid inlustre et dignum memoria volunt: traduntque invicem ac saepe

quem auxit etiam Puteolanus *praefert* scribendo, quod edd. Riv. Ber. Alc. servarunt. — *imperam* pro *impexam* MS. Neap.

in scena. MSS. Neap. [Farn. t. Bekker.] *scenam* — edd. Spir. Put. Riv. Ber. *coena* — Alciatus correxit *scena*, quod in sqq. omnibus exstat.

Roscii aut Turpionis Ambivii. MSS. Farn. t. Lipsio et Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Pithoe. exhibent *R. aut Turpionis aut Ambivii*, quod quum aperto falsum esset, Lipsius et sqq. deleverunt *aut* particulam ante *Ambivii*. Fuit is actor scenicus, per quem pleraeque Terentianae fabulae actae sunt, ut adparet ex didascaliis, ubi *L. Ambivius Turpio* nominatur. Commemoravit eum Cicer. de senect. c. 14. *ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam, qui in ultima.* — Quam mutata fuerint tempora quantaque diversitas inter priora et recentiora intercesserit, Apri verba ostendunt. Quem summis laudibus extulit Cicero, Q. Roscium dico histrionem, velut de nat. deor. 1, 28. de divin. 1, 36. al., eum h. l. vituperat Aper. [Praetermissum est, quod Oberlin. Dronk. et Seebod. verisimiliter coniecerunt, transposita altera part. *aut* scribendum esse *aut Roscii aut Turpionis Ambivii*, id quod multo magis probandum est, quam Boetticheri commentum *Q. Roscii.* Quis enim desiderat praenomen in designatione notissimi viri.]

et in ipsa studiorum incude positi. Sic MS. Neap. edd. Lips. Pithoe. Bernegg. Gronov. Bipont. Schulz. Orell. [Bekker. Boettich. Rupert.] — *et ipsa st. inc. p.* edd. ante Lipsium et nuper Osann., qui coll. An. 2, 31. *adpositum mensa lumen* contendit praepositionem abesse posse. Alii copulam eiicere maluerunt, ut Heumann. Oberl. Seebod. Dronk., non improbantibus Schurzfleischio, Ernestio, Broterio et Schulzio. Sed eadem est temeritas, quae in aliis quoque Nostri locis *et* tanquam superfluum eiicere voluit (cf. not. ad An. 1, 55.). Quae eius vis sit, iam Wopkens. perspexit; nam quod per *et* additum est, antecedentia illustrat magis et explicatione amplificat, ut h. l. sit: iuvenes, et quidem ii, qui adhuc in scholis versantur ibique formantur. Cf. A. Matthiae ad Cic. or. pro l. Manil. 3, 7. et pro Mil. 25. 67. [Kritz. ad Sallust. Cat. 19., 2.] — Metaphora a fabris ducta est, ferrum in incude tundentibus et elaborantibus, sic magistri rude puerorum ingenium formant et expoliunt. Graecam loquutionis fontem aperuit Fr. Iacobs. epistola ad Fr. G. Doeringium p. 30.; ἐν Πιερίδων ἄκμοσι χαλκευτόν dixit Antipater Thessalon. in Anthol. Pal. VII, 409. Cf. Iacobs. ad Anthol. T. III. P. I. p. 206. Dissen. ad Pind. Pyth. 1, 86. et Cic. de orat. 2, 39, 162. *ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam adsiduis uno opere, eandem incudem diem noctemque tundentibus.* Alia vide apud Dronkium.

audire. MSS. Neap. [Farn.] *adire*, iidem libri pro *volunt* praebent *voluit*, et ed. Beroald. *tarduntque.*

in colonias ac provincias suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior exstitit.

sive sensus aliquis. MS. Neap. edd. antiquae et Lips. Pithoe. Gronov. Broter. Ernest. Bip. Seebod. exhibent *sive in suis aliquis,* in quibus explicandis mirum in modum interpretes se torserunt. Est enim ex illorum opinione: inter suos, quos sectantur, aliquis; qua quidem in sententia genitivum exspectares, ut An. 1, 6. *nullus suorum.* Summo igitur iure plerique recentiorum, ut antea Acidal. Freinshem. Heumann. et Schulzius, Mureti praeclaram emendationem *sive sensus aliquis* praetulerunt. Recte sic dici comprobabit Quint. Inst. or. 8, 5, 2 *consuetudo iam tenuit, ut mente concepta s e n s u s vocaremus, lumina autem praecipueque in clausulis posita s e n t e n t i a s,* nec repugnat, quod apud Nostrum est cap. 23. *et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum,* et cap. 32. *in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam,* al. Improbandum vero, quod Lipsio in mentem venit, *sive in sensibus suis,* nec felicior Schurzfleischii correctio *sive insciis aliquid,* ita ut scriptor *exquisitum cultum* opponat *inscio,* improviso videlicet et non quaesito.

exigitur enim. Id ab Lipsio inde vulgatum est — *exigetur* omisso *enim* MS. Neap. — *exercetur* edd. antiquae.

Attii. MS. Neap. *Accii* — edd. vett. *Actii.* Est autem id diversitatis non solum in hoc nomine, sed etiam in *Vettio, Pectio* similibusque, in quibus numi lapidesque plerumque *tt,* scripti libri *et* exhibere solent. vid. Drakenb. ad Liv. 4, 28. Hoc tempore usitatior est *Attius* forma, ut demonstravit Schneider. in: *Elementarlehre d. lat. Spr.* I. p. 444. Osann. Annal. crit. p. 60. Burmann. ad Suet. Aug. c. 4. Cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 97.: *Tragoediae scriptores veterum Attius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse.* Carpuntur oratores, qui veterum poetarum locos aut addito nomine aut tectius orationibus suis admiscuerunt, quos significat Quint. Inst. or. 1, 8, 11. *praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii, Attii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam iucunditatis, cum poeticis facultatibus aures a forensi asperitate respirent.* Uberius de hoc disputavit A. Langius Vindic. trag. Rom. p. 34. sq.

Horatii. Edd. Spir. Put. Ber. Riv. Alc. Ald. *Oratii* — Osann. ed. Ald. perperam adscripsit *Oratorii* — sed iam ed. Iunt. *Horatii* exhibuit.

exstitit. Edd. Put. Riv. *extit* — edd. Ber. Alc. Rhen. *extitit.* Paulo post in ed. Ber. miro errore *etecaces* expressum est, et *voluptat[illegible]* pro *voluptate.* Denique *pr[illegible] niunt* ed. Spir. pro *perveniu[illegible]*

neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur?

XXI. Equidem fateor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. *nec unum de populo Canuti aut Atti

Quid enim, si etc. Haec verba, in quibus interpr. priorum nullus offensus est, recentiores multum vexarunt. Primus Heumannus correxit: *quis enim infirmiora . . . credat;* Ernestio sufficiebat adscribere: „vitii aliquid his verbis inesse puto"; Oberlin. coniecit *quid enim, an* etc.; Seebod. Orell. et Dronk. interrogationis signo interposito ediderunt *quid enim? si.* Dronk. et Wopkens. l. l. p. 397. *si* delendum censent, quo non opus. Osann. fusius demonstrare studet, emendandum esse: *Quid enim? nisi* etc. et sententiam extricavit, quam si Aper exprimere voluisset, melius certe sic dixisset: *nisi forte infirmiora horum temp. templa credis, quia . . . radiantur.* Facit tamen cum eo Hofmann. Peerlkamp. Orellius denique in *si* latere *scilicet* opinatur. Sed nihil mutandum est, elliptice enim Noster loquitur, et sententia est: quamvis nostrae aetatis oratores laetius dicendi genus sequuntur eoque a veteribus diversi sunt, tamen veterum illorum gravitas non evanuit, uti templa recentiora, magnificentiora illa, eadem firmitate exstructa sunt, qua priorum rudia et informia.

caemento. MS. Neap. *cemento.* — Ed. Spir. *ĩ fornicib9 tegulisque*, ed. Seebod. *regulisque.*

radiantur. Ed. Ber. *rediantur.* Nicolaus Loënsis, narrat Schurzfleisch., *radiantur* loco τοῦ *radiant* vult esse dictum. Pro eo Latinus Latinius bibl. tom. II. p. 37. *radiant* scribendum esse rectius, meo iudicio, censuit. At non meo. Cf. Ovid. ep. ex Ponto 3, 4, 103. .. *sed et galeae gemmis radientur et auro.*

Cap. 21. *fateor.* Sic edd. antiquae, etiam Aldina, ex qua Osannus, ut solet, falsa protulit, [itemque Farn. cod.], quos sequuti recentt. Bip. Seebod. Dronk. Osann. [Bekker. et Boetticher.] antiquam scripturam restituerunt. Nec dubitandum, quin Aprinae orationi concitatiori aptius sit praesens tempus. Tacite Lipsius futurum *fatebor* invexit, quod receperunt plerique sqq., Orellius quoque [et Rupert.], sed nemo adeo erit ineptus, ut id confirmari contendat exemplis adlatis, velut Quint. Inst. or. 2, 1, 6. *nec infitiabor.*

**nec unum de populo Canuti aut Atti de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario haec ossa et h. m. probant.* Praeferendum videbatur in loci huius difficultatibus non facili negotio expediendis accuratam exhibere vett. libb. scripturam, quam inter scriptoris verba coniecturam quamvis ingeniosam recipere. Quod in textu a me cum Osanno et Orellio positum est, exstat in MSS. Neap. Farn. (t. Lips.) et Vaticc., nisi quod Farn. et Neap. *Ganuti*, [Farn. t. Bekker. *attii*], et Neap. *defurnio* praebeant. Edd. antiquae ante Lipsianam et posteriorum pleraeque ad Bipont. usque corrupta haec proferunt verba: *nec unum de*

de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant. ipse mihi Calvus, cum

populo. Canuti aut Aride Furnio et Toranio (ed. Put. *Troïao*), *quique alios in eod. valet. haec ossa et hanc maciem probant;* in quibus tollenda est maior distinctionis nota post *populo* collocata, quia verba cum antecedentibus iuncta ineptam sententiam Apro adtribuerent, fatenti de aliis quoque, quod de se ipso fateri licuit. Coniecturas in tanta sententiae obscuritate nominumque ignobilitate multas tentarunt critici. Lipsius corrigere volebat: *nec unum de populo, Canutii aut Attii de Furnio et Toranio, quique alii in e. v. h. o. et hanc maciem prob.*, in edd. posterioribus: *nec unius de pop. Arii de Furnio et Toranio, quique alii in eod. valet.* cet. — Pithoeus litteris exprimendum curavit: *nec unum de pop. Canuti *aut Atti de Furnio et Toranio quique alios in eod. val.* Acidalius priora verba praetermittens in posterioribus vel *haec ossa et hanc maciem produnt* vel *quosdam altos in eodem val. haec ossa et haec macies probant*, ut *altos* significet nutritos et educatos. Schulting. ad audacius remedium recurrit et partim supplendo partim corrigendo sic verba constituit: *nec ut unum de populo carmina laudare Atti de Furnio et Toranio, neque aliorum in eod. valet., qui haec ossa et hanc maciem probant;* Schelius: *nec unum de populo Canutii aut auditoribus* (vel *auditorem*) *Furnii et Toranii, quique alii . . . probant* vel *quique alius . . . probat.* Sequitur I. Fr. Gronovius, e cuius ingenio verba sic emendata prodierunt: *nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eod. valet. haec ossa et haec macies probant,* quam emendationem Heumann. et I. Bekk. [in novissima quoque edit. cum Boettich.] receperunt, priora tantum verba Schulzius adhibuit, posteriora satis feliciter correxit *quique aliis in eodem valet. haec ossa et hanc maciem probant,* consentientibus Seebod. et Orellio, cui fortasse legendum videtur *probent.* In Seebodii vero exemplari: *nec unum de populo, Canutium aut Arrium, Furnium aut Toranium* legitur, in qua quidem lectione aliquid desideratur, negligenter fortasse omissum. In Gronovii scriptura iure tu quaesiveris, quid sibi velit *nominabo*, cui vestigia antiquae lectionis in codd. non respondent; nam si sententiam hanc esse vult, oratores quos nominaverit scriptor, in eorum numerum referendos esse, in quibus legendis Aper vix somnum tenere possit, recte id quidem statuit, sed tum, quem in finem professio, se non nomine signaturum illos, addita sit, omnino non liquet. Audaciore etiam remedio Schurzfleisch. usus est, nam posteaquam emendationem: *nec unum de populo Canuti aut Arri, vel Furnii et Toranii, quique alii sunt in eodem valet., haec ossa et hanc maciem probare*, ut par erat, reiecit, malebat cum docto amico sic refingere: *nec unum de populo Cinctutum Nattam Ennii, Andronici, quique alii sunt in eod. valet., haec ossa et hanc maciem probare*, ubi Cinctuti Nattae nomine vilem hominem et obsoletum (cf. Hor. A. P. 50. Sat. 1, 6, 124.) designari vult, ut sententia sit: Adeo omnes abhorrent ab antiquorum squalore, ut vel populus (quem plebem intelligit) oratorem talia proferentem ferre nequeat. Broterius salutem repetivit ex supplemento: *nec unum de populo, sed rusticum videri, qui Canutio aut Arrio delectatur, Furniove aut Toranio, quique alios in eod. valet., haec ossa et hanc maciem probant.* Ed. Bip. antiquos libros sequutus verborum distinctionem servavit et incisionem fecit post *populo*, reliqua sic exhibens: *Canu-*

unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. nec dissentire ceteros

tii aut Attii, vel Furnii vel Curiones aliis in eod. valet. haec ossa et hanc maciem probant. Schneider. in Observatt. p. 8. mutat: *nec sunt de populo Canutii aut Arrii: sed Furnio et Toranio, quique alii in eod. valetud., haec ossa et hanc maciem probant,* cuius lectionis hanc statuit sententiam: „profecto in quibusdam antiquis legendis equidem aut dormio aut rideo. Nec sunt plebeii homines, quorum libros lego, Canutii aut Arrii; at talibus hominibus, quales sunt Furnius et Toranius, vehementer placent." Grotefend. in Ephem. lit. Hal. a. 1827. n. 275. coniecit: *Canuti aut Arri demum Furnio et Turanio, quique alius est in eodem valet., haec ossa et hanc maciem probant;* Rauchenstein. denique: *nec multi de populo Canutii aut Attii de Furnio et Toranio aut aliorum in eod. valet. haec ossa et hanc maciem probant.* Taedet iam longius exspatiari de ipsis hominibus, satis obscuris, de quibus uberiora qui desiderant, Schulzium adeant in Excurs. III. p. 173. sqq. et Dronkium. Meam qualemcunque opinionem ut adiiciam; despero et ego de loco persanando, tamen attentius mihi consideranti singula id statuendum esse videbatur. Aper improbat oratores antiquos, in quorum lectione se vix somnum tenere aut risum aperte profitetur; sed non solum illos aetate remotiores sibi satisfacere negat, verum etiam, qui a sua aetate propius absint; multos etiam Ciceronis et subsequenti aetate vixisse, quorum orationes misere langueant, nec deesse tales hoc ipso tempore, quo loquatur. Latet fortasse *Pacuvii et Attii* nomen sub Canutio et Attio vel Arrio, quos antiqui libri praebent, et ex Furnii Toraniive commemoratione *aridum et deforme* eliciam. Sed satius est manum de tabula sumere et meliora exspectare ab aliis, quam coniecturarum numerum levibus suspicionibus augere. [Sed augendus est Rupertii invento, qui edidit: *nec unus de populo, Canutii aut Arrii et Furnii et Toranii, quique alii in eod. val. h. ossa et hanc maciem probant,* eaque explicat sententia bona et apta: nec unus ex oratoribus vulgaribus, cui placent, quales Canutii et reliqui fuerunt quique alii eodem morbo laborantes durum hoc et aridum ieiunumque dicendi genus amant, mihi satisfecerunt.] — Proverbiale dictum *in eodem valetudinario esse,* quod de iis usurpatur, qui in eodem malo versantur (cf. Senec. ep. 27.), eo aptius in hac re positum est, quo saepius bono oratori sanitas adscribitur, ut cap. 23. *sanitatem non firmitate, sed ieiunio consequuntur.*

ut puto. Ed. Ber. *ut pulo,* unde ed. Iunt. *et populo.* — Schulzius orationes ampliores *libri* nomine insignitas esse censet, arbitror equidem, omnino litteris consignatas sic dictas fuisse, cf. Weichertum Poett. latt. reliq. p. 112.

in una et altera. Sic MSS. Neap. [Farn.] ed. Spir., ex quibus pro vulgata scriptura *in una aut altera* antiquam illam Dronk. et Osann. restituerunt. Legitur quidem cap. 9. *intra unum aut alterum diem* et cap. 29. *unus aut alter,* sed non falsum est *unus et alter,* quod indefinite de pluribus dici docuit Ruhnken. dict. Terent. p. 14. dict. Ovid. Her. p. 90. Hor. Sat. 1, 6, 101. *ducendus et unus et comes alter.*

satisfacit. Sic MSS. Neap. et Vaticc. et edd. fere omnes, praeter Bernegg. Gronov. Ernest., qui *satisfecit* exhibent, fortasse typothetae errore. — Quando subiungit, suum de Calvo iudicium ceteris probari, praesentes tantum indi-

ab hoc meo iudicio video. quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercle in hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quae in Vatinium inscribuntur ac praecipue secunda ex his oratio. est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum adcommodata: ut scias, ipsum quoque Calvum in-

casse videtur, nam dissentiunt Aquila Rom. de figur. p. 184. ed. Ruhnk. et quos ibi Ruhnken. contulit.

Calvi in Asitium aut in Drusum. Asitii nomen corruptum esse nonnulli censebant, *in Asinium* Lipsius corrigere volebat, quod Osanno placuit; e cod. nescio quo Muretus *in Ascitium* legendum suasit et persuasit Orellio in Add., Cic. pro Coelio c. 10. conferenti, [et Boetttichero]; Schurzfleisch. et Heumann. ex Charis. II. p. 203. P. *in Fuscinium* asciverunt, nam vulgo ibi scriptum est: *Licinius Calvus in Fuscinium ambitus reum*, sed *in Vatinium* corrigendum esse et Nicol. Loënsis Epiphyll. III, 16., quem Ruhnken. ad Aquil. Rom. in Addend. p. 276. [p. 216. ed. Frotsch.] laudavit, et cum Ellendt. Weichert. perspexerunt. Schulting. coniiciebat *Calvi ista in Asinium* (i. e. Asinium Pollionem); Thorbecke de Asinio Poll. p. 79. *Asidium* legebat et intellexit *Sabinum Asidium* a Seneca Suasor. 2. p. 18. commemoratum; Weichert. denique Poett. latt. reliq. p. 112. *in Messium* corrigit, non reputans p r o M e s s i o Calvum dixisse. Sed latus campus coniecturis patet, quarum nullam facile probabilem reddideris. Servandum igitur, quod vulgo est, *in Asitium* [, ut Henr. Meyer. fragm. orat. Rom. p. 203. fecit]. — Drusus qui sit, exposuit Weichert. l. l. [apud H. Meyer. l. l. p. 205.]. Broter. transposuit verba, *accusationes* ante *Calvi* collocavit idque vocabulum in sqq. delevit; sed talem ellipsim quis non ferat?

hominum studiosorum. Non opus est, ut cum Acidal. *omnium* corrigatur, quamquam coniectura facilitate sua Heumanno, Schulz. Seebod. et Orellio se commendavit [itemque Boettichero].

quae in Vatinium inscribuntur. MSS. Neap. [Farn. t. Bekker.] *scribuntur*, priora syllaba ob praecedens *ium* deleta — MSS. Vaticc. et edd. antiquae *conscribuntur*, ex quo Schurzfleisch. fecit *conscriptae sunt.* — Rectissime Lipsius emendavit *inscribuntur*, cf. c. 38. *exceptis orationibus Asinii, quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur;* Plin. Ep. 4, 14. *cogito has nugas meas ita inscribere, Hendecasyllabi;* Cic. de off 2, 24, 87. *Xenophon Socraticus persequutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur*, coll. Cat. mai. c. 17. pr. Vide Beier. ad Cic. Offic. Vol. II. p. 63. De orationibus in Vatinium cf. not. ad c. 34. *Calvus .. iis orationibus . . ., quas hodieque cum admiratione legimus.*

auribus iudicum. Sic MS. Neap. et edd. vett., in quibus *et sententiis* iungitur cum *adcommodata*, quam perversam verborum distinctionem Lips. Pithoe. Pichen. Ernestius aliique multi retinuerunt. Sed verbis et sententiis ornata est oratio, eoque ipso iudicum auribus adcommodata. Quod perspexerunt alii, quibus copula necessario interponenda videbatur; Schulz. igitur et Oberlin. Osann. Orell. [cum Boetticher.] *auribusque* correxerunt; Dronkius *et auribus;* Heumannus et Seebod. *ac auribus.* Sed in ἀσυνδέτῳ nulla offensio est. cf. Ramshorn. p. 514.

tellexisse, quid melius esset, nec voluntatem ei, quin sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Coelianis orationibus nempe eae placent, si non universae, at partes earum, in quibus ni-

nec voluntatem ei, quin sublimius et cultius diceret etc. MSS. Vaticc. *ne voluntatem ei quo sublimius*, unde Dronk. Osann. Orell. [Bekker. et Boetticher.] *ei* receperunt, sed *quin* ex edd. omnibus servarunt. Nec repugnat emendationi MS. Neap., in quo: *nec voluptatem et quo subl.*, corruptela satis aperta, scriptum est. Iam Acidalius pronomen omissum aegre tulerat idque cum Heumanno ante *defuisse* inserendum putaverat. [Bekker. ex codd. *quo* in textu posuit, Boettichero non obtemperante, recte, opinor.] — Edd. Put. et Riv. *cultus* exhibent pro *cultius*.

Quid ex Coelianis orationibus etc. In distinguendis his verbis diversissimas partes edd. sequuntur. Edd. priores exhibebant *Quid? ex Coel. orationibus?* Lipsius eumque sequuti alii, ut Dronk. et Osann.: *Quid ex Coelianis orationibus?* Orellius cum Pithoeo et Seebod.: *Quid? ex Coel. orat. nempe* etc. [eandemque distinguendi rationem Rupert. amplectitur]. Equidem interrogationis signo sublato enuntiatum exhibui; quam rationem interpungendi contra vulgarem egregie defendit Beier. in Iahnii Annal. phil. et paedag. a. 1827. f. 3. p. 21. et ad Cic. Lael. p. 43. Coniecturam fecit Schultingius: *quid de Coelianis orationibus sc. dicam?*; et Heumann. proposuit: *Quid? ex Coel. orat. nonne hae placent.* Non opus est emendatione. — Ed. Spir. *Cęlionis.*

eae. Sic MS. Neap., idem ex ingenio scripserat Orell. [nuperrime Bekk. et Boettich.].

si non universae, at partes earum. Praeluli Acidalii emendationem praeclaram, quam Heumann. Broter. Oberlin. [Bekker. Boettich. et Rupert.] probarunt, quia et sensui convenit et litterarum vestigia in antiqua scriptura non ita multum discrepant. Coelianae orationes nitorem et altitudinem ostendunt, aliae universae, aliarum tantummodo partes. Cf. Cic. But. 79.: *eius actionem multum et splendida et grandis et eadem in primis faceta et perurbana commendabat oratio.* MSS. Farn. t. Lipsio et Neap. *sive universa| parte|| serum* [Bekkero auctore *sive in universa* etc. liber Farn. praebet]. — MSS. Vatt. *si universa parte serum.* — Edd. Spir. Put. Riv. *sive in universa parte fectum* — unde edd. Ber. Alc. Rhenan. Lips. (sed ea non sine corruptelae nota) Bernegger. Gronov. Bipont. correxerunt: *sive in universa parte factum.* — Ea cum sensu carerent, coniiciendo sanare locum haud pauci studuerunt. Scripsit igitur Modius, Lipsio non improbante: *si non universae, per partes attamen* sive *tamen*; Rutgers. *si non universae, partes earum*; Bipont. *si non universae, partim earum*; Schulting. *sive videas universas, sive partes earum*; Schelius: *neque in universum, partes tantum*, vel *si minus universae, partes tamen;* Schneiderus Observatt. p. 8.: *sive sit universe, an ex parte factum*, qui eodem loco commemorat Handii emendationem: *sive universae, an partes earum;* Tyrwhitt. et Wopkens. *si non universae, parte saltem;* Pithoeus: *sive universae sive partes earum*, quam correctionem in textu posuerunt Schulz. Seebod. Dronk. Osann. et Orellius. Audacius vero est et sensui repugnat Hofmann. Peerlkamp. commentum: *si animadvertas partes illarum.*

torem et altitudinem horum temporum adgnoscimus. sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum in eloquentia non effecerit, quae divinum eius ingenium postulabat: tam hercle quam Brutum philosophiae

adgnoscimus. Edd. Spir. Put. Riv. *agnoscemus.*

sordes autem illae verbor. Sic MSS. Neap. et Vat. 4498., unde receperunt Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boetticher.] — ed. Spir. *sordes autem et verborum* — Puteolan. *et* omisit, et inde in omnibus libris [etiam ed. Rup.] *sordes autem verborum* expressum est.

hians compositio. Corruptae sunt edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc., quae exhibent *hiatus compositio*, quod Rhenanus (in castig.) correxit. Spectat ad inaequalia, soluta, male cohaerentia verba, ut apud Cic. orat. c. 9, 32. *mutila quaedam et hiantia locuti sunt.* — Pro *redolent* MS. Neap. *reddent.* — Paulo post Schulz. *concedimus* edidit pro *concedamus.*

magnitudinem cogitationum. Edd. ante Lipsium *cognitionis*; *cognitionum* in ed. Roman. legi Modius adfirmat. Lipsius emendavit *cogitationum*, quod servarunt sqq. et comprobat MS. Neap. Frequens autem eorum vocabulorum permutatio, ut Cic. de orat. 1, 3, 10. cf. Gernhard. ad Offic. p. 177. *Cogitationes* intellige deliberationes, consultationes, cf. Heusing. ad Nepot. Datam. c. 6. Vellei. Paterc. 2, 41. *magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus.*

occupationes. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. — *occupationis* edd. Put. Ber. Riv. Alc.

in eloquentia non effecerit, quae divinum etc. Correximus haec praeeunte MS. Neap., in quo corrupte scriptum est *in eloquentiam effecerit, quae* etc. *n̄* littera, quo veteres compendio particulam negativam signabant, facile mutari potuit in *m̄* et cum praecedenti vocabulo iungi. Cf. A. Peyronis praef. ad Cic. oratt. fr. p. LXXII. ed. Beier. Edd. Spir. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. et sqq. pleraeque *minus eloquentia effecerit, quam divin.* etc., quae correctio necessario requirebatur negatione oblitterata. Sed aegre ferebat *in* praepos. omissam Acidal., qui *minus in eloquentia effecerit, quam* etc. emendavit, id quod MSS. Vatt. praebent et iam edd. Put. et Riv., Acidalium sequuntur Schurzfleisch. Heumann. Schulz. Oberlin. et recentt. Id ferendum est magis quam quod coniiciendo assequutus est Huëtius: *eloquentia effulserit* vel *eloquentiae sufficerit.* [I. Bekker. adscripsit haec: F. *rerum in aeloquentiam effecerit quae*; unde in eo quoque libro esse *in eloquentia non effec.* coniicias.] Consimile iudicium Quintil. tulit Inst. or. 10, 1, 114. *C. Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat.*

tam hercle quam Brutum etc. Edd. omnes *hercule* vel *Hercule*,

suae relinquamus. nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur. nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non

ex Neap. libro *hercle* recepi. cf. cap. 8. *negliguntur tam Hercule quam divitiae et opes*, Plin. Epist. 6, 19, 6. 10, 65, 3. Ad rem cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 123. *Egregius vero multoque quam in orationibus praestantior Brutus suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quae dicit.*

nisi forte quisquam. Sic edd. antiquae; — *sisi forte q.* MS. Neap., quod interpr. ob sequens *nisi* ferre nolebant. Quare I. Fr. Gronov. emendavit *nec fere quisq.*, quam rationem Heumann. Seebod. [I. Bekker. et Boettich.] probarunt, vel *nec ferme q.*, [quod Rupert. recepit]; idemque vir doctus diatrib. in Stat. p. 465. ed. Hand., hunc locum ubi adfert, pro *quisquam* scripsit *quispiam*. Prior illa emendatio commendatur sane sententia ipsa, sed nimis ab edd. vett. recedit. Eandem vituperationem merito contuleris in Schurzfleisch. correctionem *nec* vel rectius *neque forte quisq*, quam cum reciperent Schulz. Oberlin. et Dronk., latinitatis obliti sunt. Osann. et Orellius veterem lectionem retinuerunt, posteriora tantummodo verba corrigentes, in quibus Hand. ad Gronov. diatr. Stat. l. l. *nisi* delendum, Osannus in *si* mutandum censent. Orellius duplicem emendandi rationem excogitavit: *nisi forte quisquam ... legit, scilicet qui et carmina eorundem miratur*, vel *legit isque et carmina e. miratur*, ut c. 33. *si cui obscuriora haec videntur isque sententiam ab exercitatione separat.*

Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege. Orationis Gaesarianae nulla exstant fragmenta; Bruti vero pro Deiotaro rege oratio Nicaeae, Bithyniae urbe, habita est. cf. Cic. ep. ad Attic. 14, 1, 2., Brut. c. 5, 21. *erat a me mentio facta, causam Deiotari, fidelissimi atque optimi regis, ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse defensam*, et v. quos laudat Spalding. ad Quint. Inst. or. 3, 6, 93. iisque adde Plutarch. Brut. c. 6. Si quis paulo post pro *ceterosque* maluerit *ceterosve* substituere, is emendationem eam non necessariam esse cognoscet ex iis, quae Walch. ad Agric. p. 200. exposuit.

eiusdem lentitudinis ac teporis. Ex cod. Farn. correxit Lipsius edd. vett. corruptelam, consentit MS. Neap, nisi quod *temporis* dat. Ed. Spir. *ceterosque cuiusdam. Lentidus at temporis* — edd. Put. Riv. *cuiusdam Lentidius temporis* — edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *cuiusdam lenti luminis ac temporis. Teporis* et Pithoeus et Lipsius coniecerunt, qui in *tenoris* quoque incidit; Schelius *torporis*; Schulz. *languoris.* Ut Cicero vituperatur, quod *lentus sit in principiis*, ita *lentitudo* vitio vertitur; nec est quod in *tepore* offendamus, quem ei orationi inesse dicemus, quae *raro incalescit*, ut seq. cap. dictum est. Cf. Doederlein. Synon. et Etym. II. p. 206.

et in bibliothecas. Edd. vett. *et* omiserunt, quod recte addidit Lipsius; ed. Spir. *bibliotecchas* exhibet. De re sufficient ea quae Weichert. disputavit de C. Licinio Calvo poeta § 4. in Poett. latt. reliq. p. 124. — 129.

melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubore tegit et decore commendat. Nolo

sed felicius. Ita MS. Neap. — ed. Spir. *et felic.*, unde orta est lectio ab omnibus deinceps vulgata *at felicius.* Comparare licet notissimam structuram *non, ut... sed, ut*, de qua Goerenz. dixit ad Cic. Fin. 2, 5, 15. — De Cicerone poeta cfr. Seneca exc. controv. III. p. 425. Spalding. ad Quint. Vol. IV. p. 241. et *Terrenii* scriptio: *Cicero poeta etiam elegans necdum ineptus fuisse contra vulgatam grammatistarum opinionem asseritur*, Paris. 1540. I. Baden, de poetica facultate Ciceronis, in eius: Opusc. lat., Havn. 1793. et Fr. M. Frantzen, de Cicerone poeta, Abo 1800.

propioribus temporibus Edd. Put. Riv. *proprioribus temp.* — Rem confirmat Quintil. Inst. or. 10, 1, 113. *multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et consilii et animi satis, a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior.* Commemorat scriptor Menenium Agrippam, qui facundia sua plebem reduxit (Liv. 2, 32.) et Appium Caecum, qui a. u. 414. foedus Pyrrhi dissuasit.

siccus est. est omissum in edd. antiq. addidit Lipsius, eiusque auctoritatem omnes deinceps sequuti sunt praeter Dronk. et Osann., qui coniecturae id adscripserunt. Sed est in MS. Neap.

exsurgit toris. I. Fr. Gronov. legendum suasit *exauget toris*, Ernestius malebat *et pectus exsurgit toris*, nam, inquit, sanguis certe non exsurgit toris, sed pectus, et id in oratione, aut oratio ipsa. Utrumque non opus, Ernestii enim dubitationem removebis Celsi verbis a Gronov. prolatis. Metaphora haec apud Romanos scriptores frequentissima, exempla vide apud interpr.

ipsosque nervos. Sic MSS. Neap. Vaticc., inde edd. Broter. Ernest. Bip. Schulz. Oberl. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. Boettich. Rupert.]. Edd. antiquae et post Lipsium sequutae ad Broter. usque exhibent *ipsos quoque nervos*, quod ex coniectura Muretus iam emendavit eumque sequuti sunt Acidal. Schurzfleisch. et Heumann.

rubore tegit et decore commendat. Sic edidit Lipsius, quem expresserunt Pithoeus, Schulz. (qui *tegit* cum Schultingio in *tingit* mutavit) Orell. [Bekk. et Boetticher.]. Nam etiamsi Lipsius cod. Farn. auctoritatem non disertis verbis interponat, verisimile tamen est, ex illo libro sic eum emendasse. *rubore* in MS. Neap. exstat, [et in Farn. t. Bekkero] — *rubor tegit* Pichenae emendatio, a Bernegger. Gronov. Bip. Oberl. Seebod. Dronk. Osann. recepta et codd. Vaticc. stabilita. — *robur tegit* edd. vett., Spir. quoque, de qua Dronk. dubitasse videtur. Hoc quam ineptum sit, apertum est, omnia enim ad

Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit, quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret: viderimus, in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit.

XXII. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit, quae mihi vobiscum est. illi enim antiquos mirabantur; ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat: nec ulla re magis eiusdem aetatis oratores praecurrit, quam iudicio. primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et

sanguinem referenda sunt. Quare idem Lipsius et rel. recte emendaverunt *decore*, quod aliquatenus firmatur MS. Vatic. 1518., in quo *decorum* Broterius repperit. Omnes edd. reliquae *decor comm.* praebent.

Corvinum. MS. Neap. *Curvinum.*

quia non per ipsum stetit. Corrupta sunt verba in ed. Spir., quae *quia nuper ipsum sentit* praebet, Puteolanus emendavit verba. Eadem structura apud Plin. Ep. 6, 34, 3. *quod quo minus exhiberes, non per te stetit.*

viderimus, in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit. Sic Lipsius legendum putavit, et confirmatur coniectura summi viri ex MS. Neap., in quo et *viderimus* et *suffecerit* exstat, sed *in quantum* et *vis*, ni fallor ob praecedens *eius*, omissum est. [Idem de Farn. cod. I. Bekker. adfirmat.] Mirum in modum discrepant edd., pleraeque consentiunt in: *viderimus inquam iudicio eius vis aut animi aut ingenii sufficeret*, quae Lipsius in edd. posterioribus correxit: *viderimus, inquam, an iudicio eius vis animi aut ingenii suffecerit;* Pithoeus malebat: *viderimus, num iud. eius vis aut an. aut ing. suffecerit;* Ursinus: *viderimus, an iudicium eius vis animi aut ingenii defecerit;* Acidalius: *et videmus, in quantum iudicio eius vis aut animi aut ing. suffecerit;* Schulting.: *videmus, in quantum iudicium eius et vis tum animi tum ingenii suffecerit;* ed. Quintil. Oxon., quacum dialogus hic coniunctus est: *videmus in quanta iudicium eius et vis tum a. tum ing. suffecerit;* Broter.: *in quantum* vel *utinam iudicio eius vis aut a. aut ing. sufficeret;* audacius aliquanto Heumannus verba sic constituit: *nolo Corvinum insequi: quanquam per ipsum stetit, quo minus . . . exprimeret. Uberrime namque iudicio eius . . . suffecit*, itemque ed. Bipont.: *viderint Musae, quam* vel *in quantum* etc. Schulzius et Oberlin. ex Freinshemii emendatione ediderunt: *quia non per ipsum stetisse ..... videmus: in quantum iudicio eius ... suffecit*, [quod Rupert. quoque amplexus est, *sufficeret* tamen retinens]. Ernestius in *viderimus* vitium latere suspicatus est, itemque Rauchensteinius, qui ex eo *vel acerrimi, inquam, iudicio* aut nominis proprii genitivum eliciendum esse putabat. Alii denique orationem mutilatam censuerunt asteriscosque posuerunt, ut Seebod. Osann. Orell., sed nihil deest.

Cap. 22. *et verbis delectum adhibuit.* Edd. Spir. Put. Ber. Riv. Alc. *ex verbis delectum adh.*, quod quum Rhenanus in scriptu-

compositioni artem, locos quoque laetiores adtentavit et quasdam sententias invenit; utique in iis orationibus, quas senior iam et iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat usuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus esset. nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis. lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit, pauci sen-

ram hodie vulgatam mutasset, omnes obsequuti sunt praeter unum Dronkium, qui dativum non latine positum esse putavit ideoque edd. vett. lectionem revocavit. Sed perperam, quia et membrorum concinnitas, quam scriptor efficere studuit, *et* postulat, neque latinitas adversatur; nam etiamsi frequentissime dicatur *adhibere aliquid ad aliquid*, dativum tamen non recusant scriptores, etiam optimi, velut Cic. ep. ad Attic. 1, 19. *privatis rebus meis .... adhibeam quandam cautionem et diligentiam*, infra c. 35. *materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur.* — Ed. Lips. Antverp. a. 1574. *dilectum*, crebra commutatione.

locos quoque laetiores. Sic MSS. Neap. Vaticc. praeter Vat. 4498., in quo *lectiores* Broterius invenit, edd. Broter. Bip. Oberl. Schulz. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekker. et Boettich.]. In idem coniectura inciderant Muret. Acidal. Heumann. Laetum autem est, quod sive visu sive auditu est pulchrum et nos delectat, idque signatur genus dicendi, quod hilare et suave vocatur a rhetoribus. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. *locosque latiores*, quae confusio saepius facta est ab librariis cf. Spalding. ad Quint. Inst. 5, 14, 33. not. crit. Edd. Alc. Rhen. Ald. *locosque altiores*. Sed *laetiores* aptissimum est. cf. cap. 14. *laeta ... oratio*, cap. 21. *laetitiam nitoremque nostrorum temporum.*

invenit. Heumann. vult *inseruit* propter cap. 19. *locum aliquem orationi suae insereret.* Sed sana vulgata. cf. Quint. Inst. or. 12, 10, 48. *ceterum hoc, quod vulgo sententias vocamus, quod veteribus praecipueque Graecis in usu non fuit (apud Ciceronem enim non invenio), dum rem contineant et copia non redundent et ad victoriam spectent, quis utile neget?*

in iis orationibus. Orell. sustulit omnium edd. errorem *in his orationibus*, addicente MS. Neap.

experimentis didicerat. Ed. Ber. *exprimentis;* ed. Iunt. *dedicerat.*

quod optimum dicendi genus esset. Egregiam hanc Acidalii emendationem receperunt Heumann. Schulz. Oberl. Osann. Orell. [Bekker. Boettich.]. Reliqui perseverarunt in lectione MS. Neap. et edd. vett. *quod optimum dicendi genus est*, quod damnandum videtur ob latinitatem, etiamsi Dronk. ineptis rationibus id defendere conatus sit. *Est* delendum videbatur Schurzfleischio, sed id temerarium. Ursinus malebat *q. opt. discendi genus est*, probantibus Ernest. et ed. Bipont., quo quidem additamento nihil languidius est.

otiosus circa excessus. Ed. Spir. *occisus.* De voc. *excessus* significatu vide I. Fr. Gronov. observatt. in eccl. c. 19. p. 203. [p. 654. ed. Frotsch.].

pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. Satis magna est codd. et edd. vett. in his verbis diversitas. MSS. Farn. t.

sus apte et cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis: et, velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quae necessariis usibus sufficiat; sed etiam sit in

Lips. Neap. et Vatic. 4498. *pauci sensus optet cum* etc. — MS. Vat. 1518. *p. s. opti cum* cet. — edd. Spir. Put. Ber. Riv. Alc. Rhen. Ald. Lips. Pithoe. Bernegger. Gronov. *pauci sensus opt. et cum* etc. — ed. Romana Lipsii exhibet *sensus opacus*, lectionem perversam, ex qua Lipsii correctio *opacius* orta est. Schelius coniecerat *pauci sensus optime et cum* etc., quod quia nimis indefinitum est, recte reiicitur. Palma tribuenda est Acidalio, qui emendavit: *pauci sensus apte et cum* etc., eumque sequuti sunt Freinshem. Heumann. Schurzfleisch. Ernest. Bip. et recentt. omnes. Recte, nam Ciceronianum est Orat. c. 64. *clausulae apte numeroseque cadentes*, et ibid. c. 68. *sententia apte exposita atque absolute. apta* dicuntur, ut Ernest. Clav. Cic. p. 279. inquit, quae recte inter se iuncta sunt. Or. 52. *apta oratio* est numerosa, in qua ita apta inter se sunt verba, ut numerose cadant. Ciceronis loco Schurzfleisch. adductus est ad opinionem, aliquid deesse et fortasse *apte numeroseque* vel simile quid antiquitus fuisse. — Deinde *terminantur* a Pithoeo correctum est pro edd. priorum lectione *terminatur*.

nihil excerpere, nihil referre. Sic MSS. Farn. t. Lipsio et Neap. et edd. post Lipsium omnes. Ed. Spir. praebet *nihil ex tempore nihil referre*, quod altero *nihil* omisso edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. mutarunt in *nihil ex tempore referre.* Rem illustravit Tacitus cap. 20. *non solum audire, sed etiam referre domum aliquid inlustre et dignum memoria volunt.*

duraturus. Ed. Iunt. *daturus.*

sicut. Ed. Spir. *sic.*

locupletem ac lautum patrem familiae. MS. Neap. et edd. antiquae consentiunt in *laudatum*, quod cum Seebodio ed. pr. defendit Osann., quippe quod, ut ipsius verbis utar, explicatione haud prorsus carere videatur. Utinam Osann. eam adiecisset! Lipsii emendationem *ac lautum* recte sequuti sunt omnes; vix enim quidquam aptius cum *locuples* coniunxeris. — Ed. Spir. praebet *patres familię.*

imbrem. Edd. Ber. Alc. *hymbrem*; cfr. Doederlein. Lat. Syn. et Etym. Vol. II. p. 87. sqq. — Si quidem recentiorum quidam Schurzfleischium mirantur voluisse deleri verba: *quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam*, neque causam reperiunt, quaerenda est ea in typothetae errore, qui verba omisit, de quibus delendis ne verbulum quidem in Schurzfleischii Actis legitur.

supellectile. MS. Neap. *supellectili.* cf. Drakenb. ad Liv. VI. c. 9. § 3.

sed etiam sit. Haec constans est edd. antiquarum scriptura, quam restituerunt Dronk. Osann. et Orell.; nam *etiam* casu excidisse videtur in edd. Pithoei et Lipsii, quas temere sequebantur reliqui, [Bekkerus quoque et Boetticher.]. Nihil enim est, quod illam vocem

adparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus, ut aspicere saepius libeat: quaedam vero procul arceantur, ut iam oblitterata et olentia. nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem Annalium componantur; fugitet

suspectam reddat. Neutiquam vero opus est I. Bekkeri emendatione *sed sint*, nam ubi verbum praecedit, singulari quoque numero latini utebantur, etiamsi nomen plurali numero expressum succederet; idque eo magis in usu erat, ubi plura nomina ad unam velut notionem iuncta erant, quae Goerenz. ad Cic. Acad. 1, 1. verba sunt.

ut aspicere. Sic MSS. Neap. [Farn.] edd. Lips. prima (Antverp. a. 1574.) [Bekker. Boettich. Rupert.]. Recte; amat enim Tacitus eiusdem particulae cum vi quadam iterationem, cf. Germ. c. 16. *ut fons, ut campus, ut nemus placuit*, et alia apud Boetticher. Lex. Tacit. Proleg. p. LXL. sq. — Edd. antiquae consentiunt in *aut aspicere*, quae commutatio aliis quoque locis facta est; v. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 8, 23. — Lipsius in posterioribus edd. *et aspicere* correxit, quod reliquae edd. servabant, praeter Dronk. et Osann., qui maluerunt ob edd. vett. auctoritatem *aut* revocare.

libeat. MS. Neap. edd. vett. Lips. Pith. Bernegger. Gronov. Seebod. Dronk. Osann. exhibent *liceat*, sed aptius est, quod Rudolph. Agricola emendavit, *libeat*. quam quidem lectionem Lips. Heumann. Bipont. Broter. et sqq. probarunt. Neque improbavit eam Schurzfleisch., ita eo falsus, quod eandem scripturam in Romana edit. Fr. Modio (Novant. lect. ep. 15.) inspecta et Rivii Veneta exstitisse iam ante Agricolam adfirmat. Schulzius se decipi passus est.

arceantur. Edd. Lips. sqq. omnes; *arcentur* MSS. Neap. [Farn. t. Bekkero] et edd. antiquae.

et olentia. Acidalius Heumanno addicente corrigendum suasit *et exoleta*, idemque verba transponenda esse censuit: *nullum sit verbum vel. rub. infectum, quaedam vero procul arceantur, ut iam obl. et exoleta; nulli sensus* etc.

velut rubigine infectum. Rhenanus (in castigatt.) correxit antecedentium edd. corruptelam *vel* (quod in Neap. quoque cod. repertum est) *rubigine infestum.* Ceterum *robigo*, quod alibi meliores libri praebent quodque bis in Fastis Praenestinis exstat hoc loco ab nullo libro exhibetur.

in morem Annalium. Immerito in hisce verbis Schulting. et Schurzfleisch. haeserunt; alteri in mentem venit *in morem antarum interponantur*, metaphora ex architectonica re ducta; *antae* enim pilae lapideae sunt, quae ostiorum lateribus adponuntur; alter vero haesit in Annalium vituperatione, quam in Tacitum quoque, item Annalium scriptorem, transferri debere opinatus est. Quare excidisse aliquid ante *Annalium* putavit et *Tanusii* vel *Volusii* nomen interposuit. Sed quis non videt de vetustissimis Annalium scriptoribus sermonem esse; quorum exilior horridiorque erat dictio.

componantur. Ed. Spir. *ɔponatur*, nam *c* littera inversa in lapidibus et codd. compendium est syllabae *con*; cf. Voss. de Analog. I. c. 7.; ed. Pith. *imponantur*.

fugitet. Sic MSS. Vatt. 1862. et 4498. edd. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boetticher.]; utitur enim Tacitus verbis frequentativis, saepius in libris cum vv. simplicibus confu-

foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet.

XXIII. Nolo inridere „rotam fortunae" et „ius verrinum" et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum „esse videatur." Nam

sis, ut cap. 17. *vocitetis*. Alia vide apud Boetticher. Lex. Tacit. Prolegom. p. LIX. — *fugiet* est in MSS. Neap. [Farn.] et MS. Vat. 1518., quod edd. mutarunt, ad sententiam quidem bene, in *fugiat* [idque retinuit Rupert., Vaticc. libr. scripturam glossam redolere suspicatus].

insulsam scurrilitatem. Edd. Put. Riv. *insulam*; MS. Neap. *scurilitatem*.

clausulas . . determinet. *Clausula* quid sit Spalding. ad Quintil. T. II. p. 264. sq. exposuit. *Determinet* stabilitum est testimoniis MSS. [Farn.] et Vaticc. itemque edd. antiquarum, ex quibus revocavit Osann., nec improbavit Seebodius. [I. Bekker. in textu posuit.] Sed Lipsius, Pithoeus et reliqui praeferebant *terminet*, cui lectioni *de* ex praecedenti *modo* adhaesisse Orellius opinatur.

Cap. 23. *rotam fortunae et ius verrinum*. Cf. Cic. in Pison. c. 10. § 22. *quumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, quum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunae rotam pertimescebat*, quod quidem, non ita multum reprehendendum, alii quoque scriptores imitati sunt, ut Tibull. 1, 6, 70. et Ammian. Marc. 26, 25. Alterum deprehenditur act. II. in Verrem libro primo c. 46.: *hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, ius tam nequam esse verrinum.* Sed verba Ciceronis sequentia (*neque enim perfacete dicta, neque porro hac severitate digna sunt*) et disertum Quintiliani iudicium Inst. or. 6, 3, 4. (*illa ipsa, quae sunt in Verrem dicta frigidius, aliis adsignavit et testimonii loco posuit*) satis demonstrant, eas ineptias Ciceroni iniuria imputari. Malui vero minuscula littera *ius verrinum* exhibere, ut ambiguitas magis sentiatur, praesertim quum in Verris nomine saepissime Cicero luserit, ut in *apro Erymanthio*, quem Act. II. libro secundo c. 43. extr. commemoravit. De tertio *esse videatur* adeas Quint. Inst. or. 10, 2, 18., *noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent* e s s e v i d e a t u r, unde patet, Quintilianum pravos imitatores vituperasse, non Ciceronem ipsum. cf. Spalding. ad Quint. Vol. III. p. 379. Versuum clausulas saepius Ciceroni excidisse, exempla a Barthio Advers. XXXI, 17. XLI, 22. et a Schellero Observatt. p. 52. collecta ostendunt.

sensu. Ed. Spir. *ſus*, *ſ* littera cum virgula mixta. — Edd. Put. Riv. *serus* — edd. Beroald. sqq. *sensu*, de qua lectione cf. not. ad c. 20. Puteolani corruptela ex male intellecto ed. Spir. compendio orta est. *versu* Schelio in mentem veniebat emendare.

in omnibus orationibus. Negligenter in ed. Ber. *orationibus* omissum est, nec restitutum in edd. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Pith. Ber. negg. Gronov., sed vocabulum, quod adiiciendum esse Muretus et Acidalius perspexerant, in MSS. Neap. et Vaticc. itemque edd. Spir. Put. Riv. exstat, quare post Broter. omnes vett. librr. lectionem adsciverunt. Cur Heumann. *omnibus* delendum censuerit, non video.

et haec invitatus retuli, et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii, qui se antiquos oratores vocitant. neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia Aufidii Bassi aut

haec. Sic MS. Neap., quod ex Acidalii coniectura Heumann. et Schulz. probante Ernestio ediderunt pro vulg. *hoc.* Aptius illud, quia diversa Aper protulit.

invitatus. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] et Vaticc. atque Spir. ed., quod et Lipsio placuit, qui in cod. Rom. eam lectionem esse narrat, et a Seebod. Dronk. et Osann. (in cuius ed. errore typothetae *invitus* servatum videtur) repositum est pro eo, quod Puteolano praeeunte omnes exhibent *invitus.* Quod aptius esse ut concedam, tamen non reiicienda vett. librr. summa auctoritas. Lacessitum se esse a Messalla ad Ciceronem aliosque antiquos reprehendendos Aper profitetur. Sic Cic. ep. ad Att. 8, 11. *haec a te invitatus breviter exposui.* — MS. Neap. *obmisi;* paullo post ex eodem libro *ii* correxi pro vulgato *hi,* quod Orellium h. l. praetervidisse mirum est. [Bekker. et Boeticher. *ii* exhibent.]

vocitant. Emendationem hanc a Schulting. et Schurzfleisch. profectam, (non enim *vocitent* illi voluerunt, ut Dronk. et Osann. tradunt) firmant MSS. Neap. Vaticc. et edd. Spir. Put. Riv. sqq. usque ad Lipsium eo quod *vocabant* praebent. Lipsius sqq. omnes *vocant* praetulerunt. Similis confusio cap. 17. in eodem verbo animadversa est. cf. not. ad c. 22. v. *fugitet.*

significasse. Sic MSS. Neap. [Farn. apud Bekk.] Vaticc. (in quibus *signavisse* exstare Dronkio erranti ita credidit Osann., ut in textu collocaret), unde eam lectionem nuperrimi editores receperunt, [Bekker. quoque et Boettich.]. Dronk. vero librorum typis expressorum omnium scripturam *signasse* servandam putavit, quia hoc saepius „notare, signo indicare" significet. Verissimum id; sed aptius erit *significasse,* quod in edd. vett. cum *signasse* confusum esse solet, ut cap. 16. *signatione* cum *significatione.* [Rupert. *signasse* e cod. Farn. esse tradit, nempe eodem tenetur errore, in quem Orellium quoque aliquoties incidisse dolendum est.] — In seqq. ex MSS. Neap. et Vaticc. malo refingere *versantur a. o., qui Luc.* pro *isti, qui* etc., quod Dronk. Osann. Orell. ediderunt, [Bekker. et Boettich. *isti* omiserunt, quia in nullo exstet libro, et Rupertio etiam glossema esse videtur].

Lucilium pro Horatio. Edd. Put. Riv. *Lucium pro Horatio* — edd. Ber. Alc. *Lucillium pro Oratio.* De re cf. Bernhardy. hist. litter. Rom. p. 118. sq. p. 127.

Aufidii Bassi. MSS. Neap. [Farn. t. Bekk.] et ed. Spir. *tui fidi Bassi,* inde Puteolan. correxit *tui Aufidii Bassi* et eum omnes ante Heumannum sequuti sunt praeter Acidalium, qui *tui* delendum esse coniecit. Schurzfleisch. Heumann. Schulz. Dronk. Osann. maluerunt *T. Aufidii Bassi,* et Schurzfl. quidem, quia *T. Aufidius Fronto* consul suffectus memoretur. Verum est *Aufidii Bassi,* praenomen enim addi nequit, quia in altero nomine omissum est. Quod vero Orellius contendit, praenomen ei fuisse *Publio,* auctore Prisciano T. I. p. 371. ed. Kr., id veri non similius est, quam si *Caii* nomen substituerim, quia *C. Aufidius* memoratur apud Fronton. ep. 4, 13. p. 112. ed. Rom.

Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet; qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur, quos, more prisco apud iudicem fabulantes, non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur. adeo moesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate, sed ieiunio consequuntur. porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant,

qui ex Umbria Romam venit. Ineptum est, quod Heumann. [non Schurzfleisch., ut Orell. narrat] hunc Aufidium memoratum esse Ciceroni Brut. § 179. opinabatur. De Basso cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 103. ibique Spalding.

Servilii Noniani. Ed. Spir. *Servilii nominavi* — ed. Put. *Servuli nominavi* — ed. Riv. *Servilii Romani* — edd. Ber. et sqq *Servilii Noniani.* In Quintiliani libris antiquioribus *Novianus* vocatur, Vossio de historic. latin. I. c. 27. probante Cf. Tacit. An. 14, 19. *Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae, quam clariorem effecit ut par ingenio ita morum diversus;* et Quint. Inst. or. 10, 1, 102. *ipse a nobis auditus est, elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus, quam historiae auctoritas postulat.*

Sisennae. Ed. Spir. *Sisenę* — edd. Put. Riv. Ber. Alc. *Sisenae.*

oderunt. Hoc tanquam otiosum glossema cum Heumanno expunxit Schulz.; iam Wopkens. defendit, Aper enim synonyma frequenter coniungit.

mirantur. Ed. Spir. totum locum sic exhibet distinctum: *rhet. nostrorum comment. fastidiunt. oderunt calvi miramur quos* etc.

non auditores sequuntur. Edd. ante Lipsium *non* omittunt, is primus inseruit; item ed. Spir. *sequentur*, quod non convenit huic loco. [Cod. Farnes. *secuntur*].

sanitatem non firmitate, sed ieiunio consequuntur. MSS. Neap. et Farn. teste Lipsio: *sanitatem infirmitatem sed ieiunio consequentur*, idem exstat in ed. Spir., nisi quod *consequantur* scriptum est. — MSS. Vaticc. 1862. et 4498. *sanit. infirmitate sed ieiunio consequentur.* — Edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *sanitatem, sed ieiunio consequuntur*, quod et Pichenae placuit et Schurzfleischio explicantibus: consequuntur quidem sanitatem, sed structura inerti et aridis verbis. Plerisque vero haec vetustorum librorum verba corrupta videbantur, emendabat igitur Rudolph. Agricola: *inculti, ut illam ipsam, quam iactant sanitatem, non infirmitate, sed ieiunio consequantur;* Lipsio praeferendum videbatur *sanitatem infirmitate et ieiunio*, quod Bernegger. Gronov. Ernest. et Orell. retinuerunt; Acidalius denique et Schelius coniecerunt: *non firmitate sed ieiunio*, quod et ob consensum cum antiqua scriptura et ob sententiam satis aptam (quamvis ἄκυρον hoc esse Orellius contenderit, persto in ea opinione) receptum est ab Heumann. Broter. Bip. Schulz. Oberl. Dronk. Osann. [Bekker. Boettich. Rupert.]. Sententia est: falsam sanitatis speciem, quam iactant, non corporis robore firmaque valetudine (i. e. vera eloquentiae vi), sed ieiunio (i. e. aridis orationibus et inopia pressis) consequuntur. Cf.

quae animi anxietate contingit. parum est, aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem volo. prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos vero, disertissimi, ut potestis, ut facitis, inlustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. nam et te, Messalla, video laetissima quaeque antiquorum imitantem: et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum ni-

Quint. Inst. or. 12, 10, 15. *hi sunt enim, qui suae imbecillitati sanitatis appellationem, quae est maxime contraria, obtendant*, et ibid. 2, 4, 9.

quae animi anxietate contingat. MSS. Neap. Vaticc. *quae a. anxietate contingit*, quod receperunt Broter. Bipont., idem in Farn. cod. fuisse videtur, ex quo Lipsius, latinitatis legibus postulantibus, *quae a. anxietate contingat* edendum curavit, obtemperantibus ei Bernegg. Gronov. Ernest. Orell. [Bekk. Boettich. Rupert.]. — Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *quae a. anxietati confixit* — edd. Rhen. Ald. Pithoe. *q. a. anxietati confinis sit*, id quod a Seebodio nuper revocatum est. Coniecturae sat multae propositae sunt; Rhenan. (in castigatt.) suadebat: *q. a. anxietate constitit*; Acidal.: *quae tantum sine anxietate contingat*; Groslotius: *quae a nimia anxietate contingat*, quod et Ernestio probatum et ab Oberlin. Bekker. et Lünemanno receptum est, itemque Schulz. eam coniecturam tuetur, sed praepositionem is omisit; Heumann. audacter, ut solet, scripsit: *cum animi anxietate coniunctam* vel *amota anxietate*; Schurzfleischius: *q. a. anxietate confit.* Qua vero auctoritate Dronkii et Osanni commentum *a. anxietati contingit* suffultum sit, equidem non perspicio.

prope abest. MSS. Neap. [Farn.] edd. Spir. Put. *proprie abest* — ed. Riv. *haut prope abest* — edd. Beroald. sqq. *prope abest*, quod nimiam Riviano libro fidem habens Schurzfleisch. in *at prope* vel *haut procul* mutare volebat. In hac formula a librariis, quibus voces repugnare sibi videbantur, peccatum est.

infirmitate. Ed. Spir. *infinitate*, ut supra.

vos vero. Sic MS. Neap. edd. Lips. Pithoei et sqq. omnes praeter Dronk. et Osann., qui revocabant edd. antiq. lectionem *vos ergo*, quae Schurzfleisch. quoque et Heumanno videbatur praeferenda. Excidisse volebat Acidalius *viri*, et facilis erat error in hoc vocabulo propter praecedens *vero*, eum igitur Schurzfleisch Heumann. et Schulz. sequuti sunt, Orellius tamen uncis circumsepsit. Sed *disertissimi* satisfacit. [Equidem, Boetticher. inquit, omisso *vero* legerim *vos viri*, nam adversat. particula per se intelligitur.]

ut facitis. Hofmann. Peerlkamp. coni. *ac facitis.*

laetissima. Sine controversia, Orell inquit, leg. est cum Rhenano *lectissima* pro *laetissima*; immo vulgatum hoc praeplacet ob *nitorem et cultum verborum*, quem infra scriptor commemoravit.

Materne. MS. Neap. *Matorne.*

gravitati sensuum nitorem . . miscetis. MSS. Neap. [et Farn.] et edd. fere omnes dativum exhibent *gravitati*, sed ab I. Fr. Gronovio *gravitate* scriptum est, quod recentt. pleriqne retinuerunt. Nam quamquam *miscere* cum ablativo etiam construitur (cfr. Oudendorp. ad Hirt. Bell. Alex. c. 56.), frequentior tamen dativi usus est. —

torem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea, quotiens causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis adfectus, sic libertatem temperatis, ut, etiam si nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.

XXIV. Quae cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, vim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est, per quae mox ipso incesseret! tuum tamen, Messalla, promissum immutasse non debes. ne-

De *sensuum* ex codd. Neap. Vaticc. [et Farn.] constat, in edd. vett. *summum* editum erat, quod corrigendum esse Acidalius iam perspexerat; sed post Broter. demum et Ernest. *sensuum* vulgabatur.

ea, quotiens etc. MS. Neap. et edd. pleraeque *et, quot.* dederunt, sed orationis concinnitas poscit emendationem Wopkensii *ea, quot.*, quam Bipont. Schulz. Seebod. Orell. [Bekker. et Boettich.] in textu collocarunt neque Heumann. in Addend. improbavit. De scriptura *quotiens* cf. not. ad An. 1, 25. 6, 2. alibi [add. Forbiger. praefat. Lucret. p. XXI.]

ea sententiarum planitas est. Sic MSS. Neap. [Farn. t. Bekker.] Vaticc. 1862. et 4498. — *ea sententiarum planitas* edd. Spir. Put. Riv. Beroald. Pith. — *sententiarum planitas* edd. Alc. Rhenan. sqq. ad Pithoeum et deinde Bernegger. et Gronov. — *ea sententiarum plenitas est* MS Vat. 1518. edd. Bipont. Oberlin. (qui *est* omisit) Seebod. Dronk. Osann. (ab eo quoque *est* resectum est) et Orell. [Rupert.]. Praefero *planitas* [frequens autem in his vocabulis librariorum error cf. Drakenb. ad Sil. Ital. 3, 532 et quos adfert Obbar. ad Horat. Epist. 1, 2. p. 21.] et explico auctore Schulzio: planitas sententiarum est, cum sententiae non cum vitio eminent extra corpus orationis, non nimis sunt constipatae, unde oratio redditur nimis concisa et soluta: nam e singulis non membris sed frustis collata, structura caret." Haec Schulz., unde adparet, nec opus esse, ut *plenitas* recipiatur, nec, ut vel cum Lipsio *sanitas* vel cum Schurzfleischio *gravitas* corrigatur.

dicturi sint. Sic post Lipsium edd. omnes, idemque est in MS. Neap.; in edd. vett. erat *daturi sint*, quod non ideo eiectum est, quod *iudicium dare* non latinum sit, ut Dronk et Osann. credunt, sed quod *verum dicturi sint* per se sufficit, ut cap. 18. *omnes mihi videntur verum dixisse.* Quid in his langueat, non adsequor, nec, cur *facturi* ab Orellio [vel *laturi* a Rupertio] requiratur.

Cap. 24. *mutuatus est.* Ed. Spir. *maturatus est*, eadem paulo post *incesset* pro *incesseret.*

tuum tamen. Ed. Put. *tuum tamen ē*; ed. Riv. *tuum tam est.*

que enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis, quos modo insectatus est Aper, comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri et a vestris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. igitur exprome nobis non laudationem anti-

immutasse non debes. Edd. vett ante Lipsium exhibent *ita mutasse non debes,* quod satis temere Seebodius restituit. Lipsius haud dubie e Farnesiano codice *immutasse* correxit, idem enim in MSS. Neap. et Vaticc. 1862. et 4498. exstat [et de Farn. libro fidem fecit I. Bekker.]. Recte sic ediderunt post Lipsium fere omnes. Unus Pithoeus exhibet *ita immutasse*, Ernest. *mutasse* malebat. Iidem libri Vaticc. et MSS Neap. [et Farn.] exhibent *debet*, quod facile mutatione in *debes* emendaveris. [Edd. Bekker. et Boetticher. *debet* praebent.] — [Rupert., nonne, inquit, leg. *immutare?*"; immo vide tu de eo aoristorum usu Walch. ad Agric. p. 133.]

defensorem. Bene sic MSS. Neap. [et Farn., indeque iam translatum est in Bekkeri et Boetticheri edd.]. Reliquae omnes *defensores* dant, quo quidem numerus singularis haud dubie aptior est. Sic infra c. 25. *non exigit defensorem.*

quemquam nostrum. Ed. Pith. Heidelberg. *quanquam* exhibet, vitium ex Parisini exemplaris lectione *quenquam* ortum. *nostrorum* est in MS. Neap. et edd. antiquioribus et recentioribus plerisque; verum quidem est, eam genitivi formam usurpatam esse a Romanis, sed a priscis tantum scriptoribus, veluti Plauto, quo de cf. Gellium N. A. 20, 6. Vossium de Analogia 4, 4. Ramsborn. Gr. lat. p. 304. Sed posteriore tempore usitatius erat *nostrum*, quod Acidalius emendavit, quem Heumann. Schulz. Oberl. Seebod. Dronk. et Orell. sequuntur.

iis, quos modo etc. Sic MS. Neap. [in Farn. quoque cod. *modo* legitur, sed Bekker. non recepit.]. *iis* ex coniectura restituerat Orellius, [idem apud Bekker. et Boettich. deprehendimus].

et a vestris philosophis. Scripsimus ita ex MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. 1518. et 4498. cum Broter. Seebod., qui *alias* uncis circumclusit, Dronk. Osann. Orell. [Bekk. Boettich.] — MS. Vat. 1862. *et a nostris phil.*, crebra confusione. — Cod. Farn. t. Lips. *et aliis a vestris.* — Edd. ante Lipsium omnes ferunt *et aliis vestris phil.*, etiam ed. Ald., de qua falsus est Osannus. — Id Pithoeus mutavit in *aliis a vestris;* Lipsius vero, de cuius emendatione incerti sunt plerique, in *et alias a vestris*, quod *a* praepositione neglecta ab Pichena, Acidal Bernegger. Freinshem. Gronov. Heumann. Ernest. Oberlin. al. comprobatum est. Muretus *vestris*, quod satis aptum est ad Academicos philosophos significandos, perperam delendum censebat. Schulting. coniecit *et aliis et vestris phil.*, in quod Osannus quoque se incidisse profitetur. [Sic edidit nuperrime Rupert.] Frustra coni. Orell. *et illis vestris* vel *ab illis vestris.*

saepe celebrato. Heumann. *saepe* omitti volebat, Seebodio non improbante; sed eadem abundantia saepius iam animadversa est in hoc dialogo, nec infrequens apud alios scriptores. Vid. Gifan. append. observatt. p. 286. Interpr. ad Nepot. Themist. c. 4, 4.

igitur exprome. *igitur* adieci ex Neap. cod., [Bekker. et Boettich. Farn. libri auctoritatem se-

quorum: satis enim illos fama sua laudat; sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus; cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.

XXV. Tum Messalla: Sequar praescriptam a te Materne formam. neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam

quuntur], quod primum locum ex Taciti [et aliorum vid. Spald. ad Quint. Inst. or. 3, 8, 24.] more obtinet. cf. Boetticher. Lex. Tacit. p. 236. sq. *Exprome*, quod Acidal. verissime emendavit, in eisdem libris manu scriptis est et in Vaticc., deinde in edd. Ernest. sqq. receptum. Ed. Spir. *Ex primo* — Edd. Put. sqq. ad Ernest. *exprime*, quod vel in *exprome* cum Acidalio vel in *expone* corrigendum esse Schurzfleisch. putavit.

illos. MS. Vat. 1862. *istos*, quod Dronk. recepit; in eodem cod. paullo post *cur tantum* scriptum est, praepositione *in* neglecta. Cf. Ruhnk. ad Vell. Paterc. 1, 9.

effici. Ed. Spir. *effeci.*

ratio temporum collegerit. Sic libri omnes praeter MS. Neap., in quo *colligitur* repertum est. Verbis his defendendis sufficiant F. A. Wolfii verba in: *Vermischte Schriften* p. 162., quae integra transscribo: „Alii *Apri* nomen adscribi volebant [ut Huetius et Schultingius, *ratione* corrigentes]; alii [ut cum Ernestio Schulz. aliique] subaudiendum id nomen putabant. Alterum violentum esset, alterum ingenio linguae contrarium. Non *oculis nutuque*, ut ille ait, Latini loquuntur pro substantivis. Neque par exemplum cap. 25. extr. Vel una analogia fretus bene dici statuerim *ratio colligit*, eo sensu, quo Germani *die Berechnung ergiebt.* Sicut enim in dialecticis dicitur *ratio efficit*, *vincit*, *constat* etc., ita in alio genere ratiocinandi, usu numerorum, iisdem formulis locus esse debuit: quippe hic fons est translationis. In numeris autem proprium *colligere:* fere semper quidem de ratiocinatore, at etiam, ut opinor, de ipsa ratione. Simillime Plinius Ep. 2, 19, 9. *omnes in utraque parte calculos pone idque elige, in quo vicerit ratio.* Ceterum hic Apri c. 17. putidam in temporibus computandis sedulitatem agitari manifestum est. Iam quid tandem in principio est, quod frigeat? *tantum* subauditur, ut saepe fit. *Praesertim* vero propter ipsam paucitatem annorum adiectum est."

Cap. 25. *Sequar praescriptam a te Materne formam.* Ordinem verborum mutavi e MS. Neap., in quo levi confusione scriptum est: *sequar perscriptam et Materne formam.* [Idem in MS. Farn. legitur, eundemque verbb. ordinem exhibent edd. Bekker. et Boettich.] In omnibus reliquis libris editum est: *sequar a te praescriptam formam, Materne.*

primum. Heumanno *primus* videbatur corrigendum esse [, probante Rupertio]; sed h. l. adverbium ordinale est, quod saepe apud optimos scriptores ita usurpatum est, ut *deinde*, *postea* aliaeque particulae non sequantur. [Exempla eius usus vide apud Duker. ad Flor. II, 18. Gronov. ad Liv. 34, 19, 18. Beier. ad Cic. Offic. Vol. I. p. 108. et Grysar, Theorie etc. p. 108.]

nominis controversiam movit. Edd. antiquae *non mo-*

movit, tanquam parum proprie antiqui vocarentur, quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est: sive illos antiquos sive maiores sive quo alio mavult nomine adpellet: dummodo in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si comminus fatetur, plures formas dicendi etiam iisdem saeculis, nedum diversis, exstitisse. Sed quo modo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur,

vit (spatio inter utrumque vocabulum relicto); lacunam Lipsius e Farn. cod. explevit, quocum Neap. liber consentit.

constat. MSS. Neap. [et Farn.] *constaret.*

ante centum annos. Muretus coniiciebat *intra c. a.*, neque tamen *intra* addendum censuit, ut ed. Bip. fabulatur, neque voluit *ante c. a. et infra* scribi, ut Dronk. et Osannus narrant. Et in Schurzfleischii coniect. Dronk. erravit, voluit enim is *ante centum, et ultra, annos.*

quo alio. MS. Neap. *alio quo.*

si comminus fatetur. Sic MSS. Farn. et Neap. edd. Lips. Pith. [Bekker. Rupert.], quod probandum videtur [V. Hand. Tursellin. Vol. II. p. 94. sqq.], modo id pro „statim, illico" dictum esse putes. Sed varia est librr. scriptura; edd. ante Lipsium praebent *si quo minus fatetur*, quod aperte corruptum est; verum in eo nituntur omnes fere seqq. editt. coniecturae. Acidalii: *quin omnes fatemur*, quacum congruit Huetii: *immo nos fatemur* vel *quo minus fateamur*; Schultingii: *ubi cominus fatetur*; Pithoei: *si communius fatetur*; Heumanni: *quatenus fatetur*; Schurzfleischii: *quasi minus fatendum*; ed. Bip.: *repugno sic, quo minus fatear*, id quod Oberlino placuit et Bekkero; Schulzii: *si quidem omnes fatemur* vel *qua omnino fatetur*; Seebodii: *in qua omnino fatetur*, in quo Dronk. acquievit; Osanni: *sicut omnes fatentur*; Orellii: *scilicet qua invitus* vel *aequo animo fatetur*; Rauchensteinii: *si fatetur.* Audaciores fuere alii, ut Schelius, qui coniecit: *si cominus spectentur*; Schneiderus, qui in Observatt. p. 10. emendationem hanc proposuit: *ne illi q. parti ... repugno. Sic* (vel *id*) *enim non minus fatemur*; [Boetticher.: *qua in commune fatetur*]. Nolumus vero in coniecturis illis refellendis operam perdere. [Sicco pede h. l. transiit W., nam vix cuiquam librorum scriptura satisfaciet; iam particulam *comminus* eo significatu usurpari posse ut concedamus, quod ut fieri possit metuimus, tamen quae sit verborum sententia non intelligimus. Satis bona est Schulzii coniectura facili emendatione in: *si quidem omnes fatentur* transmutata.]

etiam iisdem saec. Edd. Spir. Put. Riv. *etiam hoc iisdem s.*, sed *hoc* omissum est in omnibus sqq. editionibus.

inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur. Et vox addita et locus restitutus auxilio libri est, Lips. inquit in ed. Antverp. Eum omnes sequuti sunt; nam corrupta est edd. vett. scriptura: *inter A. oratores Demostheni tribuerit*, pro qua in marg. edd. Francof. et Colon. *primas tribuit* emendatum est. Cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 93. *Oratorum longe prin-*

proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem consensu haec oratorum aetas maxime probatur; sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur, nec refert, quod inter se specie differant, cum genere consentiant. adstrictior Calvus, numerosior Asinius,

ceps Demosthenes ac paene lex orandi fuit. Cic. Brut. c. 9. *Plane perfectum oratorem et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris .... Demostheni Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is, cuius nulla exstant scripta, Demades aliique plures.*

Aeschines. Ed. Spir. *Heschines*, edd. Put. Riv. *Eschines.* — Eaedem tres edd. paulo post *ligurgus* pro *Lycurgus*, cuius historiam Ioann. Taylorus enarravit.

consensu. MS. Neap. *concessu*, cuius vocabuli ablativus quamvis saepius et apud Ciceronem et apud Tacitum exstet, tamen eum h. l. non aptum dixerim ob significatum. [MS. Farn. *concessu.*] Edd. omnes *consensu.*

sic. In MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. est *sicut.*

et Coelius. Ed. Spir. haec verba omisit, quae Puteol. addidit, recte; nam sunt ea in MS. Neap. et eiusdem viri commemoratio cap. 17. exstat inter eosdem oratores, quos h. l. scriptor indicavit.

suo iure. MSS. Farn. Neap. et Vaticc. *sic vere* [Bekkero auctore in Farn. *si vere* exstat], et ed. Pithoei. — edd. Spir. Put Ber. Riv. Alc. Rhenan. Ald. *sic iure*, quod retinuerunt Osann. Orell., sed is asterisco praeposito [et Rupert.]. — Lipsius emendavit *suo iure*, in quo sqq. fere omnes adquieverunt rectissimine; Schurzfleisch. propter librorum in *sic vere* consensum et in *sic iure* coniiciebat *secure*, idemque de subsequentibus verbis haec addit: „sententia tamen poscit, *reliquis*, vel *post* (?) *Ciceronem*, vel simile quid, quod proximius sit scripturae veteri." Tyrwhitt. malebat *simili iure*, et Orell. ex antiquae scripturae ductibus *si quaeris* restituendum esse divinabat.

quod. Sic edd Spir. Put. Riv. Beroald.; *qui* perperam expressum est in edd. Alc. Rhenani et Aldi, quarum errorem sustulerunt Lips. et sqq. — Ed. Spir. *spẽ* pro *specie*, ut solet.

adstrictior Calvus. MSS. Farn. et Neap. *at strictior*, quod Lipsius recepit eumque sequuti sunt Pithoe. Bernegger. Gronov. Dronk. et Osann., sed et *strictus* raro usurpatur significatu hoc rhetorico, (velut apud Quint. Inst. or. 10, 11, 77. *quo minus strictus est* sc. *Aeschines*) et *at* particula, quam transitum facere ut alias Dronk. contendit, non convenit propter seq. *tamen*, ubi tu *quidem* exspectaveris vel *quanquam.* Recte igitur Acidal. coniecit *adstrictior*, quae quidem lectio ab Heumann. Ernest. Broter. Bip. Schulz. Oberlin. et sqq. recentt. in verborum contextu posita est. Corruptae sunt vett. edd., nam ed. Spir. *aut strictior*; edd. Put. (ex qua falsa protulit Brot.) Riv. sqq. ad Lips. exhibent *at tristior.* Rem confirmant Plinii minoris verba a Spalding. ad Quint. Vol. IV. p. 101. adlata. — De Coelio Quintiliani iudicium discrepat a Taciteo, ille enim l. 10. c. 1, 115.

splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt: ut, si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. Nam quod

dicit: *multum ingenii in Coelio et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.* Mira est verborum distinctio, quam praefert ed. Spir.: *Calvus numerosior. Assinius splendidior. Cesar amarior. Celius gravior. Brutus vehementior et pl. et valentior. Cicero omnes* etc. Schelius pro *numerosior* coni. *morosior*, inepte.

sanitatem eloquentiae ferunt. MSS. Neap [Farn.] edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent *sanctitatem*, quod Rhenan. (in castigatt.) correxit in scripturam ab omnibus deinceps probatam. cf. Cic. Brut. c. 13. *omnemque illam Atticae dictionis quasi sanitatem perderet*; idem de opt. gen. dic. 3. *imitemur illos potius qui incorrupta sanitate sunt;* Vell. Pat. 1, 18. *una urbs Attica pluribus sanae* (sic ex Ruhnken. emendatione) *eloquentiae, quam universa Graecia, operibus effloruit.* Cf. Ellendt. ad Cic. Brut. p. 41. sq. [Obcaecatus fuisse videtur Boetticher., qui *sanctitatem* optimam lectionem ducit, opp. *malignitas* et *quod invicem se obtrectaverunt.*] — Pro *ferunt* Acidal. volebat *praeferunt*, dicendi usus, qui apud Tacitum obtinet, immemor; eum sequitur Orell. Proleg. p. LXVIII. Dicitur quidem saepius *praeferre* (cf. not. ad An. 2, 53. extr.), tamen et alterum invenitur, ut Hist. 2, 65. *laetitiam et gratulationem vultu ferens*, ibid. 4, 85. *quos spiritus gessisset, vultu ferebat.*

in manum. Ed. Lips. a. 1607. *in manus*, uti est cap. 22.; Plin. Ep. 1, 16. 6, 7. 8, 3. et 9.; Quint. Inst. or. 10, 1, 22., sed apud eundem Plin. Ep. 9, 22, 2. legimus: *si elegos eius in manum sumseris;* ubi Cortius et Gierigius *manus* praetulerunt.

scias. Deest hoc vocabulum in edd. vett., sed Lipsius ex Farn. cod. auctoritate id interposuit. In illo enim cod. ut in Neap. libro *sciam* exstat. Muretus *sentias* addere voluerat, magis id probante Acidalio sine idonea causa. Schurzfleisch. ea, utpote ab librariis adsuta, damnat et corrigit enuntiatum sic: *ut, si omnium pariter libros in manum sumseris, quamvis in diversis ingeniis, esse (tamen) quandam iudicii similitudinem ac cogitationum fatearis.* Heumannus coniecit *sumpseris, quamvis in div. ing. videas quand. ing.* etc. Seebod. ed. pr. *scies* maluit.

iudicii ac voluntatis. Sic MS. Neap. et haud dubie Farn. quoque cod., ex quo eam scripturam Ursinus, Lips. et Pithoeus restituerunt cum sequentibus fere omnibus. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Ald. dant *iud. ac voluminis*, unde Rhenan. effinxit *ac luminis*, quod Dronk. vel recipiendum esse putavit. Acidal. pro *ac volunt.* maluit scribere *nihilo minus.* Faehsius Sylloge lect. p. 463. *iudicii ac acuminis* emendavit, id quod Seebod. probavit, et per fig. ἓν διὰ δυοῖν explicavit, ut iudicium esset acutum. Sed non opus est coniectura, iunguntur haec vocabula alias quoque, ut apud Plin. Ep. 1, 20, 12. *varia sunt hominum iudicia, variae voluntates.*

cognationem. Sic edd. Ber. Alc.

invicem se obtrectaverunt, et sunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis adfici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. an ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? Quod ad Ser. Galbam et C. Laelium adtinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit; non exigit defensorem, cum fatear, quaedam eloquentiae eorum, ut nascenti adhuc nec satis adultae, defuisse.

Rhen. Ald. sqq. — *cogitationem* MS. Neap. edd. Spir. Put. et Riv., quae *agnoscas*, non *fatearis*, ut Schurzfleischius tradit, adiecit. Schurzfleisch. *cogitationum* correxit, quia supra auctor *magnitudinem cogitationum* in Caesare laudavit; in eandem coni. Dronkii incidit acumen.

sunt. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. edd. Brot. Dronk. Osann. Orell. [et recentissimae]; ed. Spir. *super*, unde a Puteolano emendatum est *supersunt* et in reliquas edd. translatum. — In sqq. Acidal. aut *ex* delendum aut aliud verbum pro *detegitur* ponendum esse contendit; obtemperavit Schurzfleisch. et *intellegitur* vel *intelligitur* correxit.

invidere et livere. In synonymorum coniunctione Schulting. offensus vel *irridere et livere* vel *illudere et livere* emendare vult, sed quis non fert talem coniunctionem in hoc scriptore?

Brutum. Ed. Spir. *utrũ*, quod in MS. Neap. quoque est. Idem codex paulo post *decessisse* pro *detexisse*.

an ille Ciceroni invideret. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. 1862. et 4498., neque ita multum discrepat Vat. 1518., in quo *invidere* scriptum est. — Ed. Spir. *an ille inviderel Ciceroni.* — Edd. Put. sqq. *an invideret Ciceroni.* Libros manu scriptos sequuti sunt Dronk. Osann. Orell. [Bekker. Boettich. Rupert.].

C. Laelium. MSS. Neap. [et Farn.] *Caelium.* — edd. vett. *C. Lelium.* Satis infirmo argumento Schurzfleisch. colligit multa in dialogo excidisse. Nisi hi lateant, inquit, incorrupto c. 21. loco, nescio, ubi Aper eos incesserit, et verum adeo esse fateor, excidisse multa ex hoc dialogo. Sed in sermone familiari facile quis neglegentior est, nec accurate repetit, quae ab aliis exposita sunt.

destitit. Sic edd. Spir. Lips. et sqq. — Edd. Put. Ber. Riv. Alc. Rhen. Ald. *desistit*, quod Broterius et Dronk. revocarunt, item Rauchenstein. probavit, quia semel tantum Laelium et Galbam incesserit. Sit hoc verissimum, aptum tamen nihilominus quod vulgo scribitur *destitit.*

exigit. Heumann. hoc durius dictum putavit et *exigo* correxit; quo non opus esse bene docuit Schulzius. [Boetticherus mavult *exigunt;* Rupertius *id* excidisse post *destitit* vel *exigit* suspicatur.] — MS. Neap. *adulte* pro *adultae.*

XXVI. Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercle C. Gracchi inpetum aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. adeo melius est oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utun-

Cap. 26. *optimo.* MS. Neap. *opimo;* idem liber paulo post *hercle*, quod pro vulgato *Hercule* recipiendum duxi, utpote in familiari sermone usitatius. [Vid. Gernhard. ad Cic. Cat. mai. c. 3. et Goerenz. ad Legg. 2, 4, 8.]

C. Gracchi impetum, L. Crassi maturitatem. cf. Flor. 3, 15. *non minore impetu incaluit C. Gracchus.* Macrob. Saturn. 5, 1. *sunt praeterea stili dicendi duo, dispari moralitate diversi. Unus est maturus et gravis, qualis L. Crasso adsignatur: alter huic contrarius, ardens et erectus et infensus, quali usus Antonius.*

calamistros Maecenatis. Calamister s. *calamistra* s. *calamistrum* (his enim formis veteres utebantur auctore Charisio apud Meier. ad Cic. orat. c. 27. § 78.) est instrumentum ferreum, quo capillos urendo crispare solebant. Transferebatur id ad nimium orationis ornatum quaesitamque elegantiam, ut docuit Ernest. Lex. technol. h. v. Aptissime id adhibetur in Maecenatis genere dicendi designando. Is enim ut in vita cultuque elegantiae delicatulae studiosissimus erat eoque nomine in iustam plerorumque reprehensionem incurrit (vid. Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 2, 25. et Th. Schmid. ad Hor. Ep. Vol. I. p. 45.), ita stilo utebatur *remisso, molli et dissoluto*, ut apud Macrob. est Saturn. 2, 4. Cf. Meibom. Maecen. cap. 23. Spalding. et Burmann. ad Quint. Vol. III. p. 540. et Bernhardy hist. litter. Rom. p. 103. not. 184.

tinnitus Gallionis. Edd. Spir. Put. Riv. *Tinitus* — edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. omnes exhibent *tinnitus.* Ut apud Graecos *κώδωνες* i. e. *tintinnabula* appellatur figurarum ornatus importunus et iusto frequentior, ita *tinnuli oratores* commemorantur a Quintil. Inst. or. 2, 3, 9., *tinnulae sententiae* Senecae a Frontone p. 240. expl. Rom., eodemque *tinnitus* pertinent Gallionis. Duo rhetores Iunii Galliones fuerunt, pater et filius. Pater de arte rhetorica scripsit (cf. Spalding. ad Quint. Inst. or. 3, 1, 21. et Faber. ad Senec. Controv. 2, 4. p. 177.) et amicus fuit Senecae rhetoris. De tempore vide Ryckium ad Tacit. An. 15, 73. p. 278.

adeo melius est. Sic MSS. Neap. Vaticc. indeque edd. Broter. Oberl. Bip. Schulz. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. Boettich. Rupert.] — ed. Spir. *adeo melius in* — edd. Put. Riv. sqq. *adeo melius*, quod corrigendum videbatur Pichenae in *malim*, probantibus Bernegger. Gronov. Heumann. Ernest.

vel hirta toga. Compara Quint. Inst. or. 12, 10, 47. *do tempori, ne hirta toga sit; non serica: ne intonsum caput: non in gradus atque annulos comtum: cum eo quod, si non ad luxuriam ac libidinem referas, eadem speciosiora quoque sint, quae honestiora.*

temporum nostrorum actores. Haec Lipsius correxit e cod. Farn., quocum MS. Neap. facit, idemque confirmant MSS. Vaticc., qui corruptum *auctores* praebent. Corruptae

tur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant, cantari saltarique commentarios suos. unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores

erant edd. ante Lips. vulgatae: *ipsorum nostrorum actores.* Quo vocabulo immerito offensus Schultingius *rhetores* substituendum putabat.

levitate. Intellige sententias infirmas, pondere carentes. v. Spald. ad Quint. Inst. or. 10, 3, 21.

histrionales. Edd. Put. et Riv. *historionales.* Ceterum hoc vocab. praeter Tacitum veterum nemo usurpavit. vide An. 1, 16. et infra cap 29.

quodque. Ed. Spir. *quoque.* In sqq Muretus et Acidal. corrigebant *debebat*, probante Ernestio, sed vulgata scriptura *debeat* sanissima est.

laudis et gloriae. Synonyma, item iuncta cap. 41. *laus et gloria*; Hist. 4, 14. *a laude gloriaque* et apud Quint. Inst. or. 2, 16, 19. 8, 3, 11. Plin. Ep. 3, extr. Eodem modo infra coniunctum est *in publicum et in commune*; quod vero deinde dictum est *modestia ac pudore*, malim ad quartam ἓν διὰ δυοῖν figurae speciem referre, eumque intelligere pudorem, cuius causa in modestia posita est. cfr. An. 3, 26.

ingenii loco. Similiter apud Plin. Ep. 5, 14, 6. *et gloriae loco poni ex spoliis civium magnos et statos reditus*, id. Ep. 7, 23, 2. *quem ego parentis loco observo.*

cantari saltarique commentarios. Requirit Cicero de orat. 1, 28, 128. inter perfecti oratoris virtutes *vocem tragoedorum, gestus paene summorum actorum* (cf. Quint. Inst. or. 12, 5, 5.), sed idem severas proposuit leges, ne dicendi ars speciem aliquam prae se ferendo scenicam corrumperetur. vid. de orat. 1, 59. 3, 59. Brut. c. 88. et Quint. imprimis Inst. or. 1, 11, 3. 9, 3, 57. al. [cfr. A. Lange, Vindic. trag. Rom. p. 35. et in eius: *Vermischte Schriften* ed. a Iacobo p. 69.]. Nihilominus ita depravata erat ars illa, ut iam inepta declamatione orationes recitarentur et nimio rhythmorum studio pronuntiarentur. Cf. Cic. orat. c. 18, 57. *est autem in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus, paene canticum*; coll. Quint. Inst. or. 11, 3, 58. 9, 4, 142. *et quotidie magis lascivimus syntonorum modis saltitantes*, et id. 11, 3, 57. *sed quodcunque ex his vitium magis tulerim, quam, quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi: quod inutilius sit an foedius nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica et nonnunquam ebriorum aut comissantium licentiae similis?* Lucian. rhetor. praecept. c. 19. ἢν δέ ποτε καὶ ᾆσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα ᾀδέσθω, καὶ μέλος γινέσθω. κἂν ποτε ἀπορήσῃς πράγματος ᾠδικοῦ, τοὺς ἄνδρας τοὺς δικαστὰς ὀνομάσας ἐμμελῶς, πεπληρωκέναι οἴου τὴν ἁρμονίαν. τὸ δὲ οἴμοι τῶν κακῶν, πολλάκις· καὶ ὁ μηρὸς πατασσέσθω καὶ λαρύγγιζε καὶ ἐπιχρίμπτου τοῖς λεγομένοις καὶ βάδιζε μεταφέρων τὴν πυγήν.

praepostera. Edd. Put. Riv. *praeposteri.*

quibusdam. Emendatio ab Rhenano facta in omnes libros transmigravit; corrupta est autem codd. et vett. edd. scriptura: MS. Neap. *sicut his cta et*; [MS. Farn. t. Bekk. *sicut bis cta et*]; ed. Spir. *sicut*

nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negaverim, Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis. primus enim contemto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam, qui-

his clam et; edd Put. Riv. *sicut bis clam et;* edd. Ber. Alc. *sicut bis clam;* ex quibus corruptelis Orell. restituendum censuit: *frequens, sicut scitis, laus et exclam.*, ubi *laus* displicet, reliqua placent.

tenere. MSS. Neap. et Farn. (nam apud Lipsium est: libri omnes) et edd. antiquae exhibent *temere*, quod Woltmann. et Dronk. defendendum susceperunt eo, quod id *sine decore* significare contenderent. Mirum sane artificium Egregia est Lipsii emendatio *tenere*, [quod in Farnesiano esse videbatur Niebuhrio], quam omnes deinceps edd. receperunt. Recte quidem; nam *teneri saltatores* apud Cicer. in Pison. c. 36. sunt, et apud Quint. Inst. or. 11, 3, 23. exstant verba: *non enim tam molli teneraque voce, quam forti ac durabili opus est*, item Plin. Ep. 2, 14, 12. *pudet referre, quae quam fracta pronuntiatione dicantur, quibus quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt.*

si iis comparetur. MS. Neap. et ed. Orell. *iis* praebent, reliqui consentiunt in *his*, quod vel contra librorum auctoritatem emendavissem.

plus vis habeat quam sanguinis. Sic omnes libri verissime ad sententiam et ad verba; vires autem non defuisse Cassio Severo, verba docent sequentia: *ipsarum virium robore multum ceteros superat;* quare tu intellige Cassii violentiam, ex qua, ut in sqq. dictum est, *non pugnat, sed rixatur.* Sed plerosque genitivus *vis* offendebat, quem iuris consultis usitatum fuisse concedebant (cf. Schmid. Hypomnem. grammat. p. 131.), sed apud alios quoque usurpatum esse docuerunt Voss. Aristarch. de anal. I. c 48. Schneider *Formenl. der lat. Spr.* p. 466. et Orell. in Addend. p. LXVIII. Qua ratione qui non commoti sunt, emendando integritatem loci restituere conabantur; I. Fr. Gronov. coniecit *plus irae*, id quod de Cassio diceretur recte, sed vix componi posset cum *sanguinis*; Schurzfleisch. maluit *plus puris*: *pus* enim cum significet sanguinem corruptum, aptissime transferri posse opinatus est ad hominem indicandum rixosum, prae ceteris mordacitate et amaritudine linguae insignem. Adsentiuntur ei Schulz. Bipont. Woltmann. et Weikert. Wopkensius proposuit *plus bilis*, in quod Drueck. quoque in opuscul. minor. T. II. p. 30. et Baden. in Friedemann. et Seebod miscell. crit. Vol. I. fasc. 3. p. 590. [et in Iahnii I. *Neues Archiv f. Phil. u. Paedag.* Vol. I. fasc. 3. p. 411. coll. Quint. Inst. or. 10, 1, 117. *plus stomacho quam consilio dedit.*] inciderunt. Lünemannus *plus viri* emendavit, quod de acerbitate dici posse nemo negavit; Hofmann. Peerlkamp. denique *plus fellis* scripsit.

primus enim contemto ordine rerum. MS. Neap. *prius enim contento o. r.* [idem in cod. Farn.] — edd. antiquae ad Rhenanum usque: *Primus enim contexto o. r.;* ab Rhenano emendatum est, quod nunc editur ab omnibus.

bus utitur, armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat, sed rixatur. ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus, et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat: quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem exspectabam, ut incusato Asinio et Coelio et Calvo aliud no-

utitur. Et haec emendatio ab eodem profecta est Rhenano pro edd. vett. corruptela *utimur*, eaque comprobata MS. Neap. testimonio.

studio feriendi plerumque deiectus. MSS. Neap. [et Farn.] *devectus.* Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. et nuper Ernest. Oberl. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. Boettich. Rupert.] dant *deiectus*, quod noli cum Ernestio explicare: in turpitudinem aliquam incidebat, cum rixaretur, quod sordidum ac plebeium est, non pugnaret. Est potius translatum e re gladiatoria; gladiatorum enim in statu vel gradu consistentium (cf. Ernest. Clav. Cic. vv. *gradus* et *status*) erat, statum suum tenere, adversarium de suo demovere vel deiicere; quod ut efficerent, feriendi studio abstinebant, se defendisse contra adversariorum ictus contenti. Id aptissime convenire in oratorem, qui nimia sua acerbitate adversarii vim auget, nemo est quin intelligat. Quapropter malui perseverare in antiquitus tradita scriptura prae Lipsii emendatione, quam ex cod. Romano se hausisse profitetur, *detectus*, in qua acquieverunt Pichena, Bernegger. Gronov. Schurzfleisch. Heumann. Schulz Latus tegebant gladiatores; qui vero nudos sese dederunt, detegebant se. Et confirmatur ea scriptura Quint. locis nonnullis similibus, ut Inst. or. 9, 1, 20. *namque ut in armorum certamine adversus ictus et rectas ac simplices manus cum videre tum etiam cavere ac propulsare facile est; aversae tectaeque minus sunt observabiles; et aliud ostendisse quam petas artis est: sic oratio, quae astu caret, pondere modo et impulsu proeliatur* etc. ibid. 1. prooem. § 24. *nam plerumque nudae illae artes...... omnem succum ingenii bibunt et ossa detegunt.* Ineptum est ed. Bip. commentum *defectus.* Ceterum restitui edd. vett. et MSS. Neap. [et Farn.] scripturam *studiis*, cuius loco *studio* ex Rhenani emendatione deinceps in omnibus libris vulgatum erat.

pugnat. Edd. Put. Riv. *pugnăt.* — Paulo post in MS. Neap. desideratur vox *comparatus*; et deinde edd. quae ante Rhenanum prodierunt *ex* praeposit. habent, quod in *et* Rhenan. correxit. Sub finem denique enuntiati MS. Neap. et ed. Spir. praebent *substinuit* pro *sustinuit.*

incusato Asinio. Praeclaram Lipsii emendationem confirmavit MS. Neap.; in ed. Spir. est *in curato Asinio*; in edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Bruto Asinio*, unde Pithoei nata est coniectura: *incusato Bruto, Asinio*, cui librorum auctoritas adversatur.

aliud nobis agmen. Sic est in omnibus libris, sed Lipsius e coniectura, ut ipse profitetur, *aliud novum agmen* restituit, quod Seebod. nuper et Orellius in contextu posuerunt. Explicuit Orell. sic: aliud agmen recentiorum, quos tamen nemo alius magnos ducit oratores, adeo ut merito *novum* nobisque adhuc ignotum dici queat?,

bis agmen produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc detractasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune: veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se non quidem ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum?

quae explicatio quaesitior est quam verior.

plurisque. Sic scripsi propter MSS. Neap. [et Farn.] itemque edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. in *plerisque* consensum, praeeunte Rhenano et sqq.

demum. Sic edd. omnes, sed in MSS. Neap. [et Farn.] est *deinde*, crebra permutatione cf. Heindorf. ad Cic. de nat. deor. 1, 37, 103. *Demum* Schulzius animadvertit pro *denique* sensu collectivo positum esse apud argenteae latinitatis scriptores; quod probandum erat. Malim propter sqq. *laudare ausus est, nisi in publicum et in commune* vertere per nostratium *gerade*, ut confirmandi vim habeat particula. [Sic Hand. quoque Tursellin. Vol. II. p. 260., cuius verba adpono: *demum* intelligi debet sensu confirmativo, quem supra p. 257. exposui. *Unter denen wir einen dem Cicero, einen andern dem Caesar, einzelne grade einzelnen entgegenstellen könnten.*]

nunc detractasse. MSS. Neap. [Farn.] edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent *non*, quod Rhenanus correxit in *nunc*. Ex eisdem libris praeter Alc. Rhen. et reliquis *detractasse* scribendum curavi, ut alibi iam factum est.

in commune. MS. Neap. [itemque cod. Farn.] *in omne;* est autem illud proverbiale dicendi genus, haud raro significatione dictionis *in universum* usurpatum, velut Germ. c. 27. *haec in commune de Germanorum origine;* An. 15, 12. *his atque talibus in commune alacres iter properabant.*

veritus. Sic post Lipsium omnes, MSS. Neap. [et Farn.] edd. antiquae praebent *veritum*, quod ferri nequit.

excerpsisset. MS. Neap. *excerpisset*, quo aliquatenus Pithoei coniectura *excepisset* firmari posset. Sed eodem significatu *excerpere* dici interpretes exemplis adlatis docuerunt.

hac sua persuasione. Mallem, Schurzfleischius inquit, τὸ *sua* abesset, saltim *suavi* legeretur; hoc suscepit Heumannus. Utrumque vero temerarium.

ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum. Gabinianus rhetor fuit Vespasiani aevo, de quo Eusebii chronicon ad Vespas. annum 8.: *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.* Nominant et Hieronymus et Suetonii index de claris rhetoribus, in quo *Sext. Iul. Gabinianus* vocatur. Haec Lipsius. Egregie loci sententiam explicuit Orellius, quem sequor. „adeo arrogantes sunt scholastici nostri, ut, antiquos oratores quum despiciant recentioresque iis anteponant, eorum quisque se ante Ciceronem numeret (id est, meliorem se credat Cicerone), minorem aliquanto Gabiniano, clarissimo eius temporis

XXVII. At ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis adpareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

Adpropera, inquit Maternus, et potius exsolve promissum. neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae tem-

rhetore, plane (i. e. prorsus) tamen huic vicinum." Ita iam illius viri sagacitate funditus deleta sunt priorum commenta, quae referre nunc taedet. Schurzfleich. sic verba constituit: *ut, si ante Ciceronem non numeret se, at* (vel *tamen* potius, quia *τὸ at* sequitur) *plane post Gabinianum;* Oberlin. edidit: *ut se non quidem ante Ciceronem numeret;* Seebodius in edit. altera: *ut se ante Ciceronem ni numeret;* Dronk.: *ut se ante Ciceronem non numeret.*

Cap. 27. *fracta.* MSS. Neap. [item Farn.] et ed. Spir. habent *freta*, quod Puteolanus correxit in *fracta*. — Pro *deminuta*, quod in edd. Spir. Lips. et postea omnibus exstat, edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *diminuta* exhibent, qua de varietate cf. not. ad An. 1, 14. et 13, 50.

Adpropera. MS. Neap. *appara te*, sed priori voculae suprascriptum est *a parte* — [MS. Farn. *appara te*] — ed. Spir. *Appropera te;* edd. Put. et sqq. *appropera*, in quo acquiescendum est. — Deinde pro *potius* Acidal. et Heumannus, probante Orellio, maluerunt *ocius*, sed aptius vulgata scriptura, quam si retinemus, monet Maternus Messallam, ne iterum a proposita quaestione recedat antiquos cum recentioribus oratoribus comparaturus.

equidem. Sic MS. Farn. et edd. usque ad Ernestium omnes; is vero, latinitate, ut ipsi persuasum erat, postulante, correxit *quidem*, quod Schulz. Oberl. Seebod. Orell. [Bekker. et Boettich.] receperunt. Festinantius illi; nam quanquam *equidem* cum alia ac prima singularis numeri persona iunctum prorsus damnabant apud Ciceronem inprimis Ernest. in Clav. Cic. h. v. Heusinger. ad Cic. Off. 1, 12, 1. Garaton. ad Cic. or. pro Milon. c. 2. et alii apud Kritz. ad Sallust. Catil. c. 51, 20. p. 248. (non 218., ut apud Orell. scriptum est), bene tamen idem Kritz. l. l. [et Beneck. ad Iustin. 39, 3, 8.] animadverterunt, particulam integrae enuntiationis vicem sustinere, nulla proximi verbi personae ratione habita, et significare: mea quidem sententia, vel: ut ego quidem arbitror. Sic apud Persium sat. 1, 110. *per me equidem sint omnia protinus alba*, atque apud alios, de quibus cf. Passov. ad Pers. Vol. I. p. 340. Ramshorn. Lat. Gr. § 191. p. 597. 598. [Hand. Tursell. Vol. II. p. 430.] — Pro *in confesso* in ed. Iunt. *in confessu* expressum est.

paulo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non iratus. Quod h. l. libri antiqui praebent, aperte corruptum est. MS. Neap. *paulo ante plane mitiore eloquentia et temporum nostrorum miratus iratus*, idemque legitur in edd. vett. ante Rhenanum. Rhenanus, Aldo obsequente, *iratus* delevit, quod Lipsio teste in Farn. quoque cod.

porum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet, maiores tuos lacessendo.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri disceptatione; nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringit: cum sciatis, hanc esse eiusmodi sermonum

abest. Lipsius ex libro quodam (quem hodie nescimus) *dixisti* interposuit Rhenani coniecturae, idque posteriores retinuerunt usque ad Heumannum. Sed ne haec quidem sufficiebant, et iure quidem. Coniiciebat igitur Acidal.: *paullo ante dixisti, sane mitiore eloquentia et temporum nostrorum* (sc. eloquentiam) *imitatus*, non *miratus*, ut rettulit Broterius; Schulting.: *quas te solitum tractare publice, antiquo plane more, et eloquentia non temporum nostrorum, sum miratus* etc.; I. Fr. Gronov. pro *miratus* corrigebat *narrabas*; Schurzfleisch.: *sed caussas exquirimus, quas ais te solitum tractare. Paullum enim te anteponere nitorem eloquentiae temporum nostrorum sum ratus, antequam te Aper offenderet*; Broterius, qui e MSS. Vaticc. *iratus* notavit, malebat: *plane mitiore eloquentia et temporum nostrorum, iratus antequam te Aper* etc.; Seebod. ed. pr.: *paulo ante mitior et el. t. n. non* (vel *minime* propter librr. in *miratus* consensum) *iratus narrasti*, et in ed. altera: *paulo ante mitior et el. t. n. non iratus narrabas*; Schneider. Observatt. p. 11.: *plane mitiori eloquentiae temporum nostrorum minatus*, quorum verborum hanc sententiam esse vult: minatus nostrae eloquentiae, quae est ex Apri sententia tum dulcis minimeque aspera; Raucheustein.: *miti oratione eloquentiam temporum nostrorum criminatus*. Equidem cum Heumann. Schulz. Oberl. Seebod. ed. pr. Dronk. Osann. Orell. [et edd. recentt.] retinui Schelii emendationem reliquis omnibus praestantiorem: *plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non iratus*.

lacessendo. Heumann. coniecit *incessendo*, in quod iam Schulting. inciderat, quia idem vocabulum legatur cap. 24. et 40.; adprobavit id Orell. miram proferens ratiunculam: mortuos *incessere* potes, *lacessere* non potes. Sed utrumque et de vivis et de mortuis vituperatis usurpari potest.

Apri nostri disceptatione. In MSS. Farn. Neap. et Vatt. itemque in edd. antiquis *a prima* scriptum est, quod Dronk. Osann. et Orell. (sed hic non sine addita corruptelae nota) revocarunt. Pro eo Lipsius emendavit *Aprina*, quod Pichena, Bernegg. Gronov. et al. receperunt; quo quidem melius et ad antiquam lectionem adcommodatius I. Fr. Gronov. correxit *Apri nostri*, eo quoque firmatum, quod capp. 14. et 26. *Aper noster* dictum est. Schurzfleisch. malèbat *Apri mei*, quod Heumannus recepit [et nuper Rupert., quia amici, quanquam dissentientis, affectui magis congruere videtur]. *Apri* praeferebat Orellius, quia *a pri* distractum explicari potuerit *a prima*. Nobiscum Bip. Schulz. Oberl. al. consentiunt. — *disceptatione* exhibent MSS. Neap. [et Farn.], unde recepimus pro vulgata *disputatione*; utrumque tamen vocabulum in hac re aptum est.

nec vos. MSS. Neap. [et Farn.] *nam nec vos* — ed. Spir. *nam et vos* — edd. Put. sqq. *nec vos*.

perstringit. MS. Neap. [item cod. Farn.] et edd. antiquae exhibent *perstringit*, quod ob ipsam libro-

legem, iudicium animi citra damnum adfectus proferre.

Perge, inquit Maternus, et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.

XXVIII. Et Messalla, Non reconditas, Materne, causas requiris: nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes adsignatis profe-

rum auctoritatem restituendum censuerunt Dronk. et Osann. Lipsius ex latini sermonis praeceptis praeferebat futurum tempus *perstringet*, eumque deinceps omnes sequuti sunt. [Sed falso, quanquam illa mutatio facillima est omninoque constat, librarios, ubi duo futura se excipiant, saepe peccasse, nihil tamen mutandum est, ut contra Goerenz inprimis ad Cic. Legg. 1, 14, 41. ad Acad. 1, 17, 26. et in Iahnii Annalib. philolog. et paedag. a. 1826. I, 2. p. 312. Huschk. ad Tibull. 1, 4, 65. p. 131. docuerunt Ochsner. ad Cic. eclog p. 211. et Ellendt. de formis enunciat. condition. p 20. et ad Cic. Brut. p. 135. Cort. ad Plin. Ep. 2, 9, 6. et ad Lucan. 1, 317. 2, 259.].

citra damnum. In ed. Pithoeanae repetitione Heidelbergensi typothetae errore *demum* expressum est, quae sane lectio, inquit Schurzfleisch., melior est quam vulgata; eique innixus ed. Bipont. egregiam correctionem effinxit *dementiam*. Sana sunt omnia. *Citra* pro *sine*, *praeter* argentea latinitatis aetate saepius usurpatum esse, Frotscher. ad Quint. 10, 7, 7. docuit [et Hand. Tursell. Vol. II. p. 83. sqq.]; *citra damnum* est sine damno, ita, ut nullum damnum amicitiae inde oriatur.

et cum. Hae particulae desunt in edd. antiquis et Lips. prima; in posterioribus edd. e scripto libro, Farnesiano, Lips. eas interseruit, ex quo in edd. tantum non omnibus comparent. Recte, profert eas MS. Neap. Sed Faernus, Ursino teste, legendum censebat: *perge, inquit Maternus, de antiquis loquens;* Pithoeus *utere* omisit et *antiqua libertate* coniunxit cum *loquaris;* Schurzfleisch. solito ed. Gryphian. errore *vetere* pro *utere* deceptus verba sic constituit: *perge, i. M., de antiquis loquere vetere et antiqua libertate, a qua heu magis degeneravimus, quam ab eloquentia.* — Ed. Spir. *libertate* exhibet, non *ubertate*, quod Dronk. prodidit.

a qua. Praepositionem *a* in codd. Neap. [Farn.] Vaticc. et edd. vett. omnibus omissam Pithoeus, Lipsius, Freinshem. et sqq. addiderunt, usu latini sermonis postulante. Semper enim *degenerare ab aliquo ad aliquid* dicitur, et posterioris demum aetatis poetae dativo usi sunt. vid. Brouckhus. ad Propert. 4, 1, 81. — Lipsii edd. *degeneraverimus* exhibent.

Cap. 28. *Materne.* MS. Neap. *Matorne*, ut supra.

etiamsi mihi. MSS. Farn. teste Lipsio et Neap. *etenim iam si mihi* — edd. antiquae ante Lipsium *et iam mihi*, in quo Pithoeus quoque perseveravit, quodque Dronk. Osann. [et Rupert.] nuper restituerunt. *Iam* particula non solum transitum facit, sed novi quid adiungit idemque significat quod alias *porro*, *praeterea*. Cf. Spalding. ad Quint. Vol. IV. p. 511., qui auctorem eius significationis Drakenb. ad Liv. 3, 34, 8. adtulit.

rendi in medium, quae omnes sentimus. quis enim ignorat, et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuventutis et negligentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant: quanquam nostra nobis notiora sunt.

Sed recedit id ab codd. scriptura, cui, si quidem reputamus, *iam* a librariis corrupto *enim* suprascriptum ac deinde in verborum contextum translatum fuisse, aptior est Lipsii emendatio *etiamsi mihi*, quam Pichena, Gronov. Bernegger. et recentiorum plerique probaverunt. Neque tamen contenti fuerunt Rutgers., qui *tamen etsi* restituere malebat, Seebod, in cuius editione altera *etenim mihi partes* cet. scriptum est, et Orell., qui *etenim iam scilicet* suspicatur corrigendum esse, ut „per ironiam queratur Messalla tribui sibi partes proferendi locum communem omnibus sat notum."

sentimus. Edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. hanc vocem omittunt, sed est ea in ed. Spir. (*sētim9*) et haud dubie in cod. Farn., ex quo Lipsius eam restituisse videtur.

ab illa vetere gloria. Sic e cod. Neap. recepimus id, in quod coniectura Muretus inciderat, Pithoeo, Schurzfleisch. Heumann. et Orell. probantibus. In edd reliquis *ab ista vet. glor.* legitur. [Confudit haec Rupertius.]

inopia hominum. Cf. Quint. Inst. or. 1, 1. pr.: *falsa enim est querela, paucissimis hominibus vim percipiendi, quae tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere.*

inscientia praecipientium. Id pro *inscitia praeceptorum* dictum esse Schurzfleisch. opinatur, satis illa aetate vulgato errore deceptus, quo *inscientia* sine genitivo obiecti non ferendam esse contendebant viri docti, ideoque vocabulum illud e Ciceronis, Caesaris, Livii al. scriptis sustulerunt. Exagitaverunt eos post I. Fr. Gronov. ad Liv. 22, 25, 12. plurimi, nemo melius quam Gernhard. excurs ad Cicer. Paradox. p. 298. [coll. Herzog. ad Caes. B. G. 3, 9.] — *praecipientium* pro *praeceptorum* usurpari, ut vitetur ἀμφιβολία, idem Schurzfleisch. censuit; at vero nostro scriptori frequentatur usus participiorum pro substantivis, id quod ad cap. 6. docuimus. *praecipere* significat praecepta dare, docere, ut Spalding. ad Quint. Inst. or. 12, 2, 7. ostendit. De re vide eundem 12, 12, 14.: *sed culpa est in praeceptoribus prima, qui libenter detinent quos occupaverunt, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit quod pollicentur, partim etiam inscientia tradendi vel negligentia;* et ibid. 1, 1, 2. *manifestum est, non naturam defecisse, sed curam*

oblivione moris antiqui. Nil mirum, corruptae eloquentiae causam ab hoc scriptore in moris antiqui oblivione positam esse, cuius in laudibus extollendis Tacitus saepius commoratus est, ut An. 14, 12. Hist. 1, 4, 2, 64.

in provincias. MSS. Neap. [Farn.] om. praepositionem *in* a praecedenti voc. *iam* oblitteratam.

nostra nobis. [MS. Farn. *vestra nobis.*] — Edd. Spir. Put. Riv. [et nuperrime I. Bekker.] *vestra vobis* — MSS. Vaticc. edd. Ber. Alc. *nostra vobis* — Rhenanus

Ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur: si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Iam primum suus cuique filius ex casta parente natus non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur; cuius praecipua laus erat, tueri domum et inservire liberis. eligebatur autem maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur,

emendavit *nostra nobis*, id quod ab omnibus probatum est. Sigraesius malebat: *Quoniam n. n. notiora sunt*, *ego* etc., verborum distinctione mutata, quod Lamallio et Orellio non displicuit.

ego de urbe. Acidal. *ergo* coniecit idque verum esse persuasit Heumanno, Schulzio et Oberlin., sed omnes libri editi itemque cod. Neap. praebent *ego*, quo aptissime scriptor usus est. — Pro *his propriis* Huetius suadebat *huic propriis*, quae satis levis est correctio. — Deinde ed. Put. *notos* habet pro *natos*.

cumulantur. Structura rectior videbatur Schurzfleisch., si *comitantur* scriberetur, idque arripuit Orell., quia tum in eadem orationis figura scriptor perseverat. At nil impedit quo minus vulg. scripturam servemus, per singulos enim aetatis gradus vitia augentur, crescunt. — In ed. Put. *pirus* est pro *prius*.

de severitate ac disciplina. In MS. Neap. et ed. Spir. *a severit.* exstat. Pertinent haec ad alteram figurae ἓν διὰ δυοῖν speciem, ubi alterum substantivum genitivi partes sustinet. cf. de Germ. c. 25, 3. *disciplina et severitate*; Hirt. bell. Alexandr. c. 48. *militarem disciplinam et severitatem*, quibuscum locis si alterum dialogi locum cap. 29. *severitate disciplinae* contuleris, nulla dubitatio supererit.

formandosque. Edd. antiquae omnes, Spir. quoque, dant *firmandos*, quod Lips. primus correxit in *formandos*, estque ita in MS. Neap. Saepius permutantur *firmare* et *formare* vid. Schaefer. Ind. Livian. v. *formare*.

primum. Hoc a Rhenano emendatum est, quem omnes sequuntur; — in MS. Neap. et in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *pridem* scriptum est. — Deinde ed. Spir. exhibet vitiosum *sui cuique filius* et in ed. Ald. pro *casta* expressum est *castra*. — Pro *in cella* denique, quod post Puteolanum ab omnibus vulgatum est, MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. praebent *in cellam*. De re conf. Tacit. Germ. c. 20. *sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur*; Agric. c. 4. *mater Iulia Procilla fuit*, *rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit.*

maior aliqua natu. Verborum transpositionem MS. Neap. suasit, [eademque ex Farn. cod. a Bekker. et Boettich. instituta est]. Libri typis expressi omnes habent *aliqua maior natu*.

eiusdem familiae. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., ex quibus Broter. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [et recentissimi] eam scripturam receperunt. In edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *cuiusdam fam.*

coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Attiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim

editum erat, quod Rhenanus in *cuiuspiam fam.* correxit, idque in omnibus deinceps edd. servatum est.

coram qua etc. Elegans est Hofmann. Peerlkamp. coniectura: *coram qua neque dicere fas erat, quod turpe factu, neque facere quod inhonestum dictu videretur,* sed nolim eam putari necessariam, quanquam *facere* et *dicere* eo modo coniuncta saepius leguntur. [Frequenti permutatione in cod. Farn. *discere* est pro *dicere.*]

ac non studia modo curasque. Sic MSS. Farn. Neap. et Vaticc. itemque ed. Spir., deinde Lips. et sqq. *Curae* saepius dicuntur pro studiis cum cura susceptis et serio transactis, ut apud Quint. Inst. or. 10, 7, 29. Plin. Ep. 2, 11. 8, 23. al. Depravata est vero scriptura in edd. Put. Riv. Ber., in quibus *ac n. studia m. morasque* invenimus, nec minus in edd. Alc. Rhen. Ald. Pith. et Lipsianis nonnullis, quae *ac n. studia m. moresque* praebent. Sed horum nihil Schurzfleisch. satis placuit, qui *haec non studia musasque solas* coniecit. *Haec*, quod apud Schurzfleisch. est, ex Mureti emendatione, quam Acidal. et Heumann. probarunt, profectum est.

Corneliam Gracchorum. Una ed. Spir. *grecorum* exhibet. Est Scipio Africani maioris filia, Ti. Sempronii Gracchi uxor et Tiber. et Caii Sempron. Gracchorum mater, ab antiquis scriptoribus (Cic. Brut. c. 27, 58. Quint. Inst. or. 1, 1, 6.) maxime celebrata. Eius epistolarum fragmenta circumferuntur in fragm. Corn. Nepotis Vol. II. p. 372. sq. ed. Bardil., quae subdititia esse luce clarius A. Langius ostendit in Silvulis Portensibus in Beck. Act. sem. reg. philol. Lips. Vol. II. P. I. p. 177. [quae repetitae sunt in Langii Miscellan. ed. Iacob. p. 108.].

Aureliam. Fuit C. Iulii Caesaris praetoris uxor et C. Iulii Caesaris dictatoris mater. cf. Sueton. Caes. c. 74. Plutarch. Caes. c. 9.

Attiam. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Pith. *Acciam* — edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Actiam* — edd. Lips. et sqq. *Attiam* — Ernest. et ii, qui Ernest. sequi solent, *Atiam.* Praetulimus formam *Attiam*, quam in *Attii* poetae nomine praestantiorem esse supra docuimus ad cap. 20. Torrentius iam ad Sueton. Aug. c. 4., ubi *Atia* edidit, „non moleste feram T geminari" censuit. M Attio Balbo et Iulia sorore C. Caesaris genita est.

sincera et integra. Tacit. Hist. 4, 64. *sincerus et integer et servitutis oblitus populus.*

et nullis pravitatibus. MSS. Neap. [Farn.] et edd. antiquae *et in nullis prav.*, quod Rhenan. correxit. Deinde in MS. Neap. *artis* pro *artes*, *ad at rem* pro *ad rem* exstat.

pectore adriperet artes honestas, et, sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret.

XXIX. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio adcommodatus. horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur: nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut dicat aut faciat: quin etiam ipsi parentes nec probitati

Cap. 29. *delegatur*. Primarius huius vocabuli usus in re pecuniaria est, ubi usurpatur de emptore, qui venditorem ad alium remittit, a quo solvatur pecunia (cf. I. Fr. Gronov. Observatt. 1, 20. p. 159. [p. 86. Frotsch.] et Ernest. Clav. Cic. h. v.). Inde transfertur ad quodcunque onus, ad quemcunque laborem, quem alteri sustinendum tradimus. Sic in simili loco Germ. c. 20., quem ad cap. anteced. adscripsimus: *nec ancillis ac nutricibus delegantur*; Plin. Ep. 10, 10, 1. *delegato officio vacare* al. Vide Herzog. ad Caes. B. G. 8, 22. et Parei lex. crit. h. v. *Graeculae* per contemtum dictum est, ut saepius. vide not. ad cap. 3. extr.

vilissimus. Sic edd. Put. Riv. Alc. Rhen. sqq. — in ed. Spir. *vilissĩos* est, et Beroald. ed. corruptum *utilissimus* exhibet.

ministerio. Emendationem Lipsii a posterioribus omnibus probatam MS. Neap. confirmavit; is vero antiquarum edd. errorem *minister* sustulit. Sed nimiam huic corruptelae fidem Schurzfleisch. tribuit, qui novam emendandi rationem proponit, ut *accommodatur* corrigatur et *serio minister* per Hyphen intelligatur coniunctum, veluti apud Virgil. Aen. 1, 198. *ante malorum*, Cic. de fin. 4, 14, 36. *non corpus*, alia apud Gerlach. Salust. Vol. III. p. 55.

erroribus. MS. Neap. praebet *erroribus et viles* et extremis verbis supra est scriptum *at viros*. [MS. Farn. *erroribus et viles*, sed Bekkero teste suprascriptum est *alii vires*. Quam scripturam si non corruptam putare volumus, coniicias fortasse emendandum esse *erroribus et vitiis*, ut ita *errores* non sint peccata et vitia, id quod Dronkio placuit, sed prava iudicia et opiniones temere captae, ut Schulz. explicuit.] Schurzfleisch. *terroribus* malebat, ut sententia esset, blanditias (quae *fabulis* designarentur) aeque ac terrores teneris infantium animis nocere. Tale artificium in Romanorum disciplina ab servis unquam adhibitum esse ut concedamus, quanquam id neutiquam ex scriptorum testimoniis ab illo citatis constat, tamen ea sententia huic l. ideo non convenit, quod scriptor iuventutem servorum et ancillarum consortio depravatam indicare vult.

quin etiam. Ita MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., deinde edd. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekker. Boettich.]; reliqui libri consentiunt in *quando etiam*, [quod a Rupert. revocatum est].

nec probitati neque modestiae. cf. Germ. c. 9. Particulas *nec* et *neque* eadem ratione sibi iunctas crediderim, qua apud Graecos lenius illud *οὔτε* et fortius hoc *οὐδέ*. cf. Reisig. ad Sophocl. Oed. Col.

neque modestiae parvulos adsuefaciunt, sed lasciviae et vivacitati; per quae paulatim impudentia inrepit et sui alienique contemtus. Iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia: quibus occupatus et obsessus animus quantulum

805. Dissen. ad Pindar. Pyth. 8, 63.

lasciviae et vivacitati. MSS. Neap. et Farn. teste Lipsio *bibacitati* exhibent; quam quidem lectionem Rutgers. Var. Lect. 5, 12. commendavit eo, quod *vivacitati* inde coniecit. Recte, nam etsi id vocabulum in malam partem plerumque non accipiatur et de corporis et animi alacritate usurpetur, tamen ipsum illud additum *lasciviae* vituperationis notam continet, modo verba per fig. ἓν διὰ δυοῖν explicemus, ut lasciva animi alacritas intelligatur. Alii malunt librorum manu scriptorum lectionem *bibacitati* servare, ut pueros Veneri pariter atque Baccho deditos esse scriptor narret, quod nimis quaesitum est. Edd. antiquae, dein Lips. Pith. Bernegger. Gronov. *libertati* exhibent idque defendere studuit I. Fr. Gronov. Observatt. 3, 4. p. 458. [p. 226. Frotsch.], qui *libertatem* in vitio positam esse probare vult ex Cicer. pro Coel c. 18. *quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim probrosa luxuries*, ubi *nimia* vitio vertitur, non ipsa *libertas*, nec quidquam efficitur locis Ovid. Metam. 1, 757. Terent. Eunuch. 3, 1, 40. Gronovii tamen partes sequuntur Seebod. Dronk. Osann. Orell. Rauchenstein.[Rupert.], itemque Schneider., qui Observatt. p. 12. *lasciviam et libertatem* dictum esse contendit pro lasciva libertate aut lasciviae libertate. Alii alia tentarunt. Schurzfleisch. volebat *licentiae* reponere; Oudendorp. ad Suet. Claud. c. 38. malebat *loquacitati*; Bipont. denique *dicacitati*, quod Schulz. Oberlin. [Bekker. et Boetticher.] reposuerunt. Non male, si auctore Quint. Inst. or. 6, 3, 21. dicacitatem intelligimus sermonem cum risu alios incessentem, et Siculis vitio dari cogitamus, quod *lascivi et dicaces* sint. Vide Quint. l. l. 6, 3, 41. Sed ne dicacitatem quidem veteres reprehendebant, dummodo non esset sordida ac scurrilis. cf. Cic. de orat. 2, 54.

inrepit. Edd. Put. Riv. *increpit.*

sui alienique contemtus. Sic MSS. Farn. et Neap., nisi quod *contemptus* ibi scriptum est. Edd. Spir. Put. Riv. *sui contentus;* ed. Ber. *sui comptentus;* edd. Alc. Rhen. Ald. *sui contemptus.* Lacunam egregie codicis ope completam reduxerunt Dronk. et Osann. sine idonea causa; nam quam Heumannus movit difficultatem in usu vocabuli *alieni*, pro quo *aliorum* corrigendum esse censet, ea nulla est. Cf. Sallust. Cat. c. 5. *alieni appetens, sui profusus. Alieni*, Orell. inquit, complectitur aliorum et personas et res.

iam vero. MS. Neap. edd. Lips. et sqq. ita exhibent pro corruptela antiquarum edd. *ideo vero*, quam solus Osann. reducere ausus est. Paulo post Freinshem. ad Flor. 3, 12, 10. post *vitia* pronom. relat. *quae* addere malebat, quo non opus est

histrionalis favor. Ed. Spir. *historialis*, ut cap. 26. Quae sint *studia* I. Fr. Gronov. dixit in Observatt. 4, 19. p. 308. [p. 492 ed. Frotsch.]. Cogitandum est de spectatorum factionibus alicui aurigarum factioni faventibus, de quibus videndus est Boettiger. Sabina

loci bonis artibus relinquit? quotum quemque inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? nec praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent. conligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et inlecebris adulationis. transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus cognoscen-

p. 448 —450. ed. pr. et qui citantur a Rupert. ad Iuvenal. 7, 114.

relinquit. MSS. Neap. [Farn.] *relinquitur.* cf. Quint. Inst. or. 12, 1, 7. *nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens.*

quotum quemque inveneris. Ed. Spir. *tum quenque ĩveneis;* MS. Neap. *invenies.* — Deinde edd. Spir. Ber. Alc. *loquatur*, lineola super *a* ponenda omissa.

auditoria intravimus. Cf. Spalding. ad Quint. Inst. or. 5, 12, 20. Pro *intravimus* Schelius *intramus* scribi volebat, id quod Heumann. suscepit, aut antea *excepimus*. Neutro egemus.

nec praeceptores quidem. Sic MSS. Neap. et Vaticc. et edd. antiquae, deinde Lips. Pith. Bernegger. et inter recentissimos Seebod. Dronk. Osann. [et Rupert.]. Perperam haud raro harum particularum copulationem ab interpr. deletam esse, vidimus supra ad cap. 10. et al. Ita h. l. Gronov. corrigere volebat *ne pr. quidem* eiusque auctoritatem posteriores omnes sequuti sunt.

ingenii experimento. Scriptoris mentem Schulz. non adsequutus est, si explicat: „ut experimentis explorent ingenia puerorum, segnesque et stupidos a se studiisque relegent", quod factum esse a rhetoribus Quintilianus comprobavit Inst. or. 1, 2, 14. et 23.; sed intelligenda sunt ingenii exempla, documenta, quibus ipsi praeceptores ingenii sollertiam ac doctrinae copiam contestati sunt.

ambitione salutationum. Sic MS. Neap. [itemque Farn. cod.]; nam cum ipsi praeceptores cogitandi sint salutantes, neque aliorum ope discipuli acquirantur, nulla dubitatio de codd. scriptura, quam coniectura reperit Acidal., quamque Schel. Schulting. Heumann. Schulz. Oberlin. Orell. receperunt, esse potest. Et membrorum concinnitas vel sine librorum auctoritate emendationem flagitasset. Nihilominus Dronk. et Osann. cum Seebod. edd. vett. scripturam *salutantium* restituerunt.

et inlecebris. Id post Lips. in omnibus comparuit edd., Lipsius vero ex libri sui auctoritate (nam in Neap. quoque cod. *et* exstat) sustulit edd. vett. errorem *sed illecebris.*

elaboratur. MS. Neap. *laboratur*, [male. vid. Doederlein. Lat. Synon. u. Etymol. Vol. I. p. 116.]

nec in evolvenda ant. Praepositionem tenent MS. Neap. et edd. omnes praeter Schulz. Oberl. et Bekker., in quibus negligentia typothetae ea excidisse videtur.

in notitia. MS. Neap. et edd. antiquae usque ad Pichenam praebent *in notitiam*, Pichena emendavit *notitia*, quia in ceteris quoque no-

dis nec in evolvenda antiquitate nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur.

XXX. Sed expetuntur, quos rhetoras vocant: quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam necesse est

minibus eadem structura usurpata est. Sed veterem lectionem Dronk. Osann. et Orell. revocarunt, quia, ut Dronk. inquit, diversi casus etiam ab aliis scriptoribus copulantur. Sed loci, ad quos vir doctus provocavit, ad aliud dicendi genus pertinent, ubi nomina diversam adsciscunt structuram; at vero, ubi casus diversi eidem praepositioni eidemque verbo coniuncta sint, tales locos nec protulit nec proferet, spero, unquam.

insumitur. MSS. Neap. [et Farn.] *insumere.*

Cap. 30. *expetuntur.* Sic MS. Neap. edd. Lips. et sqq. omnes praeter Dronk. et Osann., qui edd. vett. corruptelam *expectantur* reduxerunt. Facilis erat utriusque vocabuli confusio in huius verbi scriptura prius usitata, cf. Drakenborch. ad Liv. 10, 7, 2. — Deinde edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *ut* exhibent ante *quorum*, quod ab Rhenano bene sublatum est. — Denique pro *quamque* in edd. Put. Riv. (de ed. Spir. Dronkium errasse certo scio) exstat *q̃q̃* i. e. *quanquam.*

q. n. .. auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam necesse est animum. Exhibuimus haec verba, ut a I. Fr. Gronov. Observatt. 3, 4. p. 462. [p. 228. expl. Frotsch.] emendata sunt, idque eo magis quod in restituto coniunctivo *habuerit* illa emendatio MS. Neap. [idem de cod. Farn. Bekkerus testatur] testimonio stabilita sit. Gronov. ante oculos habuisse videtur locum Quintil. Inst. or. 8, 3, 41. *ceterum dicturus, quibus ornetur oratio, prius ea, quae sunt huic contraria laudi, attingam*, qua quidem ex comparatione probabile videri posset *prius* et hoc loco interponere, nisi libri ad unum omnes contra tale additamentum dicerent. Gronovium sequuti sunt Heumann. Bipont. Oberlin. [Bekker. Boettich. et Rupert.], unus offensus est Schurzfleisch. in voc. *statim*, quam ideo non ferendam putabat, quod cap. 35. demum de ea re sermo habeatur. In edd. antiq. verba sunt haec *q. n. . . . a. habuit, statim de curiis. referam* etc. quae servavit Lipsius, asteriscis ante *curiis* positis ad lacunam designandam, eademque revocarunt Dronk. Osann. et Orell. post *curiis* lacunae signa ponentes. Lipsius corrigere volebat *statim decursis his* sc. *dicam* vel *promam*, magis tamen in Rudolphi Agricolae emendationem inclinabat: *statim docuero*, quae Pichenae, Bernegger. Gronov. Ernest. Seebod. ed. pr. placuit. In exemplari Pithoeano *statim audietis* expressum est, quod ab edd. vett. nimis recedit. Schurzfleisch. coniecit: *SCtum docuerit.* Omnes illi *habuit* servarunt minime ferendum; Acidalius vero *habuerit* correxit et ex reliquis verbis *statim dicam. Prius referam* etc. effinxit, quod verum esse soli Schulzio persuasit. Tyrwhitt. *dicetur* scripsit in reliquis Acidalium sequutus; Seebod. ed. pr. *statim dicturus sum* vel *dicam curiose*, in ed. alt. *exstat in decretis censoriis* excogitavit, unde Osann. exemplaris corruptela *exstat de curiis* haud dubie nata est. — In seqq. molestum erat Acidalio *animum ad*, quod ut

animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes ipsorum etiam continentur libris. notus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile didicisse; apud Philonem Academicum,

omitteretur et *referam necesse est eam discipl.* coniungeretur optabat; sed id vix probari potest.

usos esse. MSS. Neap. [Farn.] et edd. ante Rhenan. *ausos esse.*

infinitus labor. Cf. Cic. de orat. 1, 1. *infinitus forensium rerum labor.*

in omni genere studiorum assiduae exercitationes. Sic MSS. Vatt. [et Farn. t. Bekkero] itemque MS. Neap., nisi quod in eo *assidue exercitationis* scriptum est. Edd. omnes ante Dronk. habent *in omni genere studiorum exercitationes*, una ed. Spir. *exercitationis.* Dronk. Osann. et Orell. *studiorum* eiicientes e Vaticc. codd. *assiduae* susceperunt, quia illud omitti posse contendebant. Neque id negamus, at vero cum omnes consentiant libri, retinendum erat illud vocabulum, et retinuit Seebod. ed. alt., in qua *assiduae studiorum exercitationes* perperam expressum est. [Idem exstat in edd. Bekker. et Boettich., Rupertium vero etiamnunc de glossematis somniari satis mirari non possum.]

etiam continentur. Edd. Put. Riv. *continetur.* Paulo ante Heumann. *etiamnunc* scribendum censuit, ut scriptor indicaret ad hoc usque tempus libros exstare, quibus ea contineantur h. e. exstent, non, ut Schulz. explicavit, commemorentur et enarrentur.

vobis. In MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. item in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *nobis* scriptum est, quod damnavit Rhenan. et *vobis* correxit. Rectissime, nam *nobis* otiosum esset neque ferri potest propter adpositum *utique.* Mirum est igitur Broter. Seebod. Dronk. et Osann. *nobis* revocasse. — Extremam Bruti partem intellige cap. 89. — 91., quibus Cicero de suis studiis laboribusque forensibus exposuit. — Verbi monstrum in Spir. ed. pro *prior* est *pocr;* eadem etiam *intra* exhibet pro *initia*, et una cum MSS. Neap. [et Farn.] *referre* pro *refert.*

Q. Mucium. Cf. Cic. Brut. c. 89. § 306. *ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae, P. F., qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat.* Male de Scaevola augure, Laelii genero, ad quem Cicero puer deductus erat, cogitarunt nonnulli. Vide Ernest. Clav. Cic. p. 785.

Philonem Academicum. Philo Atheniensis, Clitomachi discipulus, tempore Mithridatici belli Romam profugit; cf. Brut. c. 89. § 306. *Eodemque tempore quum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus*; adde quae Ernest. Clav. Cic. p. 198. et Ellendt. ad l. l. exposuerunt. —

apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse. ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. Ita enim est, optimi viri, ita: ex multa

Ed. Spir. habet *archademicū*; edd. Put. et Riv. *achademicum*.

Diodotum. Edd. Spir. et sqq. omnes ad Gronov. usque et ad Bipont. nomen huius philosophi, *Diodorum* exhibendo, corruperunt, [quae quidem forma etiam in Farn. libro a Niebuhrio reperta est]. Lipsius iam in edd. posterioribus itemque edd. recentt. correxerunt *Diodotum*, quem Cicero commemoravit Brut. c. 90. § 309.: *Eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. A quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar.*

omnes philosophiae partes. Sic MSS. Neap. Vaticc. edd. Schulz. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [et recentissimae]; in ed. Spir. *omīs*, in edd. Put. et Riv. *ois* exstabat, unde in reliquis omnibus *omnis* mutatum est. Praeferendam duco formam vulgarem codd. stabilitam, quamvis vix verendum sit, ne quis *omnis* cum *philosophiae* coniungat.

copia. MS. Neap. *copiam*, errore ex seq. praepositione *in* orto.

Achaiam quoque et Asiam. Peregrinationum causas enarravit Cicero Bruto cap. 91.

geometriae. Ed. Spir. *geometrę*, eadem in principio enuntiati seq. *Illę* pro *ille*.

moralis partis utilitatem. Cic. de fato c. 1. *nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus: sed decet augentem linguam latinam nominare moralem*, quibuscum comparandus est Quint. Inst. or. 6, 2, 8. et 12, 2, 10. et 15. Iniuria in voc. *utilitatem* haeserunt Acidal. et Schurzfleisch., quorum alter *nobilitatem* substituendum censuit, alter deleta ea voce *moralis partis* servandum et accusativo plur. numeri accipiendum duxit.

rerum motus causasque. Cum tripartita sit universa philosophia, rationalis, moralis et naturalis (auctoribus Quint. 12, 2, 10. et Seneca ep. 89.), ad naturalem referendum est, quod scriptor rerum motus causarumque nomine comprehendit. Ita universi mundi cognitionem Ciceroni fuisse commemorat. Unde patebit, iusto arctioribus finibus circumscriptam esse Sigraesii coniecturam a Lamallio probatam *siderum motus causasque rerum*, eodemque nomine Hofmann. Peerlkamp. emendationem *rerum ortus* (vide Burmann. ad Propert. 2, 25, 28.) reprehendendam esse.

cognoverat. Sic MS. Neap. pro omnium edd. lectione *cognovit*, [quam Bekk. quoque et Boettich. ex Farn. cod. correxerunt in eandem scripturam, quam W. praeferebat].

ita enim est. MS. Neap. *ita est enim*. [Verborum ordinem, quem

eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia: neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur; sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit.

XXXI. Hoc sibi illi veteres persuaserant. ad hoc

cod. egregius exhibet, ita ab antiquis scriptoribus frequentatum esse constat, ut alterum, qui in omnibus libris exstat, Romani prorsus vitasse videantur. Nubem exemplorum, si quidem desideras, dabit Schaefer. praef. ad Plin. Epist. p. XI—XIV., Goerenz. ad Cic. fin. 1, 18, 61. Acad. 1, 12, 35., rem certis rationibus circumscripsit Otto Excurs. I. ad Cic. Caton. mai. c. 2, 6. p. 222. sqq.] Alterum *ita* delere volebat Heumann., sed recte id positum est, modo verborum distinctio ea restituatur, quae in edd. Rhen. Ald. Lips. est: *ita enim est*, *o. v.*, *ita:*, quamque restituerunt Orell. [Bekker. et Boettich.]. Perperam autem *ita* a plerisque ad subsequentia translatum est.

et plurimis artibus et o. r. scient. Sequutus sum MS. Neap. auctoritatem, [ut Bekker. et Boettich. cod. Farn.]. Edd. antiquae praebent *et pluribus partibus et o. r. sc.* — Rhenan. in castigatt. emendavit *ex pluribus artibus*, *ex o. r. sc.*, id quod ed. Ald. Pithoeus et Heumann. receperunt. — Lipsius edidit *ex pluribus artibus et o. r. sc.*, quod a sequentibus vulgabatur usque ad Dronk., qui edd. vett. lectionem restituit, *artibus* tantum servato, cumque eo faciunt Osann. Orell. [et Rupert.].

angustis et brevibus. Sic de Germ. cap. 6. *angusto et brevi ferro;* Plin. Ep. 2, 7, 4. *vita eius brevis et angusta*, ibid 3, 7, 13. *tam angustis terminis.* Ed. Spir. *angustiis* exhibet. *Vis et facultas* pariter coniunctum est infra cap. 33. et apud Quint. Inst. or. 12, 1, 33. — Pro *cluditur* Heumann. coniiciebat *includitur*.

quaestione. MS. Neap. *questione;* in eodem libro paulo post verba leguntur *ornate quid orator et ad pers. apte*, ubi ineptum illud *quid orator* ex margine inter scriptoris verba positum esse satis adparet. Oratoris est dicere ad persuadendum adcommodate. cf. Spalding. ad Quint. Vol. I. p. 345. — Pro *dicere* in ed. Spir. *dicit* est.

Cap 31. *Hoc ... persuaserant.* Sic MSS. Neap. [et Farn.], *persuaserant* exstat quoque in MSS. Vaticc., quos sequuti Dronk. Osann. et Orell. *haec . . . persuaserant* ediderunt. Sed quum molestum transitum a plurali numero ad singularem aegre ferret Orell., coniectura adsequutus est, quod iam praestantissimus liber praebet. Omnes reliquae edd. *haec . . . persuadebant* exhibent, [quod nuperrime a Rupert. restitutum est].

ad hoc efficiendum. Et haec emendatio ex codd. Neap. [Farn.] et Vatt. sumpta est, Dronk. et Osann. praeeuntibus, dum edd. consentiunt in lectione *ad haec efficienda*, quae invito Orellio in eius exemplari servata esse videtur, [consulto vero a Rupert. revocata est].

ut in rhetorum scholis. Sic MSS. Neap. [et Farn.], idemque

efficiendum intelligebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent; sed ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur. haec enim est oratori subiecta ad dicendum materia. nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus, ita ut plerumque haec ipsa invicem misceantur: de quibus co-

ut particula omissa in MSS. Vaticc. exstare Broterius testatur, quare Broter. iam et Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekker. et Boettich.] eam lectionem praetulerunt, in quam Acidal. inciderat. Discrepant vero edd. vett.: in edd. Spir. Put. Riv. Rhenan. Ald. Lips. Pithoe. et sqq. [cum Rupert.] *ut rhetorum scholis* scriptum est; edd. Ber. et Alc. *rhetorum scholis* exhibent. Acidalii vero coniecturam alteram, quae ipsi placuerat magis, *ut rhetorum in scholis*, Heumann. Schulz. Oberlin. Bip. receperunt. — Pro *exercerent* MS. Neap. dedit *exercent.*

ut iis artibus pectus implerent. MSS. Neap. [et Farn.] *implorent;* ex eodem libro scripsi *iis*, praepositionem *in* tamen, quam idem liber exhibuit, omittendam duxi, quanquam in Spir. quoque ed. *in his artibus* legitur, pro quo in omnibus edd. praeter Orell. [Bekker. et Boettich.] *his artibus* editum est. Nullum enim scio veterum scriptorum locum, quo ea structura firmetur, [nisi auctoritatem locis satis dubiis tribuere velis, quibus v. *compleri* praep. *in* ascivit. cf. Otto ad Cic. de Fin. p. 350. Genitivum vel Ciceronem posuisse Zumpt. docuit in Ed. Spalding. supplem. Vol. V. p. 244.]

et turpi. Sic MS. Neap., dum omnes edd. *ac turpi* praebent; variant autem libri in *ac* et *et* vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 11, 36.

Paulo post ed. Iunt. copulam inter *iusto et iniusto* omisit.

haec enim est. MS. Neap. *haec est enim.* [cf. not. ad cap. praeced. vv. *ita enim est.*] — Deinde in edd. vett., etiam Pithoei *oratoris* exstat, quod Lipsius emendavit in *oratori*, haud dubie e cod. Farn., eamque scripturam posteriores servarunt. Pro *ad dicendum materia* in Puteol. ed. expressum est typis *ad dicdudū meteria*, in eademque deinde *equitate* pro *aequitate*, quod ed. Riv. in *equite* mutavit, *copiosae* pro *copiose* scriptum est.

nam in iudiciis . . . disserimus, ita ut . . . misceantur. Sic MSS. Neap. (in quo tamen *plerumque* omissum est) et Vaticc. et dein edd. Dronk. Osann. Orell. [Bekker., qui de Farn. cod. tacuit, et Boettich.]; edd. reliquae *dicimus* praebent. Ursino et Mureto haec verba mutilata esse videbantur, cum, quia in deliberationibus non satis recte de honestate disseratur, tum, quia tertii causarum generis, laudationum, mentio omissa sit. Malebant igitur verbis auctis ita locum constituere: *nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus;* idque Acidalio et Schurzfleisch. adprobaverunt. Sed in posteriore ratione non haerendum est, quia scriptor ipse cap. 35. duo causarum genera, quae apud rhetores

piose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et intellectum eorum, quae neque in virtutibus neque in vitiis numerantur. ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit, quid ira; promptius ad miserationem inpellat, qui scit, quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud

tractari soleant, adferat, *suasorias* et *controversias*; priorem vero ita refutavit scriptor, ut haec invicem mixta esse contendat. Et ita Quint. Inst. or. 3, 4, 16. *ne his* (puta Aristot. Rhetor. 1, 3, 5. Cicer. de Invent. 2, 4. Topic. c. 24. al.) *quidem accesserim, qui laudativam materiam honestorum, deliberativam utilium, iudicialem iustorum quaestione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione quam vera. Stant enim quodammodo mutuis auxiliis omnia.*

nisi qui cognovit. Sic edd. omnes et MS. Neap.; unus Oberlinus, quem pauci sequebantur, *cognorit* edidit, perperam. cf. cap. 37. *nisi qui causam parem invenit.* De argumento cf. Cic. de orat. 1, 12, 53. *quare nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit;* et Aristot. Rhet. 1, 10, 12. — 18. — Ed. Ber. *parvitatemque* pro *pravitatemque*.

intellectum. Insolentius hoc videbatur Schelio, quia *cognoscere intellectum* coniunctum sit, proponebat igitur *delectum*, Heumanno probante. Sed cf. not. ad c. 22., ubi par remedium a Gronovio adhibitum est.

neque in virtutibus. Sic MSS. Neap. [Farn. edd. Bekk. et Boettich.] pro vulgato *nec in virt.* [Quanquam *nec-neque* et *neque-nec* particulas sibi respondentes Bentleius ad Horat. Carm. 3, 11, 43. illustravit, parum, ut mihi videtur, recte, et Goerenz. ad Cic. Legg. 1, 8, 24. *nec-neque* copulandis rebus, *neque-neque* distributionibus inservire docuerit, id tamen de h. l. valere nequit. Nam ob sequentem vocalem legendum est *neque*, eodem sane iure, quo *atque* ante vocalem requiritur pro *ac.* Et confirmatur ea regula lapidibus et bonis libris. Dissentiunt tamen permulti cf. Beier. ad Cic. Off. 1, 38. p. 278. 3, 29. p. 379. ad Lael. 22. p. 131.]

quid ira; pr. ad miseration. inp. Haec verborum distinctio a Lipsio profecta est, qui emendavit lectionem MSS. Neap. et Farn. et edd. vetustarum: *quid irae promptius, et miserationem impellat,* ex qua Dronk. coniecit fortasse scriptum fuisse *quid ira; ut pr. ad m. imp.;* rectius fortasse *et* poneretur ex *ira* ē eliciendum; Orell. fortasse *quid sit ira* scriptum fuisse opinatur. Equidem neutrum probo, nec Broterio adsentior, qui in verbb. *quid sit miser.* verbum substantiv. utpote durissimum eiiciendum censuit. Aures alia quoque duriora ferre adsueverunt.

versatus. Edd. Rhen. Ald. sqq. omnes emendarunt MSS. Neap. [Farn.] edd. Spir. Put. Riv. Ber.

timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum: et prout cuiusque natura postulaverit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt, apud quos adstrictum et conlectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos iam locos. dabunt

Alc. errorem *versatur*. — Pro *dicendum habuerit* ed. Spir. praebet *dicendo habuerit*; edd. Put. et Riv. *dicendum habuerint*.

tenebit venas animorum. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. ed. Spir., quod nuper cum Doederleinio Museo Rhenan. Vol. III. fasc. 1. p. 20. 21. Orellius defendit, [Bekker. Boettich. Rupert. receperunt] Aptissime comparavit Doederlein. Cic. de orat. 1, 52, 223. *teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aget aut erit acturus, mentes sensusque degustet*. Metaphora ab humano corpore, non a metallis, ut Ernest. opinatus est, ducta indicat accuratam intimae naturae diversorumque sentiendi modorum cognitionem habere. Nec contra hoc pugnat, quod sequitur, *adhibebit manum*, pro simpliciore *tractabit* positum. Ita cadet Puteol. emendatio, quae adhuc omnes libros occupaverat, *tenebit habenas*, quae metaphora ab aurigis translata est, qui equorum habenas vel adducunt, ut Cic. loquitur de amic. 13., vel remittunt.

postulaverit. Sic MS. Neap. [edd. Bekker. et Boettich. e cod. Farn.]; — omnes libri typis descripti *postulabit* exhibent, quod tamen non ita multum displicet.

sunt. Ed. Spir. *sunt qui*; deinde eadem cum MSS. Neap. [et Farn.] *plus fidem* pro *fidei*, ed. Ber. *apud os* pro *apud hos*, et ed. Put. *dialeticae* pro *dialecticae*.

ex communibus ducta sensibus. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *ex omnibus ducta sermonibus*; Lipsius e cod. Farn., ut videtur, si quidem idem in MS. Neap. repertum est, edidit *ex communibus ducta sensibus*, quod omnes retinuerunt praeter Osann., in cuius exemplari *ex commun. ducta sermonibus* editum est. Mirum in modum in eis verbis explicandis, quae peculiari scriptione de sensu communi Faberus illustravit Ansp. 1774, haeserunt priores, quorum quidem dubitationes post Bentlei. ad Horat. Satir. I, 3, 66. et Spalding. ad Quint. Vol. I. p. 44. solutae esse videntur. Nam quod Heindorf. ad Horat. l. l. p. 73. Spaldingium illius observationis postea poenituisse tradit, ad Horatii magis verba pertinet quam ad doctrinam universam. Verba Spald. adscribam: „sensus communis etiam est notitia eorum, quae nosse et sentire homines solent; prudentia qualis in quovis homine, modo inter homines versatus fuerit eorumque mores et instituta cognoverit, exspectari debeat, sed potissimum qualis in usu hominum familiari est necessaria."

permovendos. Ed. Spir. *promovendos*, crebra confusione.

mutuabimur a Peripateticis

Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas

aptos et in o. disp. par. iam locos. Sic MS. Neap., *peripatheticis* exhibens errore satis vulgari, edd. Broter. Seebod. Osann. Orell. [Bekker. et Boettich.]. — MSS. Vaticc. 1518. et 1862. *mutuabimus a Perip. aptos et in o. d. p. iam locos*, quod Dronk. [et Rupert.] receperunt, in eo certe vituperandi, quod huius verbi formam activam praetulerunt deponent., qua alias semper scriptor utitur, ut cap. 9. 24. et 32. — In ed. Spir. exstat: *mutuabimus aliquid Peripateticis. aptos et in o. d. p. i. locos dabunt Achademici: pugn. Plato* etc., id quod Put. Riv. Ber. Alc. correxerunt in *mutuabimus aliquid a peripateticis: hi aptos ..... dabunt:* etc. idque Rhenan. Ald. et sqq. receperunt, in eo discrepantes, quod *mutuabimur* restituerunt. Rudolph. Agricola coniecerat: *mutuab. aliq. a Peripateticis. aptos et in o. d. p. i. l. dabunt Academici, Stoici pugnacitatem* etc., quod Lipsio etiam placuisse satis mirari non possum. Peripateticis enim aptissime *loci* tribuuntur, quo de vid. Cicer. Orat. c. 14, 46. *In hac Aristoteles adolescentis non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in utramque partem ut ornatius et uberius dici posset exercuit: idemque locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.* Adde Topic. c. 1. Brut. c. 31. — Pro *aptos* MSS. Neap. [et Farn.] exhibent *apertos;* [id quod retinere vult Boettich., reliquis verbis sic constitutis: *mutuabimur aliquid. Et Peripatetici quidem apertos .. dabunt, Acad. pugn.* etc., immemor Cic., cuius verba l. l. haec sunt: *quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis, generatim dicet*].

Academici pugnacitatem. Cf. Cic. de orat. 1, 18, 84. *hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando*, ib. c. 62, 263. Tusc. Quaest. 2, 3. de Fin. 2, 13, 42. Quint. Inst. or. 12, 2, 25.

Plato altitudinem. Cf. Quint. Inst. or. 10, 1, 81. ib. Spald., qui Ciceronis locos huc pertinentes protulit, Plin. Ep. 1, 10, 5. *frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit.* Ex quo loco Schulzius h. l. *latitudinem* pro *altitud.* scribendum esse suspicabatur, inani coniectura, nam id referendum esset ad orationem non pressam, non adstrictam. Platonem enim διὰ τὴν πλατύτητα τῆς ἑρμηνείας sic vocatum esse auctores sunt quidam apud Diogen. Laërt. 3, 4. et Timon prodit Analect. Tom. II. p. 70. ed. Brunck.

Xenophon iucunditatem. Quint. Inst. or. 10, 1, 82. *quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit? ut ipsae sermonem finxisse Gratiae videantur.*

Metrodori. Ed. Spir. *Metheodori* — edd. Put. Riv. Ber. Alc. *Methrodori.* Est vero is Epicureus, Atheniensis, de quo cf. Ernest. Clav. Cic. p. 184. Sed haerendum est magis in Epicuri honestis quibusdam exclamationibus, quas sicco pede transire plerisque satius visum est. Verum perspexit Orell. et ante eum Broterius; sic enim ille Addend. p. LXVIII. „equidem, inquit, semper per eas intellexi fortes quasdam γνώμας Epicuri, cuiusmodi aliquot leguntur apud Cic. Fin. 2. § 89. 94. 96., Senecam de otio sap. T. I. p. 582. ed. Gron., epist. 66. ac similia." Si Epicurum περὶ τῆς ῥητορικῆς scripsisse legimus, id huc non pertinere apertum est.

quasdam exclamationes adsumere, iisque, prout res poscit, uti alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus nec Stoicorum civitatem, sed eum, qui quasdam artes haurire, omnes libare debet.

iisque. Sic MS. Neap. ed. Orell.; omnes libri editi [etiam Bekk. Boettich. et Rupert.] *hisque.* Deinde Pithoeus, Broter. et Huet. malebant *poscet* pro *poscit*, sed illud non opus est.

nec Stoicorum civitatem. MS. Neap. sequutus *nec* exprimendum curavi pro *neque*, quod in omnibus libris exstat. cf. not. ad vv. *neque in virtutibus.* Audacior est coniectura Orellii, qui suasit legendum *n. e. sapientem informamus Stoicorum neque Platonis civitatem*, tum propter Ciceronis comparationem, quem Tacitus expressisse ipsi videtur, tum propter difficultates, quibus verba *Stoicorum civitas* premuntur. At Ciceronis verba de orat. 1, 52, 224. (*nec, si quando ei dicendum erit de iustitia et fide, mutuetur a Platone; qui, quum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem*) huc referri nequeunt nec ullam emendandi praebent necessitatem, quia scriptor noster Ciceronis verba, si quidem cum imitari voluisset, accuratius reddidisset, ut supra iam vidimus et infra perspicuum erit. Neque offensioni esse debet *Stoicorum civitas*, quod quamvis artificiosius dictum sit, explicari tamen potest ex iis, quae Quintil. Inst. or. 10, 1, 84. narravit: *minus indulsere eloquentiae Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque, quae instituerant, plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis, quam, id quod sane non affectant, oratione magnifici.* Inepti vero sunt prorsus Schurzfleisch. et Heumann., quorum ille *neque enim sapientem informamus in Stoicorum incivilitate* excogitavit, hic *orator enim sapientem, quem informarunt Stoici, imitabitur, qui non* etc. scribendum opinatus est.

qui quasdam artes haurire, omnes libare debet. Emendationem hanc praeiverunt MSS. Neap. [et Farn.] itemque ed. Spir., in quibus *qui quasdam artes audire omnes liberaliter debet* exstat; unde Weikerti et Orellii coniectura orta est: *qui non quasd. art. haurire, sed omnes libare debet*, in qua *non* et *sed* intrusum edd. vett. lectioni ab omnibus fere vulgatae debetur. *Haurire*, quod alias quoque, velut cap. 28. et 30., usurpatum est, intellige de accurata cognitione adsiduoque studio; *libare* referas ad mediocrem aliarum artium cognitionem, quas ita teneat orator necesse est, ut ne earum plane rudis sit. Cf. Cic. de orat. 1, 50, 218. *ac si iam placet, omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est, sic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat esse ieiuna atque nuda, sed adspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse, neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse.* Versa vice eandem fere sententiam Acidalius adsequutus est coniectura hac: *qui non quasd. art. libare, sed omnes haurire liberaliter debet*, nimiam tamen oratori operam iniungit. Puteolanus emendavit: *qui non quasd. art. audire, sed omnes liberaliter debet*, id quod servatum est in edd. Riv. (ex qua *liberales* falso protulit Schurzfleisch.) Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Pith. Bernegg. Gronov. — Lipsius vel *adire* corrigere maluit, idque Broterio persuasit, vel *haurire* et dein *liberales*, quod, *libe-*

ideoque et iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatice, musice et geometrice inbuebantur. incidunt enim causae, plurimae quidem ac paene omnes, quibus iuris notitia desideratur: pleraeque autem, in quibus haec quoque scientia requiritur.

XXXII. Nec quisquam respondeat sufficere, ut

raliter tamen restituto, probarunt Schulz. Oberl. Seebod. Dronk. Osann. Orell. (asterisco praefixo) [et Bekker. cum Rupert.]. Explicant illi *liberaliter* Schulzio auctore: largiore opera et studio, ut non veloci pede transcurrant, sed immorentur iis; quo quidem de significatu dubitandum est vehementer. Aliae aliorum sunt coniecturae, Schulting.: *qui non quasd. art. adire, sed per omnes liberales ire debet;* Schurzfleisch.: *qui non qu. art. adire, sed omnes liberaliter audire debet*; Osann.: *qui non q. a. adire, omnes liberaliter debet.* [Bekker. in adnot. eandem emendationem protulit, quam in W. schedis repperi et exprimendam curavi; Rupertio vera lectio videtur esse: *non quasdam artes haurire, sed omnes libare obiter debet*, ubi *obiter* otiosum esse unicuique patebit.]

ideoque. Edd. Put. Riv. *deoque.*

grammatice, musice et geometrice. Sic MS. Neap [Farn. cod. apud Bekker. idem exhibet, copula tamen omissa], idemque fere est in ed. Spir., quae *grammaticę musicę et geometricę* praebet; edd. Put. Riv. Ber. Alc. *grammaticae, musicae et geometriae*, quod Rhen. in lectionem deinceps ab omnibus vulgatam mutavit *grammatica, musica et geometria.* Antiquas formas easque graecas restituimus, quarum ea aetate frequens erat usus; sic *grammatice* legitur apud Quint. Inst. or. 2, 1, 4. 8, 1, 1., *musiçe* apud eundem 1, 10, 9. et saepius; *geometrice* apud Plin. N. H. 35, 10, 36. *omnibus litteris eruditus praecipue arithmetice et geometrice*, ubi id adverbium esse perperam nonnulli putaverunt.

iuris notitia. Ed. Spir. *viris notitia.*

pleraeque. Sic a Rhenano emendatum est, eumque omnes sequuti sunt. In MSS. Neap. [et Farn.] est *plerumque* — in ed. Spir. *plerique* — in edd. Put. et Riv. *plerisque* — in edd. Ber. Alc. *plaerisque.* Schurzfleisch. coni. *pluresque.*

haec quoque scientia requiritur. Sic MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc., unde veterem hanc scripturam Seebod. Dronk. Osann. Orell. [et recentissimi] revocarunt. Recte; nam singulari numero omnium artium, quae oratori necessariae sunt, cognitio continetur, et pluralem a bonis scriptoribus ita usurpatum vix deprehendas. Eum vero scriptori obtrusit Rhen. emendatione sua *hae quoque scientiae requiruntur*, pro quo Schurzfleisch. malebat: *harum quoque scientia requiritur*, et Heumann.: *persaepe autem hae quoque scientiae requiruntur.*

Cap. 32. *sufficere.* Ita edd. Pith. Broter. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [et nuperrimae Bekker. Boettich. et Rupert.], idem coniectura I. Fr. Gronov. adsequutus erat. Firmatur ea scriptura MS. Neap. et ed. Spir. corruptela *sufficeret;* eam Puteolanus emendavit in *sufficit*, quod seqq. tantum non omnes tenuerunt. Magis placet ut talia verba oratione, quam grammatici vocant indirectam, proferantur.

ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis: longeque interesse manifestum est, possideat quis, quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque, ubi minime credas, eminet et excellit: idque non doctus modo et prudens auditor, sed etiam populus intelligit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur: quem non posse aliter exsistere neque exstitisse unquam confirmo, nisi eum, qui, tanquam in

quiddam. Edd. Put. Riv. *quidam.*

uniforme. Sic MS. Neap. edd. Spir. Lips. et sqq.; edd. vero, quae post Spir. vulgatae sunt, Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Pith. exhibent vitiosum *informe.* — *doceamur* Lipsius correxit e Farn. cod., nam in MS. Neap. idem repertum est, pro antiq. edd. lectione *doceamus.*

primum enim. Rhenanus emendavit pro *primum autem*, quod MS. Neap. et edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent. Id nuper defendebat Dronk., *autem* interdum poni pro *enim* referens; sed loci, ex quibus id probari vult, eo non pertinent, ut egregie Hand. Tursellin. Vol. I. p. 573. demonstravit. Propter compendia hae particulae saepius confusae sunt. [cf. Wunder. Var. lect. cod. Erfurt. p. 35. 37. Spald. ad Quint. Vol. IV. p. 358.]

quae profert. MS. Neap. *que.* Schulzii, Pithoeo *mutuemur* adscribentis, errorem correxit Dronkius.

eminet et excellit. Synonyma iuncta quoque apud Plin. Paneg. c. 2, 4. *hoc magis excellit atque eminet*, ibid. c. 24, 4. *emines, excellis.* Sic infra coniunctum est *circumcisa et amputata*, quod pariter reperitur apud Cic. de Fin. 5, 14, 39. Plin. Ep. 1, 20. al., metaphora ducta ab agricolarum opera in ramis et vitibus posita. — Deinde sub finem cap. *magnae et graves*, ut apud Plin. Ep. 1, 19. 5, 15.

ut legitime. MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. *aut leg.* exhibent, quod Alciatus emendavit; nihil autem ea confusione frequentius; vid. Drakenb. ad Liv. 4, 21, 8. [et Meyer. ad Cic. Orat. c. 80.]

per omnes el. numeros isse. Ed. Spir. habet vitiosum *esse.* Dictionem illustravit Dronk., cuius exemplis adde Quint. Inst. or. 11, 1, 84: *per similes affectus eundum erit*, et ibid. 12, 8, 13. *modo per omnes argumentorum locos eat.*

ut denique oratorem esse fateatur. Edd Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent *et ut*, copulam delevit Rhenanus, quem omnes sequuntur, quia, ut Osann. observavit, *ut* ubi ter repetitur, tertio loco copulam respuit. Et omissa est in MS. Neap., ex quo libro hausimus alteram loci huius correctionem *esse*, quam edd. Orell [Bekker. et Boettich.] praebent ex verissima Mureti emendatione. Id neglectum aegre tulerat Schurzfleisch., qui *esse denique oratorem eum fateatur* malebat, quod Schulz. ita transposuit *ut denique oratorem esse eum fateatur*, itemque Heumann., qui *oratorem talem fateatur* scripsit.

neque exstitisse. *Neque* ex MS.

aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum vis quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant Senatus consulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant elo-

Neap. est pro omnium librorum lectione *nec*, de quo cf. not. ad cap. antecedens.

armis instructus, sic in forum. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *armis instructus sit in forum*, quod consentiente MS. Neap. in modum vulgatum Rhenanus emendavit et post eum Latin. Latinius biblioth. T. II. p. 37. S. Gryphium *si in forum* legere, quasi praecedat *qui si in aciem*, tradidit Schurzfleisch.

negligitur. Ed. Spir. *negligere;* in eadem et in edd. Put. Riv. Ber. Alc. *horum ipsorum* typis descriptum est pro *horum temporum.*

vis quoque quotidiani sermonis. Sic MSS. Neap. Vaticc. ed. Spir. — inde orta est corruptela edd. Put. Riv. Alc. *vix quoque q. serm.*, quam Latinium recepisse Schurzfleischius auctor est. Rhenanus emendavit *fex q. quot. sermonis* et post *sermonis* commate distinxit, ut sqq. per se constarent; quae emendatio a posterioribus fere omnibus servata est, a Dronk. etiam [et Rupert.], qui veriorem scribendi rationem (cf. Osann. ad Apulei. p. 137.) sequuti *faex* ediderunt. Sed valde dubitandum est, an talis commutatio unquam fieri potuerit. Redierunt igitur nuperrimi editt. Orell. [Bekker. et Boettich.] ad vett. librorum auctoritatem; recte, ut equidem puto. Alii alia tentarunt; sic Acidal. *fex* retinens malebat: *foedo ac pudendo vitio deprehendatur*, vel *ut in actionibus eorum fere quot. serm. f. ac p. vitia deprehendantur;* Schurzfleisch.: *ut in a. e. vix quoque quotidiani sermonis* (idque plurali numero dictum accepit), *saepius foeda et pud. vitia, deprehendantur;* Heumann.: *ut in a. e. foeda quoque quotid. sermonis ac pud. vit. deprehendantur*; Schulzius, quocum Osann. facit, transpositione locum refingebat: *ut in a. e. vitia quoque* (pro quo Osann. *quaeque* malebat) *q. s. foeda ac pud. deprehendantur*; Orell. denique coniecit: *ut in a. e. ubique q. s. foeda ac pud. vitia deprehend.*, [id quod maxime placuit Boettichero. Si quid video, molestum est ἀσύνδετον, quod librorum antiquorum scriptura minime sublatum est, nec minus haereo in *vi quot. serm.*, quam qualem intelligam me fugit, praesertim quum *vis* alias in laude posita esse soleat. Malim igitur *quotid. serm.* ad *vitia* trahere et in *vis quoque*, in quo ingratam κακοφωνίαν vix ferendam duco, latere suspicor *usque*, quod facile ita poterat immutari, quodque magis convenit scripturae *vis quoque* quam Orellianum illud *ubique*].

non teneant. Ed. Riv. *non tenent.*

praecepta prudentium. Utraque forma, *prudentum* et *prudentium*, bona est; haec exstat apud Cic. Orat. c. 1, 1. et c. 53. cf. Otto ad Cic. de Fin. p. 367. — Cum sqq. compara Cic. de orat. 1, 11, 46. *multi praeterea clari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque maiorum

quentiam, velut expulsam regno suo: ut, quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine adparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis, discatur. ergo hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. si testes desiderantur: quos potiores nominabo, quam apud Graecos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est. et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quidquid in eloquentia effece-

scientia, ac tantum in iudicia et conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam.

regno suo. Edd. Alc. Rhen. Ald. *suo* omiserunt, quod ex edd. Spir. Put. Riv. Ber. Lipsius restituit, posteriores servarunt. Deinde pro *quae* MS. Neap. dedit *que*, cui *quae* suprascriptum est. Paulo post ed. Spir. habet *dicūt* pro *domina*, quod in MS. Neap. et omnibus edd. exstat, ex quo Orellii coniecturam *princeps* vel *dux* inutilem esse perspicies. Deinde in ed. Alc. typothetae error est *appaparatu.*

ergo ... arbitror. Sic MS. Neap. edd. Spir. (in qua *arbitratur* legitur) Put. Riv. Ber. Alc. Lips. et sqq., quod verissimum, nam argumentationem finivit et ad clausulam pergit. Quapropter nolim probatam esse alteram scripturam, quae in MS. Vat. 1862. edd. Rhen. Ald. Pithoei, Broter. Bip. Dronk. Osann. Orell. reperitur: *ego ... arbitror.*

cur in tantum. MSS. Neap. [et Farn.] exhibent *in tantum*, omittunt vero particulam *cur*, edd. omnes habent *cur tantum*; ex quo *cur in tantum* refingere placuit [cum Bekker. et Boettich.]. Cf. not. ad cap. 2.

studiosissimum Platonis auditorem. Testantur id Hermippus in Plutarchi vit. Demosthen., Polemo apud Diog. Laërt. 3, 46., Cic. Brut. 31, 121. de orat. 1, 20, 89. Orat. c. 4, 15., Quintil. Inst. or. 12, 2, 22.; 10, 23., Gell. 3, 23. et Lexicogr. Graeci. [Cf. A. Stahrii librum utilissimum Aristotelia inscriptum Vol. I. p. 157. coll. Vol. II. p. 291. et Liebmann. scriptione scholastica de Isaei vita et scriptis p. 9.]

his, ut opinor, verbis refert. Sic MS. Neap. — *refert verbis* MSS. Vaticc. edd. Broter. Oberl. Bip. Dronk. Osann. Orell. — Reliquae edd. omnes verbum *refert* omittunt, [in quarum testimonio perseverarunt recentissimae editt. Bekker. Boettich. et Rupert.]. Probaverat verbum omissum F. A. Wolf. in *Vermischte Schriften* p. 159. 160., ubi haec eius verba leguntur: „ante *quidquid* nihil addi opus, non *inquit*, non *ait*, non denique *refert*, quod indidem expromit Broterius. Nihil omissione horum verborum usitatius est huius aetatis scriptoribus." Muret. et Ursin. ut verbum haberent, ex quo enuntiatum penderet, *id* correxerunt in *ait*, quae correctio facilitate sua Schulzio se commendabat; Pichena *et Ciceronem* legi posse putabat, si quidem ad *nominabo*, quod in superioribus est, referretur; Rauchensteinius *ait* post *id se* inserere volebat. Ciceronis

rit, id se non rhetorum, sed Academiae spatiis consequutum. Sunt aliae causae, magnae et graves, quas a vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, et, quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi: quos, si forte haec audierint, certum habeo dicturos, me, dum iuris et philosophiae scientiam tanquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.

verba exstant in Orat. c. 3, 12. *et fateor, me oratorem, si modo sim aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.* Quint. Inst. or. 12, 2, 23. *nam M. Tullius, non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiae spatiis, frequenter ipse testatur;* coll. 10, 1, 81. *philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiae M. Tullius confitetur, . . . Platonem esse praecipuum.*

spatiis. Ed. Spir. *spatia* — Put. *spacia* — Ber. Alc. *spacio* — Rhen. Ald. *spactio* — Riv. Lips. et omnes reliquae *spatiis*, quod apud Ciceronem quoque est Orat. c. 3, 12. de fin. 5, 1. al. cf. Ernest. Clav. Cic. h. v. — Non praetermittendum est, Acidalium et Heumannum *non in rhetorum . . . spatiis* emendasse, quod non necessarium est, ut locis adlatis Wopkens. docuit. cf. c. 31. 35. 37.

a vobis. Sic emendavit Rhenanus, quem Ald. Lips. et omnes fere posteriores imitati sunt. Praepositio in MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. omissa est, quare iterum eam delendam censuerunt Dronk. et Osann., quod neutiquam probabile est, quia id, ut Orell. notavit, nimis ambiguum esset. Facile omitti poterat a librariis *quas* praecedente. cf. Drakenb. ad Liv. 2, 59, 6.

iam. Ed. Spir. *tam.*

mihi in consuetudine est. *Mihi* in MS. Neap. est et in edd. post Lipsium omnibus, [recentissimis quoque]. Sed edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. praepositionem neglexerunt, unde Dronk. et Osann. sustulisse eam minime mirum videtur.

quos, si forte haec audierint. In hoc loco discrepant veteres libri; equidem MS. Neap. sequutus sum, in quo *quod si forte haec audierint* scriptum est, [*quod* et *haec* Bekker. quoque e Farn. cod. adtulit]. *Quos* scripsi cum Pithoeo, Dronk. Osann. Orell. [Boetticher. et Rupert.], eoque lubentius, quia ad id Spir. quoque ed. corruptela *quod si forte hoc* ducit. *Audierint* iam in margine ed. Lips. a. 1600 exstabat, unde Broter. Orell. [Bekker. et Boettich.] id asciverunt, latinitate quasi flagitante; id quod, quanquam non satis recte *audient* corrigebat, Heumann. perspexit. *audirent* enim in omnibus libris editis est, iidemque praeter Spir. exhibent *qui si forte hoc audirent.* — Ed. Spir. habet *dicturas* pro *dicturos.*

dum . . . laudo. Cf. Heinrich. ad Cic. orat. pro Tullio § 12. [Hand. Tursellin. Vol. II. p. 308. sq. Benecke ad Iustin. 9, 2, 10.]

oratori necessariam. Edd. Put. Riv. *orator inecessariam.*

plausisse. MS. Neap. edd. Lips. Pith. sqq. — antea expressum erat *placuisse.*

XXXIII. Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. Nam, quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera exspecto, ut, quemadmodum ex te didici, quid aut illi scierint aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exerci-

Cap. 33. *inchoasse.* Sic MS. Neap. et edd. post Ald. omnes praeter Dronk. et Osann., qui edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. scripturam *incohasse* praeeunte Schurzfleischio restituendam putarunt. [Ea enim forma ab antiquis grammaticis Diomede p. 316. Serv. ad Virg. Georg. 3, 223. probata est, et haud raro reperitur et in codd. antiquissimis, (velut Cic. de re publ. 1, 35. p. 145. ed. Moser. et ibid. 3, 2. p. 339. ed. Mos., ubi a secunda manu sic emendatum est pro *inchoatum*, et Fronton. ad Antonin. ep. 1, 5. p. 155. expl. Rom., ubi in margine tantum *inchoato* correctum est), et in edd. antiquis. cf. Walther. ad Hist. 4, 41. al. Quapropter eam, ut antiquiorem, praetulerunt Marini Frat. Arv. p. 363. aliique multi. Sed formam vulgatam aliorum grammaticorum tuetur auctoritas, ut Iulii Modestini apud Diomed. l. l., Festi h. v. et Scauri p. 2251. Putsch., nec adversantur lapidum inscriptiones.]

lineamenta. MS. Neap. edd. Spir. Ber. Alc. Rhen. Ald. *liniamenta* — edd. Put. Riv. *linimenta.*

soliti sint. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent *soliti sunt*, quod Dronk. et Osann. revocarunt, Zumptii gr. lat. § 553. praeceptis abusi. Recte autem omnes ex Rhenani emendatione *soliti sint* ediderunt, quod in MS. Neap. exstat.

inscientiae. MSS. Neap. [et Farn.], itemque edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. habent *scientiae*, quod, ut aperto falsum, Rhenanus emendavit in scripturam vulgatam. Haeserunt in praepos. *adversus* Schulz. et Dronk., ille dictum esse putat pro *ad*, hic pro *e regione*, uterque non satis accurate, nam *adversus* proprie significat id, quod ad aliquid vertitur, idque comparationibus ubi adhibetur, eo fit, quod rerum ex adverso positarum discrimen magis incidit in oculos; id quod nostratium efficit *gegen.* Sic Liv. 24, 8, 8. *in annum creatus adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur.*

exspecto. Ed. Spir. *excepto*, eadem paulo post *dici* pro *didici.*

quid aut illi scierint aut nos nesciamus. MSS. Neap. [et Farn.] edd. Spir. (in qua *qd'* expressum est) Put. Riv. Ber. Alc. praebent *quod*, sed id hic locum habere nequit, ut adparebit ex Beieri adnotatt. ad Cic. de Off. Vol. II. p. 17. sq. [Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 25, 80. Bremi. ad Nep. Epamin. c. 8.] Praeterea scripsi *scierint*, postulante latinitate, pro *scirent*, ex emendatione Schurzfleischii, quae Heumann. Ernest. Orellio, [Bekkero et Boettichero] placuit. Neutiquam vero Ernestii probavimus coniecturam *nesciremus*, cum praes. temp. bene usurpatum sit, in eoque, quanquam codd. testimoniis in tali re nimium tribuere nolumus, MSS. Neap. [et Farn.] con-

tationibus iuvenes, iam forum ingressuri, confirmare et alere ingenia sua soliti sint. neque enim arte et scientia, sed longe magis facultate eloquentiam contineri, nec tu, puto, abnues, et hi significare vultu videntur.

Deinde cum Aper quoque et Secundus idem adnuissent, Messalla quasi rursus incipiens: Quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudiri-

sentiant, *resciamus* exhibentes pro vulg. *nesciamus*.

iam forum ingressuri. MS. Vat. 1862. edd. Ernest. et omnes recentiores *ingressuri* habent pro edd. ante Ernest. omnium itemque MS. Neap. lectione *ingressi*, quae non convenit sententiarum nexui. Nam disputavit hactenus de earum artium cognitione, quibus oratori opus sit, iam vero pergit ad ea, quae facienda sint iuveni, futuro oratori, qui nondum in foro versari coeperit. Copulam *et* Ernestius ante *iam* ponere maluit, ex qua transpositione consequimur nihil. Alii delent copulam, ut Schulz. Oberl. Seebod. Dronk. Osann. [Bekker. Boettich.], rectissime, nam in MS. Neap. omissa est. In reliquis libris librariis saepius eam inserentibus deberi videtur. cf. Drakenb. ad Liv. 36, 31, 11.

confirmare. Ed. Spir. *cum firmare;* Seebod. ed. alt. et Osann. ediderunt *et confirmare*, quod negligentiae eorum debetur.

neque enim. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. adiiciunt *dum*, quae quidem particula non habet quo referatur. Dronk. *solum* in ea latere suspicabatur, quod Osann. et Orell. probarunt, eorumque alter adiectivi loco id positum esse censet. Sed quod Goerenz. ad Cic. Fin. 1, 13. 44. exposuit, nihil illustrat, et necessario *sola arte* scribendum erat. [Bekker. et Boettich. *dum* interseruerunt, sed quae eius vis sit non explicaverunt.]

facultate eloquentiam contineri. In edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. scriptum est *facultate et eloquentia*, [idemque in cod. Farn. exstat], Rhenanus edidit, quod postea omnes vulgabant. Sed ipsa vetustarum edd. scriptura et membrorum concinnitas neglecta verbum post *et* deletum esse docet; quare Rudolph. Agricola *facultate et meditatione el. cont.* coniiciebat, Tyrwhitt. *facultate et usu el. cont.*, in quod Rauchenstein. quoque inciderat. Probarunt emendationem Dronk. (male adferens locum, qui postea legitur, ex coniectura mutatum) et Orellius. Eadem sententia in Schurzfleisch. emendatione *facultate et experientia* continetur, neque tamen eam ipse habet necessariam, quia „*facultas* est longo aptoque usu quaesita dexteritas, quam *copiam* vocat sequenti capite."

hi. Sic ed. Spir. Rhen. sqq. — MSS. Neap. [et Farn.] *ii* — edd. Put. Riv. Ber. Alc. pronomen omiserunt; male. Sunt autem intelligendi, qui huic sermoni intersunt.

Aper quoque. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. edd. Broter. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.]; in reliquis libris *quoque* omissum est, [quod, ut Rupert. opinatur, e glossis est, quibus scatent illi codices, Vaticani scilicet].

videor. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. *videtur*. — Paulo post *persequor* in MS. Neap. et ed. Spir. exhibitum ab Osanno perperam revocatum est pro omnium librorum scriptura verissima *persequar*.

que soliti sint: persequar nunc exercitationes eorum. quanquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi ut scientiae meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiae accedat. per quae conligitur, eandem esse rationem et percipiendi, quae proferas, et proferendi, quae perceperis. sed si cui obscuriora haec videntur isque scientiam ab exercitatione separat, illud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum, quae propriae esse oratorum videntur.

XXXIV. Ergo apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, inbutus iam dome-

exercitationes. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. edd. Broter. Oberl. Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich., sed non Rupert.]. In prioribus edd. singulari numero *exercitationem* exstat, quod, quia varia exercitationis genera sunt, minus aptum existimo.

tot reconditas aut tam varias res. MS. Neap. et ed. Spir. habent *tot aut recond. tam var. res*, particula alieno loco interposita, quam suo loco restituit Puteol. et seqq. Heumann. levi coniectura *ac t. var. res* emendabat. [Bekker. tradit, *aut* omissum esse in cod. Farn., haud dubie et h. l. Farn. et Neap. idem est liber et Bekkeri collatio negligentior.]

nisi ut. Haec est omnium edd. scriptura, quam immerito ab nonnullis impugnatam esse apud me constat. Acidalius *ut* delevit eumque Heumann. Schulz. et Dronk. sequuti sunt; Huetius praeferebat *nisi et;* Orellio placebat *nisi ubi*, et Osanno excidit *nisi simul.* [Fortasse legendum, Boetticher. inquit, *nisi ut scientiae meditatio, ita med.* etc.]

vis eloquentiae. Heumann. et Schulz. Acidalii emendationem *usus eloquent.* receperunt, eademque Dronkio non displicuit; sed nulla est causa, cur vulgatum reiiciatur. — Infra pro omnium edd. lectione *id* e MS. Neap. *illud* scribere malui.

paratiorem. MSS. Neap. [Farn.] *aperte;* edd. antiquae *paratum;* Lipsius edidit *paratiorem*, quod omnes seqq. retinuerunt.

propriae esse oratorum videntur. Recepi Rud. Agricolae emendationem, quam suadet corrupta MS. Neap. scriptura *proprie et ornatorum vid.* [et cod. Farn. *proprie et oratorum vid.*]; Broter. malebat *propriae oratorum v.* [, id quod Bekker. et Boettich. in textu posuerunt]. Ed. Spir. *propriae circa oratorium* — edd. Put. et sqq. usque ad Ernestium *propriae circa oratoriam* — Ernest. coniiciebat *propriae curae orat. vid.*, quod Bip. Schulz. Oberl. Dronk. receperunt. Audaciores fuerunt Lipsius, qui *circo oratorio* maluit, et Schel. cum Heumanno, quibus *circo oratorum* edendum videbatur; Orell. denique ponendum censuit *quae proprie circa oratoriam versantur*, quam dictionem posteriore tempore pro *in aliqua re versari* usitatam fuisse Duker. docuit ad Flor. 3, 19, 12. [add. Hand. Tursell. Vol. II. p. 62.].

Cap. 34. *parabatur.* Ed. Spir. *probatur.*

stica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat. hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse sive in iudiciis sive in concionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque excipere et iurgiis interesse, utque sic

deducebatur. Ed. Spir. *deducebitur.* Verbum hoc proprie usurpabatur de eis, qui seniori alicui erudiendi causa commendabantur et tradebantur, ut cum eo versarentur omnemque ex eius consuetudine doctrinam haurirent. Quem morem Romanis fuisse ex multis testimoniis constat, ut Cic. Offic. 1, 34, 122. *est igitur adolescentis maiores natu vereri exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur: ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est;* coll. ibid. 2, 13, 46. de senect. cap. 9. Sic deductus est Cicero ad Scaevolam (vid. Lael. c. 1.) et ad Pupium Pisonem (ut apud Asconium est ad orat. in Pison.), sic ad Ciceronem Coelius (cf. or. pro Coel. c. 4.). Quint. Inst. or. 10, 5, 19. *oratorem sibi aliquem, quod apud maiores fieri solebat, deligat, quem sequatur, quem imitetur; iudiciis intersit quam plurimis, et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator;* id. 12, 11, 5. *frequentabunt vero eius domum optimi iuvenes more veterum et veram dicendi viam velut ex oraculo petent;* Plin. Ep. 2, 14, 3. *at hercule ante memoriam meam (ita maiores natu solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur.* Cf. Ernest. Clav. Cic. h. v. Gronov. Observatt. 3, 23. p. 654. [p. 318. expl. Frotsch.].

qui principem in civitate locum obtinebat. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. edd. Brot. Oberl. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.], qua lectione hexametri clausula, quae in aliis libris est, vitatur. cf. Cic. Brut. 67, 238. *tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.* Schulz. edidit: *qui princ. locum in civitate obtinebat*; Seebod. ed. alt. *qui princ. in civ. locum tenebat.* In reliquis editt. exstat *qui pr. loc. in civ. tenebat.*

sive in iudiciis sive in concionibus. Haec verba et quae sequuntur usque ad *iurgiis interesse* in antiquis edd. omissa sunt, librariorum ni fallor negligentia, qui ob repetitum *interesse* media verba praeterviderunt. Debentur hi tres versus, Lipsio auctore, veteri libro i. e. Farn. codici, quocum MS. Neap. consentit.

excipere et iurgiis interesse. Verbi *interesse* repetitionem non ferendam esse putabant nonnulli ideoque corrigebant. Broter. ponebat *iurgiis immisceri;* Orellius *ut .... iurgiis se inserere* (cf. not. ad cap. 10. *nomen inserere famae*), [idque probarunt Boetticher. et Rupert., qui verbis transpositis *iurgiis inserere se* fidem antiq. librr. magis servasse sibi videbatur]. Hofmann. Peerlkamp. credit, librarium *interesse* male ex antecedentibus repetiisse, et scribendum fortasse *ita ut altercationes quoque exciperet et iurgia.* Praeterea festinantius haec verba correxit Bekker., qui pro MSS. Neap. [et Farn.] et omnium edd. lectione *excipere . . . interesse* coniunctivum edidit *exciperet . . . interesset.* Contra quem bene disputavit Orellius, cuius verba adscribam: „magnum vitium orationi intulit; etenim deberet esse *utque, ut sic dixerim;* quum part. *utque* mani-

dixerim, pugnare in proelio disceret. magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia inbuebantur: et, quanquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant: habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent, quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec praeceptor deerat optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret: nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes:

festo pertineat dumtaxat ad vv. *sic dixerim*, non ad v. *disceret*; nemo autem ita scriberet: *ita ut alterc. q. exciperet et iurg. interesset, pugnare in proelio disceret.*" Ceterum ed. Spir. pro *utque* habet *utquę*, et deinde pro *disceret* Rhenan. et Ald. exhibent *discere*. De vocabulo *pugnare* aliisque ad id genus pertinentibus dixit Spalding. ad Quint. Inst. or. 10, 1, 121. coll. not. ad 5, 13, 59.

magnus ex hoc usus. Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *magnos.. usus*, [non *magnis*, ut apud Rupert. est]. Rhenanus edidit, quod nunc vulgatur.

constantiae. Constantiam, de qua voce Spald. ad Quint. Inst. or. 1. pr. § 27. non satis distincte disputavit, intellige eam ingenitam quasi fortitudinem, quam nostrates dicunt *Dreistigkeit*, ut ex Iustin. 1, 5. Valer. Max. 3, 1, 2. Sueton. Ner. c. 7. bene docuit Sarpius Analect. p. 12.

quo minus et iudex. Ed. Spir. *q̃ minus et iudex*; edd. Put. et sqq. ad Lipsium *quod et iudex*, non *quo et iud.*, ut Dronk. indicare videtur. Sed Lipsius Spir. libri lectionem revocavit et omnes sequuti sunt.

ipsius populi etc. Rudolph. Agricola copulam addidit *populi et div. aur. copiam*, ut genitivum ex genitivo pendentem vitaret; eandem ob causam Lipsius fuisse credit *populi i.* (nota satis vulgaris pro *id est*) *div. aur. cop.* Sed non necesse est corrigas, quod vel optimis scriptoribus excidisse ostenderunt praeter viros doctissimos a Dronkio laudatos Cort. ad Sall. Cat. 23, 4. Beier. ad Cic. Off. Vol. II. p. 47. 406. Goerenz. ad Cic. Acad. 2. p. 166. de Fin. p. 192. Cicero autem substantivum, ex quo genitivi pendent, eis interponere solet.

deprehenderent. Sic MSS. Neap. Vaticc. edd. Broter. Ernest. et recentiores. — ed. Spir. *deprehendent̃* — edd. Put. Riv. Ber. Alc. *deprachendebatur* — edd. Rhen. et sqq. ad Broter. usque *deprehendebatur.* Non igitur opus est Osanni coniectura *deprehenderetur.* — Deinde in ed. Spir. est *q̃d* pro *quid.*

ferro, non rudibus dimicantes.

sed auditorium semper novum, semper plenum, ex invidis et faventibus, ut nec bene nec male dicta dissimularentur. Scitis enim, magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis: inde quin immo constantius surgere, ibi fidelius conroborari. atque hercle sub eiusmodi praeceptoribus iuvenis ille, de quo loquimur, oratorum

MSS. Farn. Neap. Vaticc. et edd. omnes antiquae in *sudibus* consentiunt idemque habet Pithoeus, defenditque eam scripturam Schurzfl. locis Propertii et Tibulli, de quibus non constat, et restituit Seebod. ed. altera. Nuper eius patronus exstitit Doederlein. Lat. Syn. et Etym. Vol. III. p. 266., qui ad Liv. provocavit et Iuvenalem. Sed Livii loci libro 40., non, ut Doederlein. dicit c. 9., sed cap. 6. et 9. extr. *rudibus* editum est eademque correctio apud eundem 26, 51, 4. ex optimis codd. ab I. Fr. Gronovio adhibita est. Nec minus in Iuvenal. sat. 6, 248. *rudibus* corrigendum esse persuasum habeo. Metaphora e re gladiatioria petita est; gladiatores enim rudibus batuere solebant, non *sudibus*, quibus tirones usos fuisse pro gladiis, nemo veterum scriptorum dixit. Verissime igitur Lipsius et P. Faber Semestrium lib. sec. p. 243. ed. Paris. 1575. emendarunt *rudibus*, eosque reliqui eo magis imitati sunt, quod emendationem Cicero confirmavit de opt. gen. orat. 6, 17. *non enim in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus eius* (intell. Isocratem) *eludit oratio.* Alia imagine Quintil. usus est Inst. or. 5, 12, 17. *declamationes, quibus ad pugnam forensem velut praepilatis exerceri solebamus, olim iam ab illa vera imagine orandi recesserunt.*

sed auditorium semper novum, semper plenum. Transposui verba ex MS. Neap., [ut Bekker. et Boettich. e Farn. cod.], in reliquis enim libris exstat *sed aud. s. plenum, s. novum.* Schel. et Schulzio adversativa particula offensioni fuit, scripserunt igitur *et audit.*, prorsus eam delendam censuit Orellius, et Rauchenstein. emendavit *ad aud.* idque cum antecedentibus coniunxit.

bene dicta. MSS. Neap. [et Farn.] exhibent *breviter dicta;* edd. fere omnes in *bene dicta* consentiunt, sed Rud. Agricola maluit *nec male nec bene dicta*, et in Pithoei edit. utraque *nec bene nec male dicta* typis expressum est. Agricolae coniecturam Lips. et Broter. probarunt; Bipont. receperunt. Vulgatum Schulz. bene defendit: est βραχυλόγως dictum, hoc sensu: ut quidem male dicta sugillarentur et exagitarentur ab adversariis, ita tamen ut bene dicta aeque laudarentur ab illis: virtus enim et in hoste laudanda. [Sed *breviter dicta* Boetticher. restituit; „tam intentae erant in omnia diversae partes ut ne breviter quidem dicta iniudicata relinquerentur."] — MS. Neap. habet *dissimularent.*

in diversis subselliis. Intellige subsellia rei, in quibus advocati, testes, amici sedere vel, proprio vocabulo, adesse solebant.

inde quin immo. Sequutus sum MS. Neap., ex quo *inde* accessit, et deinde alio modo verba distinxi commate ante *ibi* posito. Editiones *inde* omittunt, [praeter Bekk. et Boettich., qui e cod. Farn. eandem scripturam receperunt eademque distinguendi ratione usi sunt].

praeceptoribus. Sic MSS. Neap. [et Farn.] Vaticc. edd. Broter. et

discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et adsuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non novi iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat sive defensionem, solus statim et unus cuicunque causae par erat. Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vi-

omnes recentiores, et inter priores unus Heumann. ex I. Fr. Gronov. coniectura. In edd. reliquis *praeceptionibus* exstat, quod nuper Orell. [et Rupert.] revocarunt, quia frequens abstractorum pro concretis usus sit, tum quia *praeceptoribus* reiiciatur propter praecedens *nec praec. deerat* et sequens *oratorum discip.* Alterum concedendum est, alterum nondum perspexi. — Pro *susceperat* ed. Riv. *susciperat.*

solus statim et unus cuicunque c. par. Edd. antiq. ante Lips.: *solus statim unicuique c. par*, quod praeferre mavult Dronk. Lipsius e cod. Farn. edidit *solus statim et unus cuicunque c. p.*, quod omnes receperunt sqq. Rectissime; est, ut Orellii verbis utar, exquisitius dictum pro eo, quod assolet: *unus solus;* quae notio quasi per antithesin complectitur omnia illa *oratorum discipulus*, *fori auditor*, *sectator iudiciorum.* Seebod. ed. pr. scripsit *cuique* pro *cuicunque.*

nonodecimo etc. Ad rem compara Quint. Inst. or. 12, 6, 1. *agendi autem initium sine dubio secundum vires cuiusque sumendum est. Neque ego annos definiam: cum Demosthenem puerum admodum* (XVIII annos natum) *actiones pupillares habuisse manifestum sit: Calvus, Caesar, Pollio multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima iudicia susceperint; praetextatos egisse quosdam sit traditum.* Rem bene illustravit C. A. Boettigerus in Prolus. de originibus tirocinii apud Romanos, Vimariae 1794., qui p. 5. docet adolescentulos in civis clarioris et in re publica iam diu versati accusatione vires suas periclitari solitos esse, *tirocinium*, ut solennis dictio erat, *posituri*, quia, ut apud Quint. est Inst. or. 12, 7, 3. *crediti sunt obsidem rei publicae dare malorum civium accusationem.* Cf. Gesner. et Spald. ad Quint. 5, 13, 3.

L. Crassus C. Carbonem. Rem narrat Cicero Brut. c. 43, 159. *accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adolescens;* de orat. 3, 20, 74. de se ipse Crassus profitetur: *quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim;* add. de Off. 2, 13, 47. Dissentit igitur a Cicerone Tacitus, cui maiorem in hac re auctoritatem tribuere, ut Lambino est visum Ciceronis verba corrigenti, nolumus. Crassus enim natus est a. u. 614. Q. Caepione et C. Laelio consulibus (cf. Brut. c. 43, 161.), Carbonem maiestatis accusavit a. u. 635., id quod colligere licet ex Cic de orat. 1, 26, 121. Ita iam statuerunt Beier. ad Cic. Off. Vol. II. p. 92. [Weichert. de Calvo in Poett. latt. rel. p. 109. et Meyer. orat. fragm. p. 109.]

uno et vigesimo Caesar Dolabellam. *vigesimo* restitui ex MS. Neap. et edd. antiquis cum Dronk. Osann. Orell., dum in aliis libris *vicesimo* scriptum est; neutiquam vero eidem Dronkio adsentior ex antiq. edd. tantum non omnibus *Dolobellam* edenti, quam nominis

gesimo Caesar Dolabellam, altero et vigesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insequuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.

XXXV. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos

formam veteres numi non adgnoscunt, ut Osann. docuit. Et in hoc numero mendum esse diu est ex quo perspexerunt Lips. ad h. l. et Casaubon. ad Suet. Caes. c. 4., nam *composita seditione civili Corn. Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum postulavit;* idque factum esse a. u. 677., ex Asconio in orat. pro Scauro T. XVI. P. II. p. 245. ed. Schütz. constat. Annum igitur Caesar egit *vigesimum secundum.* Non satis recte Pichena *tertio et vicesimo* scribendum suasit, nec rectius Osannus, qui dicit: „fortasse ordo commatum haud integer est, quem restitueris, si verba *uno et vigesimo Caesar Dolabellam* loco moveas, atque mutato *tertio* vel *quarto* inseras post Catonem." Alteram eiusdem viri docti dubitationem de *altero* Orellius satis refutavit Cic. ep. ad div 12, 25. Equidem nihil mutandum censeo. cf. Wesseling. Observatt. II, 18. p. 222. [Meyer. orat. Rom. fragm. p. 179., qui Emporii laudavit locum p. 311. ed. Capper.: *tum facta omnia* (Caesaris) *quaecunque poterunt in partem utramque ducentur. Dicetur enim accusatione Dolabellae famam magnae eloquentiae consequutus, negabitur eandem meruisse, cum is, quem accusabat, evaserit.*]

Asinius Pollio C. Catonem. C. Cato, qui Pompeii partibus favebat, a Pollione, Caesaris partium studioso, accusatus est lege Iunia et Licinia itemque lege Fusia. Tribunatum gesserat a. u. 698. cf. Cic. ep. ad Attic. 4, 15. 16, 17. Vide Heinrich. ad Cic. orat. part. ined. p. 6. [et Meyer. orat. Rom. fragm. p. 211.]. — Edd. antiquae *Assinius* exhibent eaedemque *C.* praenomen Catonis omittunt, quod cum Lipsio posteriores omnes addiderunt praeter Dronk. et Osann., qui vett. edd. negligentiam imitati sunt.

non multo aetate antecedens. MSS. Neap. et Vaticc. exhibent *multum;* deinde in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *aetatem* est, quod Rhenan. in castigatt. emendavit, et post eum *aetate* scriptum est ab omnibus. Recte. cf., ut unum locum proferam pro sexcentis, Quint. Inst. or. 10, 1, 103. *paulum aetate praecedens eum.*

Calvus Vatinium. cf. not. ad cap. 21. Egit eam causam septimo et vigesimo aetatis anno, natus enim est a. u. 672. (cf. Ruhnk. ad Vell. Pat. 2, 68.) et Vatinium ambitus reum fecit a. u. 699, [ut Weichert. docuit in Poett. latt. reliq. p. 109.].

hodieque: Edd. Spir. Put. Riv. Osann. *hodie* — edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *hodieque* — MS. Vat. 1862. et ed. Dronk. *hodie quoque*, quod ex interpolatione ortum videtur. Praeferenda est scriptura vulgata. cf. not. ad Germ. c. 3. Vide tu de huius particulae usu praeter eos, quos Dronk. laudavit, Pareum mantissa lex. crit. p. 90. [Herzog. ad Quint. libr. decim. p. 120. Fr. Roth. quaest. Tacit. in Seebod. *N. Archiv.* a. 1829. nr. 22.]

Cap. 35. *deducuntur in scenas.* MSS. Neap. [et Farn.] *d. in se in* — edd. Spir. Ber. Alc. *d. in scena* — edd. Put. Riv. *scaena*, quam scribendi vocabuli rationem

paulo ante Ciceronis tempora exstitisse nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestum est, quod [Marco] Crasso et Domitio Censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt. sed, ut dicere institueram, deducuntur in scholas, quibus non facile dixerim

pluribus nuper probatam Osann. commendavit ad Apulei. p. 123. et 124. — Rhenanus correxit in castigatt. *in scenas*, quod omnes retinuerunt, Lipsius etiam, qui coniecturam suam *in scholas* reiecit. Sic Plin. Ep. 7, 17, 9. *si latior scena et corona diffusior* [ac similiter Quint. Inst. or. 1, 2, 9. *nam optimus quisque praeceptor frequentia gaudet ac maiore se theatro dignum putat*]. Argutantur Lipsius et Ernest., dum vocab. ad rhetorum personatam eloquentiam fictasque res referunt.

Ciceronis. MSS. Neap. [et Farn. ap. Bekker.] *Cicero*, idemque liber *tempore* exhibet pro *tempora*.

[Marco] Crasso et Domitio Censoribus. Sic MS. Neap. et edd. antiquae, quod Seebod nuper revocavit. Sed error est apertus, non enim Marcus Crassus, Romanorum ditissimus, cuius infra c. 37. mentio iniicitur, sed L. Licinius Crassus, ut omnium testimoniis constat, censor cum Domitio fuit. Quapropter Pithoeus *L. Crasso* edidit eique Ernest. Bip. Oberl. Schulz. [Bekker. et Boetticher.] obsequuti sunt, quod ob librorum consensum repudiamus; alii, Schurzfleisch. Heumann Dronk. Osann. Orell. [et Rupert.] *Marco* deleverunt, ei innixi argumento, quod Domitii quoque nomini praenomen non praefixum sit. Equidem uncis nomen illud inclusi. De re cfr. Cic. de orat. 3, 24, 93., ubi Crassus in sermonem inducitur, *etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt, quos ego censor edicto meo sustuleram: non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam;* adde Quint. Inst. or. 2, 4, 42. Sueton. de clar. rhetor. cap. 1. et Gell. N. A. 15, 11. Factum id est A. U. 662., neque edictum censorium cum senatus consulto confudendum est, quo, C. Fannio et M. Valerio Messalla COSS., rhetores et philosophi Graeci urbe eiecti sunt A. U. 592. sive 593. cf. Ellendt. hist. eloq. Rom. p. XIV. Wetzel. ad Cic. Brut. c. 38.

ut ait Cicero. Locum adscripsimus supra; verba, quae Tacitus ante oculos habuit, haec sunt: *hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere.*

deducuntur. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. edd. Broter. et recentiores omnes pro edd. vett. et reliquarum ante Broter. corruptela *deducimur*, quam vel sine codd. auctoritate sustulissem, quia verba initio capitis posita repetuntur.

quibus. Schurzfleisch. Heumann. Schulz. Oberlin. Dronk. [Boettich. et Bekker.] praepositionem *in* addendam esse censuerunt, quam Orell. uncis circumdedit, reliqui cum MS. Neap. omiserunt. [Defendit eam scripturam L. Doederlein. comment. de brachylogia sermonis gr. et lat. Erlang. 1831. p. 5.; verba transcripsi: „Similis ratio praeposit. est *ἀπὸ κοινοῦ* demonstrativo et relativo appositarum; quem usum primus illustravit Schaefer. ad Soph. Oed. Col. 749. Latina exempla Heindorf. cumulavit ad Cic. N. D. 1, 12, 31. add. Otto ad Cic. Cat. mai. c. 6. Stallbaum. ad Plat. Phileb. § 20. p. 34. Vindicari sic poterit librorum lectio in Tac. dial. 35., dum ne il-

utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis adferant. nam in loco nihil reverentiae, sed in quem nemo nisi aeque imperitus intrat. in condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur. ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum

lud urgeas, quod cum alias vel *in* (ἐν) post *in* (ἐν) vel *in* (εἰς) post *in* (εἰς) omittatur, h. l. *in* (ἐν) ex *in* (εἰς) mutuandum est. Ratio et causa enim omittendi par, ne idem vocabulum sine rhetorica causa tam brevi intervallo bis audiatur. Herodotus saltem non dubitaverat praepositionem semel positam ad duos diversos casus referre IV, 122. πρὸς ἠῶ τε καὶ τοῦ Ταναΐδος." Quibus id saltem addendum est, explicandi rationem nimis coactam esse nec scriptorum locis satis stabilitam.]

utrumne locus ipse an etc. Ed. Spir. habet *locus iste.* Vocabul. *utrumne* et infra est cap. 37. et amat id Quintilianus cf. Spald. not. crit. ad 5, 11, 28. et ad 12, 1, 41. — Pro *adferant* Heumann. levi emendatione *afferat* scribebat.

sed in quem. Particulam hanc Acidalius iam mutare volebat in *scilicet*, quam coniecturam Orellio placuisse vix mirum est. Schurzfleisch. legendum suadet *in loco nihil reverentiae est*, *in quem* etc. obtemperante Heumanno; Ernest. *sed* prorsus delendum, Seebod. in *et* corrigendum opinabantur. Nulla emendatione opus est. [Boettich. haec adnotavit: Elliptice dictum est pro: *sed caret eo omnino, cum in eum nemo intret.*]

aeque imperitus. Sic MSS. Neap. et Vaticc. edd. Broter. et recentiores praeter Seebod. (ed. alt.) Orell. [et Rupert.], qui verborum ordinem eum reduxerunt, quem edd. ante Broter. praebent, *imperitus aeque*, quia, ut Orell. inquit, *aeque* saepius postponatur. Potior est librr. auctoritas, praesertim quum ita perversa distinguendi ratio tollatur, quae in multis libris comparuit: *imperitus, aeque intr.*, cuius enuntiati hanc sententiam excogitavit Schurzfl., talem locum, talem scenam esse rhetoricas scholas, ut nemo eas aequo animo possit aspicere.

inter adolescent. Sic MS. Neap. edd. Lips. sqq. — *in adolesc.* edd. antiquae, Aldina quoque, de qua falsa Osann. prodidit, ut solet; in edd. Spir. Put. Riv. *ĩ* expressum est.

et dicant et audiantur. MSS. Neap. et Vaticc. duplex *et* exhibent et ex illis librr. edd. Brot. Ernest. et omnes recentiores; in edd. prioribus alterum *et* neglectum est. Deinde *contrariae* sunt noxiae, *zweckwidrige*, ut infra quoque cap. 39. et apud Quint. Inst. or. 4, 2, 64. 5, 11, 31.; 13, 30. 9, 2, 81. saepius.

rhetoras. Sic edd. antiquae, Lips. Pith., quam formam Dronk. Osann. Orell. [et recentissimi edd.] restituerunt, quia et aliis locis, ut cap. 29. eadem est sine ulla diversitate. Primus Lips. *rhetores* scripsit eumque sqq. imitati sunt.

suasoriae et controversiae. Vid. Quint. Inst. or. 2, 1, 2. *nam et illi* (int. rhetores) *declamare modo et*

apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae. ex iis suasoriae quidem, etsi tanquam plane leviores et minus prudentiae exigentes, pueris delegantur; controversiae robustioribus adsignantur, quales per fidem et quam incredibiliter compositae! sequitur autem, ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhi-

scientiam declamandi ac facultatem tradere officii sui ducunt, idque intra deliberativas iudicialesque materias (nam cetera ut professione sua minora despiciunt). Genus demonstrativum (*ἐπιδεικτικόν*) negligunt; suasoriae vero pertinent ad deliberativum, controversiae ad iudiciale genus.

ex iis etc. Haec verba usque ad vocabul. *controversiae* in edd. vett. omissa sunt, oculi enim facile haec praetervidere poterant. Lipsius supplevit ea ex Farn. cod., quocum MS. Neap. consentit. Sed in illis libris *etsi tanquam* exstat, de quorum verbb. genuitate dubitatum est. Pithoeus post *etsi* asteriscum posuit, tanquam verba nonnulla excidissent; Muret. Freinshem. Acidal. Heumann. Schulz. Oberlin. Ernest. voc. deleverunt, quod audacius videtur; alii, ut Seebod. Osann. [Rupert.], uncis circumcluserunt; alii denique correxerunt. Sic Schurzfleisch. voc. *tanquam* etiam eiecto *ac si plane lev.* proposuit; Schneider. Observatt. p. 12. *sibi* ex *etsi* elicuit idque ad *exigentes* rettulit, unde otiosa oritur sententia; Dronk. *etsi* corruptum esse suspicatur ex *ac si*, quod scriba adposuerit pro *tanquam*; miro sane artificio; Orell. denique *sic tanquam* coniecit. [Bene de his vv. Boetticher. disputavit: Pithoeum iure asteriscum posuisse credo; nam ut controversiae in seqq. vituperantur, ita etiam de suasoriis simile quid iniectum fuisse non abhorret a vero. Cui sententiae favet quod sequitur *plane* i. e. utique, *doch wenigstens, doch auf jeden Fall.*]

pueris delegantur. MS. Neap. *deleguntur.* Discrepat Quint. iudicium in Inst. or. 2, 1, 2. *suasoriae, in quibus onus dicendi vel maximum est.*

robustioribus adsignantur. Ut in universum *robur* et ingenio tribui constat (vid. Walch. ad Tac. Agric. p. 152. [Sillig. ad Virg. Cir. v. 42. p. 207.]), ita *robusti* vocantur magis exercitati et in litteris profecti. Sic Quint. Inst. or. 2, 2, 14. *tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est*, ib. 5, 2. *robusti iuvenes*, similiterque ibid. 1, 5, 12.; 12, 9. 10, 1, 131.; 5, 1. al.

per fidem. Sic MSS. Farn. t. Lipsio et Neap. pro omnium editt. vett. corruptela *perfidiae.* Illud etiam apud Virg. Aen. 2, 141. *per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam intemerata fides, oro;* Petron. c. 100, 5. ab Orell. excitatum: *per fidem, inquam, pater, cuius haec navis est?* Sed alii insolentius hoc dictum putabant, quare Lipsius coniecit *per Fidium*; Ernest. et Osann. *pro fidem*, quod sine genitivo addito nunquam usurpari Orellius docuit; Groslot. *super fidem;* Bipont. *praeter fidem* maluerunt.

declamatio quoque adhibeatur. Mutila videbatur oratio; Pithoeus igitur post *quoque* voc. *similis* adiecit, et eadem opinione deceptus Acidal. *par* vel *similis* vel *talis* excidisse putavit; Schurzfleisch. *quoque* in *aequa* mutavit; Orell. post *quoque* inseruit *vana* Sed locus non desiderat emendationem, quia *declamatio* cum vi dictum et in sqq. bene explicatum est per vv. *ingentibus verbis persequantur.* Sententiam exposuit Schneider. Observatt. p. 13. „materia, quae ficta est ab rhetore

beatur. sic fit, ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum aut quidquid in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam ingentibus verbis persequantur: cum ad veros iudices ventum est,

multum deficit in exemplaribus.

rem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat.

neque ex rebus vere actis hausta, non nisi exercitationis loco esse potest et declamationem requirit." [cf. Garaton. ad Cic. or. Planc. p. 205. ed. Wund. et Th. Schmid. ad Hor. Ep. 1, 2, 2.]

tyrannicidarum praemia. Ed. Spir. *tyrañidarum pr.* De re cf. Quint. Inst. or. 2, 10, 5. *nam magos et pestilentiam et responsa et saeviores tragicis novercas aliaque magis adhuc fabulosa frustra inter sponsiones et interdicta quaeremus*; et Petron. Satyr. init.: *sed piratas cum catenis in litore stantes; sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant; sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa;* itemque Iuvenal. Sat. VII, 150. sq. Declamationes de perimendis tyrannis Iuvenal. l. l. commemorat: *quum perimit saevos classis numerosa tyrannos;* et eius argumenti sunt Quintilianeae decl. 282. et 288.

vitiatarum electiones. Spectat ad legem a Pithoeo commemoratam: rapta raptoris mortem vel nuptias optet; quam respexit Quint. Inst. or. 4, 2, 68. 7, 8, 4. et declam. 309. Inde quam falsum fuerit Lipsianum commentum *eiectiones*, satis adparet.

pestilentiae remedia. Talium declamationum exempla inter Quintilianeas sunt 326. et 384., inter Calpurnianas 19. et 43. v. Spalding. ad Quint. Vol. I. p. 311.

incesta matrum. Vid. Quint. decl. 330.

in schola. Ita schola cum exercitationibus suis et forum cum causis sibi oppositae esse solent, velut apud Cic. de orat. 2, 24, 100. Petron. c. 1. *hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos;* Quint. Inst. or. 2, 10, 9. *quae nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tirones in foro inveniunt;* ib. 4, 1, 46. *nam in schola liberum est: in foro rarum, ut sit idoneus suae rei quisque defensor.*

persequantur. MSS. Neapolit. [Farn. t. Bekk.] *prosequuntur* — ed. Spir. *persequuntur. Prosequi verbis* etsi dictum est velut apud Cic. pro Rosc. Amer. § 83. al., tamen in tali sententia non aptum est.

ventum est. In MS. Neap. integra paene pagina vacua deprehenditur, adiectis his verbis: *multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur.* In Farn. cod. teste Lipsio *hic multum deficit* additum est, [qua in re Lips. errasse Niebuhriana eiusdem cod. collatio demonstravit]. Margini MS Vatic. 1518. adscriptum: *hic desunt sex pagellae*, et in MS. Vat. 4498. legitur *hic multum deficit.* Edd. Spir. Put. et Riv. verba exhibent sine ullo lacunae signo, quam primus Beroald. indicavit. Deesse aliquid nemo tam caecis oculis est quin perspiciat, quum sequentia Materni verba sint; tamen Woltmannus negabat,

XXXVI. Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consequuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi adsequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat.

Perpauca deleta esse videbantur Schultingio et Schurzfleischio, quorum alter sic verba constituit: *cum ad veros iudices ventum est, nec rem cogitare possint, qui nihil humile, nihil alienum eloqui poterant. Commoveri ad haec Aper. At Maternus, Ita est, inquit; magna eloquentia* etc., nec melius hic refinxit: *cum, ubi ad veros iudices ventum est, nihil humile, nihil abiectum eloqui oporteat.* Uberius de hoc loco disputaverunt U. Becker. in Seebod. *Archiv f. Philol. u. Paedagog.* a. 1825. II, 1. p. 72. 74. et L. Doederlein. in Museo Rhen. III, 1. p. 16., quorum VV. DD. commentationes typis repetitae sunt in exempl. Orell. p. 96. — 100. Certi aliquid in tali re statuere cum difficilius videatur, sententiam meam qualemcunque nunc ἐπέχω.

Cap. 36. *clarescit.* Hoc verbum nitoris et splendoris aliquam significationem habet, ut Spalding. docuit not. crit. ad Quint. Inst. or. 6, 4, 9. coll. Zumpt. Vol. V. p. 347.

provexit. Sic MS. Neap. et edd. Lips. sqq. — Edd. veti. habent *pervexit*, quam confusionem notavimus ad An. 11, 8. in *pro-* et *perturbare* et alias saepissime. Eaedem edd. antiquae paulo post praebent *imbui*, pro quo post Lipsium omnes *tribui* exprimendum curarunt. Denique in eisdem libris *pleraque* scriptum erat pro eo quod nunc vulgatur, *plura.*

oratores. Hoc Schurzfleischio non placuit, quia dialogi initio dictum sit: *horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur*, quare *rhetores* substitui vult; temere.

composita et quieta. Synonyma coniuncta, ut infra cap. 40. *otiosa et quieta re.* Alia id genus in hoc capite sunt: *notitiae ac nominis*, quocum cur Langius p. XXI. not. 4. ed. Dr. et Roth. l. l. p. 33. locum An. 3, 55. comparaverint, perspicere nequeo. — *consilio et auctoritate*, quocum cf. de Germ. c. 12. *consilium simul et auctoritas adsunt*, Plin. Ep. 10, 30. Paneg. c. 88. — et ad figuram ἓν διὰ δυοῖν pertinet *invidiam aut crimen*, ut Hist. 3, 75. *invidiam crimenque*, de quo vid. Roth. l. l. p. 11.

fas erat. Schulting. contrariam postulat sententiam, quia oratores sub Caesarum imperio inter omnes excelluerint, ideoque *fas non erat* scriptum fuisse suspicatur. Sed quomodo haec convenirent Materni indoli?

illa perturbatione. Sic MSS. Neap. et Vaticc. edd. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.]; in reliquis edd. [etiam Rupert.] *ista perturb.* exstat. — Paulo post ed. Put. *tm̃* exhibet pro *tantum.*

saperet, qu. ... persuaderi poterat. Rauchenstein. emendationem suam *valeret* ipse repudiavit, idemque Heumanni correctionem *persuadere* eo removit, quod ad

hinc leges adsiduae et populare nomen, hinc conciones magistratuum paene pernoctantium in rostris, hinc adcusationes potentium reorum et adsignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et adsidua senatus adversus plebem certamina. quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur: quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores adsequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus noti-

infinit. passivi *eum sapere* intelligendum esse docet. Heumann. quoque deinde pro *leges adsiduae* coniecit *leg. agrariae*, eoque adpositionis loco *populare nomen* refert; sine ulla causa.

et populare nomen. Copulam omiserunt edd. Alc. Rhen. Ald. al., sed bene eam ex MSS. Vaticc. et Neap. Broter. Ernest. et sqq. restituerunt.

concion. magistratuum paene pernoctantium in rostr. Edd. antiq. habent *contiones migrantium*, Lips. e Farn. cod. emendavit *magistratuum*, quae quidem scriptura ob litterarum compendia facili negotio poterat corrumpi. Sed ipsa illa corruptela effecisse videtur alteram h. l. depravationem in edd. Ber. Alc. Rhen. Ald., quae *ac pene* praebent, dum MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Lips. sqq. *ac* omittunt, uti par erat. De re compara Petron. Satyr. p. 60, 2. ed. Wechel. *advocati iam paene nocturni*, quem ad l. Pithoeus Senec. de brevit. vit. laudavit: *non est quod me solos putes dicere occupatos, quos a basilica emissi demum canes eiiciunt.* Loquutionem Cicero quoque usurpavit Brut. c. 89, 305. *et ii quidem habitabant in rostris*, et, quanquam alia in re, de orat. 2, 27, 292., pro Muren. c. 9. *habitare in foro*, Tusc. disp. 5, 24, 69. *quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis.*

potentium reorum. Ed. Spir. *pot. rerum.* De vocabuli significatu cf. Walch. ad Agric. p. 401., qui, ut reiicerem coniecturam *virorum*, disputatione sua effecit.

factiones. Hoc vocabulum deest in edd. antiquis; Lips. id adiecit e cod. Farn., eidemque libro debemus, si paulo post idem Lipsius edd. vett. corruptelam *senectutis* in *senatus* mutavit, et *magnis cum. praemiis* pro *magis cum. pr.*, quod in vett. edd. expressum erat. Nonnulla in his sat levibus coniecturis tentata sunt; Osannus impingebat (sic) in voc. *singula* et lenissima (ut ipse dicit, equidem malim levissima) mutatione scribendum suadet *simultates.* Iure id vituperavit Orell., quia sententia haec est: „omnia illa, quae commemorata sunt et quidem singula propter proprias causas distrahebant rem publicam." Sed Orell. quoque vituperandus est coniiciens *magn. cumulari praemiis*, ad quod ductus est, quia duriorem esse accusativi omissionem sentiebat. At vero accusat. adest sc. *eloquentiam*, eam i. e. homines eloquentes, praemiis cumulare videntur. [Eadem explicandi ratione Boetticherus nuperrime usus est.]

anteibat. Ed. Spir. exhibet *anteibant*, eadem *Cato* pro *tanto*,

tiae ac nominis apud plebem parabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant: hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant: hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur: hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. quin immo sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentia aut adsequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur: cum parum esset, in senatu breviter censere, nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur: cum in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum haberent, cum testimonia quoque in iudiciis non absentes nec per tabellam dare, sed

et deinde *aut principes* exstat in edd. Put. Riv. Ber. Alc. pro *apud princ.*, quod in ed. Spir. est quodque Rhenan. et sqq. revocarunt.

parabat. Edd. Pith. Lips. sqq. habent *parabat* ex coniectura, ut videtur; nam in MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *probabat* scriptum est. Verba *parare*, *apparare*, *comparare* saepe sine casu ponuntur, Ruhnken. ait dictat. Terent. p. 35. ed. Schop.

hi. Ed. Spir. *hic.* — Deinde Lipsius e Farn cod. haud dubie correxit *reversi* pro edd. vett. lectione *reversuri*, quae adeo absurda est, ut mirandum sit, Osann. tale librariorum παρόραμα revocare potuisse. — Denique ex eodem codice, ut docet MS. Neap. collatio, altera Lips. emendatio hausta est: *hos et praet. et consulatus vocare ultro videbantur*, quae deinceps in omnibus edd. locum obtinuit practer Osann., in qua restituta est vett. edd. scriptura *hi et praeturae et consulatui vacare u. vid.* Eam Dronk. quoque defendit et explicavit: per se videbantur destinati esse praeturis et consulatui. [Rupert. haec scripsit pariter improbanda: „suspicari possis scribendum esse *his et praeturae et consulatus vacare u. vid.*"; de quo suum cuique esto iudicium.] — Paulo post *quidem* in vv. *ne priv. quidem* interpositum est *quod*, natum fortasse ex compendio partic. *quidem*.

nisi quis . . . . tueretur. Sic MSS. Neap. [et Farn. apud Bekker.], idem ex margine Lipsii edd. posterr. Heumann. Broter. Oberlin. [Bekk. et Boettich.] receperunt. Edd. antiquae et sqq. pleraeque [Rupert. quoque] exhibent *nisi qui ... tuerelur*, et Ernest., cui pluralem requiri persuasum erat, *qui* deleto *tuerentur* correxit, uno oblemperante Schulzio.

testimonia. MS. Neap. *testimonio*, [idem in cod. Farn.]. Cf. Quint. Inst. or. 5, 7, 1. *maximus tamen patronis circa testimonia sudor est. Ea dicuntur aut per tabulas* (quod noster dixit *per tabellam* cf. Heinrich. ad Cic. oratt. part. ined. p. 11.) *aut a praesentibus*, et ib. § 3. *cum praesentibus vero ingens dimicatio est ideoque velut duplici contra eos proque iis acie confligitur, actionum et interrogationum.*

in iudiciis, non absentes. MSS. Neap. [Farn.] *absentis;* iidem libri

coram et praesentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat: et quomodo disertum haberi pulchrum et gloriosum: sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur. Ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur: ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur, ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent, ne tanquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur.

XXXVII. Nescio an venerint in manus vestras haec

et edd. omnes ante Heumann. *in publicis non absentes*, quod ferri non posse unicuique adparet. Aliis aliquid excidisse videbatur iique lacunae signa adposuerunt; sic Seebod. Dronk. Osann. Orell.; Rudolph. Agricola *in publicis iudiciis*, Cuiacius *in iudic. publicis* coniecerunt; Bipont. et Schulz. *in publicis causis* maluerunt. Sed *publicis* h. l. otiosum est, cum nihil intersit, utrum publicae sint causae an privatae. Optimum igitur est, quod Heumann. suasit, *in iudiciis*, idque Ernest. Oberl. [Bekker. et Boettich.] receperunt.

cogerentur. Ed. Spir. *coegerunt.*

et quomodo . . . gloriosum, sic contra etc. MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. et sqq. ad Heumann. praebent *et commoda disertum haberi p. et glor.: sed contra* etc., quod nuper Osann. revocavit, quia sensu iusto haud careat; quem explicare debebat V. D. Muretus verba transposuit *praemia et commoda;* Schelius correxit *et non modo disertum haberi;* Broter. voluit *nec modo dis. haberi;* Acidalius denique praestantissime emendavit *et quomodo dis. hab., sed contra* etc., in quibus residet vitium Schurzfleischii coniectura *sic contra* sublatum. Ita ediderunt Heumann. Bip. Schulz. et recentiores fere omnes. In MS. Neap. *magna* omissum est, [in cod. Farn. *magna* et *accedebat*].

ergo non minus. Sic Lips. et sqq. recte, ita est enim in MS. Neap.; ed. Spir. *ergo non* omisit, ex eiusque auctoritate Osann. ea verba delevit; edd. Put. Riv. et sqq. ad Lipsianam *non minus.*

stimulabantur. MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *stipulabantur*, Rhenanus correxit, quod nunc vulgatur.

clientulorum. Sic MSS. Neap. [Farn.] edd. Alc. Rhen. et sqq. ad Broterium et Ernest., optime. F. A. Wolfius in l. *Vermischte Schriften* p. 162. haec dicit: „certe priscis (Plaut. mil. gl. 3, 1, 194. et Hor. Carm. 2, 18, 8.) in usu fuit *clienta*, Asconio (in Verr. 2, 1, 46.) *clientula. Clientus* quidem fortasse non fuit; sed meminerimus, ab *infante* essse *infantulum*, ab *adolescente* item *adolescentulum.*" In edd. Spir. Put. Riv. Ber. *clientularum* exstat, unde Ernest. praeeunte Schurzfleisch. *clientelarum* coniecit, probantibus Broter. et Schulzio. Sed recte ad codd. scripturam recentiores redierunt. cf. not. ad An. 12, 36.

transirent. MSS. Neap. et Vaticc. edd. antiquae *transissent*, male.

Cap. 37. *manus vestras.* Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. *man.*

vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur: ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. ex iis intelligi potest, Cn. Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse: Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram proce-

nostras; Rhenanus emendavit satis vulgarem errorem, et *vestras* in MS. Neap. est. — Paulo post Schurzfleisch. haesit in *vetera* i. e. scripta, acta aliaque id genus, et pro *haec vetera* coniecit *adversaria* scribendum, quod ed. Bipont. adripuit.

et in antiquariorum bibliothecis. Sic MSS. Neap. [Farn.] edd. Orell. [Bekker. et Boetticher.] — Schurzfleisch. emendaverat: *quae et antiquariorum biblioth.*, sed praepositio omitti vix potest; confirmatur etiam MS. Vat. 1862., cuius lectionem *quae et in antiquorum biblioth.* Broter. et Schulz. receperunt, et MS. Vat. 1518, in quo *quae in antiquorum bibl.* scriptum est, id quod Heumann. coniectura dudum proposuerat et Ernest. Oberlin. Osanno al. persuaserat esse rectissimum. Sed iure quaesiveris, qui sint antiqui? num, ut Osann. opinatur, „ii, quorum aetas ad priora illa tempora, quibus oratores illi laudatissimi inclaruerunt, vergebat ac paene contingebat?" Scilicet *seniores* significatos esse Osann. vult eosque novitio ac inaudito eius voc. usu *antiquos* vocat. *Antiquariorum* verum est, ut cap. 21. et infra cap. 42., Sueton. Aug. c. 86., et indicantur antiquitatis amatores et antiquarum rerum studiosi. Male in hac scriptura Bip. Seebod. Dronk. *et* omiserunt. [Rupert. de Vaticc. codd. glossis h. l. somniatur et vett. edd. scripturam restituit, ut adsolet.]

cum maxime. Sic MS. Neap. ed. Spir. et recentiores post Ernest. pleraeque praeter Bip. et Seebod., quibus edd. Put. Riv. et sqq. usque ad Ernest. scriptura *nunc maxime* videbatur praestantior. Sed non convenit id huic loco (vid. not. supr. ad cap. 19. et Boettich. Lex. Tac. h. v.), cui ex Orellii sententia *nunc quum maxime* (id apud Fronton. p. 143. exstat, v. Arntzen. ad Paneg. lat. p. 14.) aptius esset.

a Muciano contrahuntur. Ed. Spir. *in Mutiano*, quam nominis formam deteriorem esse ad Hist. 1, 10. docui. Intellige M. Licinium Crassum Mucianum. cf. ad Hist. 2, 5. Pro *contrahuntur* Heumann. *protrah.* correxit, male, quia de excerptis et undecunque collectis sermo est. Deinde crebra confusione ed. Spir. *at* exhibet pro *ac.*

ex iis. Sic MS. Neap., quare delevi edd. omnium errorem *ex his*, quem vel Orellius servavit. [Bekker. et Boettich. *iis* scripserunt, de cod. vero Farn. tacent.]

Cn. Pompeium et Marcum Crassum. *Marcum* totidem litteris in edd. antiquis est, una excepta Puteol., quae *Marchum* praebet, ut supra c. 35., ideoque Dronk. et Osann. [item Bekk. Boettich. Rupert.] revocarunt. Eosdem viros coniunxit Tacit. An. 1, 1. *Pompeii Crassique potentia.*

non viribus modo et armis. Est Hendiadys, ut Hist. 4, 23. *vis et arma*, ibid. 4, 68. *vim atque arma;* Agric. c. 30. *proelium atque arma;* Hist. 2, 74. *bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires*; Plin. Ep. 2, 7, 2. *vi et armis.*

rum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. His accedebat splendor reorum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. nam multum interest utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, de expilatis sociis et civibus trucidatis. quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus, in quo nihil tale patimur, ita, cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et inlustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. non, opinor, Demosthenem orationes inlustrant, quas adversus tutores suos composuit; nec Ci-

sine aliqua eloquentia. Additum est pronomen e MS. Neap. [item e Farn. cod. a Bekker. et Boettich.], dum omnes edd. *aliqua* omittunt. Habet vero, quo commendetur; nam non summa quaeque in eloquentia adeptus esset necesse erat, sed, ut non plane inexercitatus esset, requirebatur.

accedebat splendor reorum. MSS. Neap. [et Farn.] *accedat*, media syllaba, ut fit, omissa. Deinde e MSS. Neap. et Vaticc. cum Seebod. Dronk. Osann. [Bekker. et Boetticher.] *reorum* scripsi, ut supra cap. 36. dixerat *adcusationes potentium reorum*, ne inanis tautologia restaret, quam vulgata scriptura *splendor rerum* scriptori obtrudit. Quid enim intercedit discriminis inter *splend. rer.* et *magnitudo causarum*? Orellius tamen eam lectionem defendere ausus est eo, quod *splendor* de Catilina, Verre, aliis id genus reis vix dici possit, et postea quoque *amplitudo rerum* commemoretur. Sed eo ipso adducor, ut h. l. *rerum* splendidarum mentionem otiosam putem, et Verri, Catilinae sexcenti poterunt opponi clarissimi viri in iudicium vocati, dummodo unius Ciceronis orationes perlustraverimus.

aut formula et interdicto. Schulting. malebat refingere *aut formula interdicti*, in eaque sententia Heumann. eum sequutus est; sed tali non opus est mutatione, quia utrumque per se consistit; *formula* tamen plus contineat, *interdictum* vero imprimis in controversiis de possessione inductis locum habeat. De illa cf. not. ad cap. 20., de hoc vid. Ernest. Clav. Cic. h. v. — Pro *dicendum* in ed. Spir. *dicendi* exstat.

de expilatis sociis. Praepositionem praebet MS. Neap. [itemque edd. Bekk. et Boettich. e Farn. cod.]; in edd. omnibus *de* neglectum est. Deinde in MSS. Neap. [et Farn.] ed. Spir. *comitibus* scriptum est, errore ex praecedenti vocab. *sociis* orto; bene cum Puteolano omnes *civibus* ediderunt.

opt. civ. status haben' , in quo etc. Haec verba e MS. Neap. emendavi, in quo verbum subst. *est* post *habend.* omissum, praepos. *in*, qua aegre careamus, addita est, ut in MSS. Vaticc. 1862.

ceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. Non quia tanti fuit rei publicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus exstitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. similis eloquentiae conditio. nam quo saepius steterit tanquam in acie, quoque plu-

et 4498. Inter scriptoris verba Seebod. Dronk. Osann. et Orell. posuerunt, sed Orell. uncis circumdedit. [Bekker. et Boettich., Farn. librum sequuti cum Walth. consentiunt.]

P. Quintius defensus. Hanc nominis formam vett. edd. usque ad Pithoeum et Lipsium, MS. Neap. et nuperae Seebod. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.] edd. praebent; in ed. Spir. *Quintꝰ* exstat; reliquae vero [Rupert. quoque] *Quinctius* exhibent. In ed. Ber. *defensus* bis scriptum est.

Licinius Archias. Sic MS. Neap. edd. Lips. et sqq. praeter Dronk. et Osann., qui edd. antiquarum scripturam *Lic. Archias poeta* revocarunt. Tale additamentum facile oriri potuit, cum ea Ciceronis oratio in omnium manibus versaretur. Quam orationem, ut praeteriens hoc attingam, nuper a Schroetero post Klotz. in Act. litterar. Vol. IV. p. 50. Ciceroni abiudicatam esse mirum sane, quum haec Taciti verba Ciceronianam eius originem satis probent. Sed huius iudicii nemo recordatus esse videtur. [Nuperrime dixit de hac re Rud. Stuerenburg. in praef. Cic. orat. pro Archia, Lips. 1832. p. VIII., qui ex h. l. probat, eam orationem ex mediocrium esse numero.]

hanc illi famam circumdederunt. cf. not. ad Agric. c. 20.

tanti fuit rei publicae. In edd. antiquis, Lips. Pith. Bernegg. Gronov. Ernest. per compendium *R. P.* scriptum est, in qua dativum *rei publicae* latere cum Heumanno Seebod. Dronk. Osann. Orell. [et nuperrimi] suspicati sunt. Recte, cf. infra c. 40. *sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit;* Quint. Inst. or. 1, 6, 38. *sed huic tanti fuit vertere*, aliaque multa apud Beneke ad Cic. orat. Catil. I. c. 9. p. 80. sq. Inde adparet Bipont. Schulz. et Oberlin. male accusativum *rem publicam* reposuisse. — Pro *sciamusque* ed. Beroald. *saciamusque* habet.

exstitit. Lipsius in margine posteriorum edd. *exsistit* notavit idque Seebod. ed. alt. ex eaque Dronk., sed is invitus, receperunt. Perperam; nam praeteritum perfectum ea vi accipiendum est, quam ad Agric. c. 9. inlustravimus, ut id quod soleat fieri, quod identidem factum sit, significet. [Cf. Spalding. ad Quint. Inst. or. 3, 7, 15. 12, 9, 14. Bentl. ad Hor. carm. 3, 23, 19.]

eloquentiae. Schelius coniiciebat *eloquentis*. — Deinde in MS. Neap. *et* ante *intulerit* desideratur, quo ad concinnitatem enuntiati servandam opus est; et servant omnes editiones.

res et intulerit ictus et exceperit, quo maior adversarius et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secura nolint.

quo maior adversarius et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit. Sic verba haec restituenda videbantur, quae in plerisque libris corrupta sunt. Emendationem suaserunt MSS. Neap. et Farn. (apud Lipsium), in quibus *quo m. adv. eo acrior per pugnas sibi ipsas desumps. et* pro *eo* MS. Vat. 1862. debemus, ita ut Latinii coniectura aliquo saltem testimonio stabilita sit. Edd. antiquae et posteriores omnes usque ad Bipont. exhibent: *eo acrior, qui pugnas sibi asperas desumpserit.* Unde quum aptam sententiam elicere non possent, ad coniecturas plerique confugerunt. Lipsius coniiciebat: *quanto maior advers, et acrior, quo plures pugnas* etc.; Acidal. verba transposuit: *et exceperit, eo acrior; quo maior adversarius, tanto altior et excelsior, qui pugnas sibi asperas desumpserit;* Schelius maluit: *quo acrior, quem per pugnas sibi asp. des.;* Rutgers., ut translatum dicendi genus servaretur, correxit: *eo acrior par, qui pugnas s. asp. des.;* Schurzfleisch.: *quoque maior adversarius, eo acrior orator, qui pugnas sibi asperas desumserit;* Heumann.: *quo m. advers. et acrior pugnas s. asp. des.;* Latinus Latinius Biblioth. t. II. p. 37. b. *et acrior, quicum pugnas s. asp. des.*, id quod Bipont. Schulz. (qui *et quo acrior* praetulit) Oberlin. Dronk. et Osann. recipiendum esse censuerunt; Orell. denique: *quanto acrior adversarius est et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit*, quem ita sequutus sum, ut magis codd. scripturam imitatus verba refingerem. Verborum sententia planissima est. [Consentiunt cum W. Bekker. Boettich. et Rupert., unus Boettich. *quo maiores adversarios* coniicit, quod mihi admodum placet, etsi in verbi omissione non haeream.]

illis nobilitata discriminibus. MS. Neap. edd. antiquae et omnes ante Bip. habent *illis nobilitatus criminibus*, quod duplicem ob causam ferri nequit, quia *crimina* in hunc locum non cadunt, et, cum omnia ad eloquentiam referantur, *nobilitatus* duriorem voc. *orator* ellipsim flagitat. Quare et ii vituperandi sunt, qui *nobilitatus* servato vel *discriminibus*, ut Schulz. Dronk. Orell. al., vel *certaminibus*, ut Acidal. Osann. Seebod. emendaverunt. Verum vidit Lipsius, qui *nobilitata discriminibus* correxit idque rectum esse Schelio, Latinio, Heumanno, Bip. [Bekk. et Boettich.] persuasit. [Rupert. edidit vel potius edere voluit *nobilitata certaminibus.*]

in ore hominum. Edd. antiquae *more hominum* habent, quod Osann. et ad h. l. et in Auctar. Lex. Graec. p. 26. defendit, quo successu, Orellius ostendit. Nihil verius est quam quod Lips. e Farn. cod. (non ex ingenio, ut Orell. videtur, si quidem ille dicit: „clara emendatio. Editi libri *more*", quod ab Orell. neglectum est), quocum MS. Neap. facit, reposuit *in ore hominum agit* i. e. coram omnibus versatur, omnibus conspicua est. Sic Hist. 3, 36. *non in ore vulgi agere*, ut ex optimis libris pro deteriorum codd. corruptela *more vulgi* correximus; ib. 2, 73. *erat tamen in ore famaque Vespasianus.* Nihilominus in tanta perspicuitate Schneider. Observatt. p. 13. *in morem* substituere volebat, i. q. idem esse atque *ex more* et sententiam inde orire hanc: eloquentia agit uti homines solent, semper exoptantes securitatem, opinatur.

ut secura nolint. MSS. Neap.

XXXVIII. Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum; quae etsi nunc aptior exstiterit, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo

et Vaticc. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. exhibent *ut secura velint*, quod Dronk. nuper defendit; sententiam enim hanc esse statuit homines natura ita comparatos esse, ut securitatem sibi exoptent, aliorum vero periculis ac discriminibus valde delectentur. Quod per se verissimum est, sed non h. l. aptum; cum id potius scriptor dicere debeat, homines periculis gaudere neque otium ac securitatem probare. Bene igitur Rhenan. in castigatt. *nolint* correxit, quod sqq. fere omnes adprobaverunt. Sed tamen dubitandum est in illo librr. consensu; quapropter eorum sententiae accedere malo, qui orationem mutilatam esse censent. Eo perductus Rudolph. Agricola *ut dubia laudent, secura nolint* scripsit, quod improbandum non minus quam Acidalii commentum: *ut dubia laudent, secura malint.* Agricolae sententiam Lips. et Schurzfleisch. probarunt; Acidal. correctionem Heumannus recepit. Orell. lacunae signa posuit, servato librr. vett. lectione *velint*, quam et ego servassem, si ex libris adiumenti aliquid nactus essem. [Inter recentissimos edd. dissensio est; Boettich. et Rupert. *nolint* praetulerunt; Bekker. *velint*, sed ne verbulo quidem addito, ut solet, edidit.]

Cap 38. *ad formam.* Sic edd. Put. et sqq. omnes, etiam ed. Riv., in qua *forumve* reperisse Schurzfleisch. dicit; una ed. Spir. *ad fortunam*, et typothetae culpae tribuendam, quod Schulz. exhibet, *ad forum.*

quae etsi nunc aptior exstiterit, eloquentiam tamen illud f. etc. Verba sanare studui coniectura partim, partim e codd. Vaticc.; coniectura tamen scriptura antiquitus tradita nititur, nam MS. Neap. et edd. antiquae habent: *quae etsi nunc aptior est: ita erit eloquentia: tanto* (in ed. Spir. *tantum* exstat) *illud for.* etc., id quod posteriores quoque edd. usque ad Broter. et recentt. pleraeque conservarunt, sed eae non sine additis vel lacunae vel corruptelae signis. Ex verbis *est ita erit* equidem *exstiterit* scriptum fuisse coniicio, eodem significatu usurpatum, quo aliquoties iam, velut capp. 20. et 37. extr. deprehendimus; *tamen* e MSS. Vaticc. dudum repositum erat. Ingens est emendationum numerus, quibus VV. DD. depravata verba in integrum restituere conabantur, sed reiiciendae sunt omnes. Rhenan. *arctior* castigabat; Lipsius in ed. Antverp. suadebat: *quae etsi n. a. est, attamen certe eloquentiam tanto* (quod Orell. neglexit) *i. f.* etc., in posterioribus edd. Rud. Agricolae correctioni: *q. e. nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen* etc. ita favebat, ut omnia alia prae illa inania esse contenderet; quo quidem iudicio adducti Gronov. ad Senec. de ira 2, 29., Heumann. Schulz. [Bekker. et Boettich.] in eadem adquieverunt. Aliud vocabulum Bipont. cum Oberl. substituebant: *q. e. n. aptior est civitati, eloquentia tamen* etc.; Muret. volebat: *q. e. n. aptior est, at certe eloquentia; tamen illud* etc.; Acidal.: *q. e. n. aptior existimetur, eloquentiam tamen* etc.; Latin. Latinius: *Quae etsi nunc arctior est, ita erit eloquentia. Antea illud forum magis exercebant;* Schulting.: *q. e. nunc aptior est, intererit ea eloquentia tamen, quam illud* etc.; Schurzfleisch.: *quae etsi nunc aptior est temperiei, eloquentiam tamen ... exercebat;* et apud eundem sunt qui corrigant: *quae quanto apertiori excita erat eloquentia;* Dronk. verba dubia omisit et reliqua sit constituit: *quae*

nemo intra paucisssimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti frenos

etsi n. a. est, eloquentiam tamen etc., et Rauchensteinio placebat: *qua, etsi nunc aptior est, ita periit eloquentia. Tanto* etc. vel, quod melius ipsi videtur, *uti periit el.*, quae sententiam minime aptam praeberent. [In MS. Farn. Bekkero teste *erit* omissum est, de quo dubito.]

horas. Ed. Spir. hoc vocabulum neglexit.

liberae comperendinationes. Comperendinatio est rei vel causae, de qua agitur, in tertium diem dilatio; tertium enim diem *perendinum* vocatum fuisse, ex Cic. pro Muren c. 12. [Gell. N. A. 10, 24. Fest. v. *res comperendinata*] constat. Ex Pseudoascon. ad Cic. Verr. II, 1. cap 9 adparet aliam compe-rendinationis significationem fuisse in iudiciorum privatorum ordine, aliam in ordine publicorum iudiciorum. Ea est autem litis dilatio, quae ex mutua litigantium promissione (*vadimonium* vocant), se tertio die apud iudicem adfuturos esse, oritur. Ita Macrob. Saturn. I, 15. *comperendini dies sunt, quibus vadimonium dicere licet* coll. Gell. N. A. 7, 1. Latius patuit compe-rendinationis usus in quaestionibus, si quidem res uno die ad finem perduci non potuit. *Ampliatio* ex iudicum sententia *N. L.* (*non liquet*) decernebatur. Cf. Brisson. de formulis V, 3. Heineccii synt. ant. IV, 18, 30. [Zimmern, *Rechtsgesch.* Vol. III. § 38. 109. 110. et Alberti Spiessii diss. de comperendinatione. Lips. 1728.] Ed. Spir. habet *libere compendi nationes.*

modum dicendi. MSS. Neap. [Farn.] *dicendo.*

finiebatur. Sic MS. Neap. edd. Lips. et sqq. — ed. Spir. *favebatur*, qua ex corruptela lectio edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. *cavebatur* orta est. Dronk. et Osann. eam revocarunt, non reputantes, tale dicendi genus *numerus* ... *cavebatur* nunquam in usu fuisse.

primus haec tertio consulatu. Emendavi haec verba e MS. Neap. [quocum consentit Farn. cod. apud Bekker. eandem scripturam sequutum], quanquam *illa* requiritur: quia verba ad antecedentia, non ad sequentia spectant. Mutili sunt antiqui libri editi; edd. Spir. Put. Riv. (ex qua falsa profert Schurzfleisch., ut saepius): *Primus huius cos.* — Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. et sqq. fere omnes *primus tertio consulatu.* Sed ob spatium in antiquissimis edd. vacuum relictum deesse verba nonnulla creditum est; lacunae igitur signa Dronk. Osann. al. interposuerunt; supplementis scriptoris orationem auxerunt alii. Sic Rudolph Agricola coniiciebat: *primus huius rei spatia tertio consulatu*, quod Seebod. ed. pr. adprobavit; Lipsius: *primus huiusce spatia t. c.*; Schurzfleisch. malebat: *primus huius spatia t. c.*, id quod Seebod. ed. alt. praebet; Broter. *huiusmodi spatia* excogitavit; Orell. propter *huius* i. e. *HUIUS* scriptum fuisse *III COS.* i. e. *tertium* vel *tertio consul* suspicatus est; Hofmann. Peerlkamp. ampliore supplemento verba adauxit hoc: *primus huius libertatem consuetudinis Cn. Pompeius adstrinxit.* — Est vero intelligenda lex Pompeia de ambitu, qua, ut apud Cic. ep. ad Attic. 10, 4. legitur, gravior poena et breviora iudicia constituta sunt; ternarum horarum spatium ad dicen-

eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur; apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod maius argumentum est, quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Coelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii, quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et adsidua senatus tranquillitas et maximi principis disciplina ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat.

dum concedebatur. Cfr. Ernest. Clav. Cic. p. 33. et Bach. histor. iurisprud. Rom. II, 2. § 87. et quae Tacitus narravit An. 3, 28.

legibus. Edd. antiquae et omnes, quae ante Ernestium prodierunt, exhibent *in legibus*, sed praepositionem, quam Acidalius iam, Schulting. et Heumann. delendam censuerunt, omittunt MSS. Neap. et Vaticc., quorum auctoritati edd. recentt. post Ernest. obsequuti sunt. *Ex legibus* et Schulting. probaret et Ernestius. — Deinde in Riviana ed. *gerentur* est pro *gererentur*.

solita sint. Sic MS. Neap., adeoque confirmatum est satis, quod Acidal. coniectura adsequutus est, quodque post Heumann. plerique receperunt. Veterem lectionem *solita sunt* Seebod. ed. alt. Dronk. Osann. [et Rupert.] revocarunt.

[*aliorum iudiciorum.* Meyer. orat. Rom. fragm. p. 214. *illorum* emendavit, sc. quae apud praetores fiebant; bene.]

legatur. Ed. Spir. *legant.*

pro heredibus Urbiniae. Primus sic emendavit Lipsius, quocum omnes posteriores faciunt; in MS. Farn. (Lipsio teste) exstat *Uriniae*, in MS. Neap. *urivae*, [quod in Farn. quoque cod. inesse Bekker. testatur, et quidem verius]; edd. Spir, Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. habent *Ironiae*; ed. Riv. *heroniae.* Alias quoque id nomen corruptum est, ut apud Charis. p. 59. ed. Putsch., quo loco Bondam. Var. Lect. p. 22. et Faber ad Senec. Exc. Controv. p. 442. *provinciae hered.* in *Urbiniae hered.* mutaverunt. De lite Quintilian. dixit Inst. or. 7, 2, 4. 5. eamque uberius narravit Spalding. ad Quint. 4, 1, 11. Clusinius Figulus Urbiniae cuiusdam hereditatem sibi vindicabat eo, quod mortuae se filium dicebat esse, cum heredes eum servum, Sosipatrum nomine, esse contenderent. — Paulo post ed. Spir. *inscribantur* habet pro *inscribuntur.*

longa t. quies et continuum p. otium. Edd. Put. et Riv. *a continuum* exhibent, ex quo *ac* scribendum esse coniicerem, si alia testimonia accederent. Synonyma haec, de quibus cfr. Doederlein. Lat. Syn. et Etym. Vol. I. p. 79., coniuncta sunt Agric. c. 6. *quiete et otio*, c. 21. *quieti et otio*, c. 42. *quietem et otium*, c. 40. *tranquillitatem et otium*; de Germ. c. 14.

XXXIX. Parvum et ridiculum fortasse videtur, quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo ut rideatur. quantum humilitatis putamus eloquentiae adtulisse paenulas istas, quibus adstricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? nam quomodo nobiles equos cursus et spatia probant, sic est aliquis oratorum campus, per

longa pace et otio, c. 40. *pax et quies;* Cic. de sen. c. 33, 82. *otiosa aetas et quieta;* Plin. Ep. 8, 9, 1. *olim nescio, quid sit otium, quid quies*, Paneg. c. 79, 5. *otio tamen et quiete recreasset.* cf. not. ad Agric. c. 6.

Cap. 39. *videtur.* Sic MS. Neap. edd. antiquae et sqq. ad Ernest. fere, Osann. quoque [et Rupert.], sed non latinum hoc videbatur plerisque, ideoque ab Ursino, Mureto, Acidal. *videbitur* emendatum est, quod Heumann. Ernest. et sqq [Bekker. et Boettich.] receperunt. Grammaticorum est ea ἀκριβεία, non ipsorum veterum scriptorum. Cum sententia comparandus est Plin. Ep. 1, 6. init.: *ridebis et licet rideas.*

paenulas istas. MS. Neap. et edd. vett. nonnullae *penulas* habent, in aliis *poenulas* est, sed aliorum locorum comparatio et graeca vocabuli forma scribendi rationem vulgatam defendunt. Paenula vestimentum erat itinerarium arcendae tempestati adcommodatum cf. Cic. pro Mil. c. 20. al. apud h. l. interpr. Sed nemo est qui eas causidicorum vestimentum fuisse unquam tradat, et Quintil., qui Inst. orat. 11, 3, 137. sqq. de cultus et amictus ratione uberius disputavit, togam tantum commemorat. Erroris igitur scriptorem arguit Heinrich. ad Cic. pro Tullio orat. p. 61. Malim ironiam Materni adgnoscere extenuantis omnia.

virium. MSS. Neap. [et Farn.] *virum.* — In iisdem libris paulo post *auditoria et tabulariae* scriptum est pro *tabularia.* Tale tabularium, in quo tabulae publicae adservabantur, Romae erat in atrio Libertatis. cf. Liv. 43, 16., in eis causae documentis prolatis explicari solebant, nihil igitur eloquentiae requirebatur.

cursus et spatia. Spatia de ipso loco, quo equi decurrunt, et de decursu bene dicuntur, ut apud Virg. Georg. 3, 203 1, 513. Aen. 5, 316. al., ita ut synonyma h. l. coniuncta sint, ut apud Plin. Ep. 4, 12, 7. *necesse est, laudis suae spatio et cursu et peregrinatione laetetur.* Inane est ac futile, quod apud Schurzfleisch. aliquis coniecit, *stadia.* — Eadem ratione vocabula *liberi et soluti* iuncta sunt, ut apud Sallust. Cat. c. 6. *genus hominum agreste ... liberum atque solutum;* Cic. Tusc. disp. 1, 27, 66. *mens soluta quaedam et libera*, de divin. 1, 2, 4. *soluto et libero* coll. ibid. 1, 18, 34. et 2, 48, 100.; Plin. Ep. 8, 17, 4. *soluta et libera armenta*, Paneg. c. 80, 6. *qua nunc parte curarum liber solutusque.* Vide Gronov. ad Liv. 8, 32. et Pareum Lex. crit. mantissa p. 51. sq. — *debilitatur ac frangitur*, sic apud Plin. Ep. 8, 16, 3. *debilitor et frangor eadem illa humanitate.*

sic est aliquis oratorum campus. Ita MS. Neap. edd. Lips. et recentiores; depravatus est locus in antiquis edd., nam ed. Spir. habet *sic alius orat. camp.*, quod nuper Osannus ascivit, haec ut esset sententia: „quomodo equis nobili-

quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloqentia. ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat iudex, causam quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est. frequenter probationibus et testibus silentium patronus indicit. unus inter haec dicenti aut alter adsistit, et res velut in solitudine agitur. ora-

bus, quo probentur, cursus datur, eodem alius, diversi generis, est oratorum", scilicet caecutientibus haec explicavit, qui non perspiciunt, aliter oratores currere, aliter equos. Edd. Put. Riv. Ber. Alc. Rhen. Ald. dederunt *sic latus orat. camp.*, unde Schurzfleisch. coniecit *sic latus oratorem campus* sc. probat. *est* cum Seebod. ed. pr. omisit Dronkius.

nisi. Ed. Put. *nixi*, [et deinde Bekkero teste cod. Farn. *ipsam* praebet pro *ipsa*, quod in MS. Neap. et edd. omnibus exstat rectissime].

diligentis stili anxietatem. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. ed. Romana, quam Modius se contulisse profitetur, deinde Heumann. Ernest. et omnes recentiores; in ed. Spir. est *diligens st. anx.*, quod cum Puteolano sqq. omnes ad Ernestium usque in *diligentem st. anxietatem* transmutaverunt. Quid sit *stilus* vide apud Walch. histor. crit. ling. lat. p. 146. et Interpr. Quint. Inst. or. 10, 3, 1. 6, 1, 41.

causam quando incipias. Ad hanc emendationem MS. Neap. lectione corrupta ductus sum, ibi enim repertum est *quam quando incipias*, sed voc. *quam* suprascriptum est ꝰ *cãm*, unde *causam* facili elicias negotio. [Ita etiam Bekker. e cod. Farn., adsentiente Boettichero.] Pichon. malebat *quando incipis*; Bernegger. Ernest. Bip. et Oberl. litteris inclinatis haec exprimenda curaverunt, ut iudicis verba haec esse melius intelligeretur; recte, quo verba referenda sint, perspexerunt; perperam autem Schulz. explicavit: sub initium orationis, et, si illorum sententiae accedamus, *incipies* scribi debere opinatus est. Immo cogitandus est iudex perorantem interpellans et a rebus minus ad causam pertinentibus revocans.

patronus indicit. Sic edd. fere omnes, sed perperam verba in edd. vett. distincta sunt; in ed. Spir. *patronus: indicit unus* etc., edd. Put. Riv. Ber. Alc. *patronus indicit unus;* edd. Rhen. Ald. Lips. sqq. *patronus indicit. Unus* etc., quod recentiorum plerique servarunt. Tamen in vulgata scriptura adquiescere noluerunt alii; Schulting. postulari credidit *patrono indicitur*, quod Schulz. recepit [et nuperrime Boetticher. probavit], quae corruptela facile oriri poterat, quia passivi terminatio *ur* ab librariis virgula significabatur; de la Monnoye praeferebat *patronis indicit*, quod Oberlin. Seebod. ed. alt. Osann. et Orell. adprobaverunt; Morabinus, gallicus dialogi interpres, scribendum suasit *patrono indicit;* Osann. denique suspicatus est: *silentium perorationi indicit* i. e. iudex impedit oratorem, quo minus actionem perducat ad finem. Sed ea de re ne verbulum quidem a scriptore prolatum est. Dronk. transpositione verba persanare voluit sic: *silentium indicit* sc. iudex. *Patronus unus inter haec* etc., quam rationem Hofmann. Peerlkamp. defendit.

aut alter. Quod Seebod. ex coniectura ediderat, iam confirma-

tori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro: qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent: cum clientelae quoque ac tribus et municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus adsisteret: cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus sua interesse, quid iudicaretur. Satis constat, C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et adcusatos et defensos: ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. itaque hercle eiusmodi libri exstant, ut ipsi quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.

XL. Iam vero conciones adsiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum

tum est MSS. Neap. [et Farn.] auctoritate; ita est quoque cap. 9. cfr. not. ad cap. 21. vv. *in una et altera.* Omnes fere edd. praebent *ac alter*, quod propter praecepta tritissima Lünemann. cum Ernest. in *atque alter*, Dronk. Osann. et Orell. in *et alter* emendaverunt.

clamore plausuque. Ed. Ber. *paulusque.* Clamorem intellige plaudentium, de quo cfr. Spalding. ad Quint. Inst. or. 4, 2, 37. Pertinet ad figuram ἓν διὰ δυοῖν, de qua Rothius l. l. p. 22. dixit.

clientelae. Ed. Spir. *inclĭetelę.* In superioribus post *nobiles* excidisse *homines* Orellius suspicatur, quod supervacaneum videtur esse.

ac tribus et municipiorum etiam legationes ac pars Italiae p. adsisteret. In his verbis MS. Neap. sequutus sum, in quo uti in ed. Spir. *ac tribus* legitur, quod Dronk. Osann. et Orell. pro reliquarum edd. lectione *et tribus* receperunt; ex eodem libro hausimus *munic. etiam legationes,* quod ex MSS. Vaticc. Broter. ediderat cum Dronk. Osann. et Orell. pro edd. vett. corruptela *et munic. et legationes.* Ea vero *et* per Rhenanum deleto in *et munic. legationes* mutata est ab reliquis. Extrema denique verba emendata debentur eidem codici et MSS. Vaticc., quos Broter. et recentissimi sequuti sunt. In ed. Spir. est *ac partis I. p assisceret*, edd. Put. Riv. Ber. Alc. *ac partes I. p. assisteret*, unde Rhenanus in castigatt. fecit *assisterent*, in quo posteriores acquieverunt. [Bekker. et Boettich. e Farn. cod. eandem scripturam restituerunt, quam exhibuimus; Rupert. vulgata retinuit.]

ipsi quoque, qui egerunt. Edd. Spir. Put. Riv. *qui* omittunt, quod primus Beroald. exhibuit. Facilis error erat propter antecedens *quoq;*. Deinde in ed. Riv. exstat *ut non ... censeantur.*

Cap. 40. *datum ius.* Sic MSS. Neap. et Vaticc. edd. post Broterianam omnes; in edd prioribus *datum ius quoque* exstabat, quod et libri antiqui reiiciunt et ipsa sententiarum coniunctio non requirit. I. Fr. Gronovius *cuique* emendandum censuit, non male. — Paulo

gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione aut Sulla aut Cn. Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque * et histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! ****

post in ed. Spir. *plurimum* expressum est pro *plurimi*, quae et in verbis *ne a P. quidem Scipione* perperam praepositionem *a* neglexit, quam in v. *abstinere* structura Latini scriptores nunquam neglexerunt.

aut Sulla. MSS. Neap. [et Farn.] *Sila;* edd. antiquae *Silla*, etiam Beroald., sed a Rhenano scriptura vulgata restituta est, de qua cf. not. ad An. 1, 1. [Beck. ad Cic. orat. pro Sulla p. 105. et Spalding. ad Quint. Inst. or. 11, 1, 12.]

abstinerent. Veram scripturam debemus MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., ex quibus coniunct. imperfecti a Broterio et recentioribus omnibus recipiebatur; in eandem Acidalius coniectura inciderat, Heumanno obtemperante, quia sequitur *uterentur.* Edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. praebent *abstinuerunt*, quod Rhenan. in castigatt. correxit in *abstinuerint*, quae quidem lectio ad recentiora usque tempora locum obtinuit.

incessendos. Edd. antiquae *incendendos*; Lipsius correxit, quod deinceps ab omnibus probatum est, quodque MS. Neap. confirmatur. Sic supra quoque cap. 5. et c. 24. legimus.

*populi quoque * et histriones auribus uterentur.* In vexatissimo hoc loco librorum scripturam corruptissimam, ut videtur, accurate indicabo, ut inde quid de singulis virorum doctorum correctionibus statuendum sit adpareat. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. verba ita exhibent, ut supra descripsi; in MSS. Vaticc. exstat *populi et histriones auribus uter.*, quod Seebod. ed. alt. recepit, in ed. priore vero cum Broter. Dronk. et Osanno *populi etiam histriones auribus uter.* edidit. Edd. post Puteolan. fere omnes habent lectionem hanc: *populi quoque histriones auribus uter.* Quam quum plerique explicare non possent, ad coniecturas confugerunt. Acidal. verbis transpositis *histriones quoque populi aurib. uter.* nihil consequutus est, quia summa loci difficultas, quae in voc. *histriones* posita est, non removetur. Schurzfleisch. coniecit *populi quoque ceu histriones aurib. uter.*, eodemque redit, quod Hofmann. Peerlkamp. corrigendum censuit, *tanquam histriones*, sed in sententia, quam talis correctio efficit, ipsa illa cum histrionibus comparatio languida esset atque otiosa; „histriones, Hofmann. Peerlkamp. inquit, utebantur auribus populi, populum habebant auditorem: sic etiam oratores, qui simul ea opportunitate incessendi viros nobiles utebantur, imo quaerebant." Ed. Bipont. praeferebat *histricis auribus* velut chori; Osann. audacius suspicatur aliquando fuisse: *populi etiam histrioniis artibus potirentur*, ubi *histrionalibus* saltem exspectatur, quippe quod vocabulum ab hoc scriptore c. 26. et 29. usurpatum sit; maxime vero placet Orelliana emendatio *plerique et histrionalibus artibus uterentur*, [quam Rupert. quoque praeferendam esse censet]. Alii desiderabant adiectivum cum *auribus* copulandum; sic Seebod. ed. alt. *adstrictis auribus* dedit; Schulz. cogitavit de *strictioribus* vel *intentioribus auribus*, Rauchenstein. de *faventioribus*, [V. D. apud Rupert. de *subrectioribus*]; plerorumque vero plausum tulit Heumanni emendatio *adrectioribus auribus*, quae

Non de otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia, alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, ad-

praelata est ob usitata exempla (vid. Virg. Aen. 1, 156. Tac. An. 3, 11. Plin. Ep. 5, 4) a Schulz. Oberlin. Seebod. ed pr. [Bekkero et Boettich., cuius haec sunt verba: „Ita omnia optime cohaerent et explicantur verba *ut est natura invidiae.* Nam ea ipsa invidia adrectiores reddit populi aures, haec autem populi studia, non histrionales artes, faces istas oratoribus admovebant." Hanc loquutionem a puniendorum servorum more, qui urebantur, petitam esse probabiliter docuit I. H. Vossius ad Tibull. 2, 5, 3.—6.]

non de otiosa etc. Muretus *non enim de otiosa . . . gaudeat: est magna* coniecit, similiterque Heumannus *nos de ot. . . . gaudeat: est* etc. corrigi voluit. Idem vero Heumannus primus fuit, qui ingentem hic esse hiatum observavit, „quum praecedentia verba sint Messallae, causam eloquentiae agentis; posteriora Materni, qui contra oratores eorumque artem verba facit." Uberius de ea sententia U. Beckerus disputavit in epistola ad G. Seebodium data eiusque *Archiv f. Philol. u. Paedag.* fasc. 1. p. 71. inserta et in Orellii dialog. exemplari p. 95. repetita. Id probarunt inter recentiores Osann. Orell. [Bekker. et Boetticher.], dubitaverunt tamen Schulz. et Dronk., sed uterque argumentis ductus non satis idoneis. Equidem, si quid excidit, non ita multum fuisse credo; omnia enim, quae a c. 36. exposita sunt, ad Maternum pertinent, qui non serio haec protulit, sed ironico vultu animi sui sensa ita obtexit, ut quid iudicaverit haud difficile sit intellectu. Egregie hanc rem illustravit Th. Fr. Strodtbeck Heilbronnensis in scriptione scholastica, qua *ostenditur Materninae personae in dialogo de oratoribus obviae vultus ironicus,* Heilbronnae 1831. 4.

est magna illa. Sic MSS. Neap. et Vaticc. edd. Broter. Seebod. Dronk. Osann. [Bekk. et Boettich.]. Orellius [et Rupert.] retinent vulgatam scripturam *est magna ista,* de qua Orell. inquit: „non mutarim, priusquam sciam etiam Farn. habere *illa.*"

vocabant. Heumann. *vocant* coniecit, idemque ingeniosam Acidalii correctionem *fomes* pro *comes* recepit, quod Schulzio quoque in mentem venerat. Sed non opus est, ut verba mutentur. De re cf. Quint. Inst. or. 2, 16, 4. *et enumerant, qui perniciosa non singulis tantum, sed rebus etiam publicis usi eloquentia, turbaverint civitatium status vel everterint.* — In margine ed. Lips. a. 1607. *stulte* scriptum esse pro *stulti*, Dronk. notavit.

sine servitute. Interpretes haeserunt in his verbis explicandis adeoque vel corrigere volebant haud pauci. In ed. Pithoei *sine severitate* de scriptum est typis, in notis vero vulgatam scripturam retinet, ita ut illud ex typothetae negligentia ortum crediderim, praesertim quum minime aptum sit. *sine securitate* coniecit Rauchenstein. coll. cap. 11., quod locum habere nequit; *sine sanitate*, si quid omnino mutandum, praefert Orell.; *sine lenitate* Hofmann. Peerlkamp.; [*sine sanctitate* mavult Boetticher.], et, scilicet levissima ratione, verba haec tanquam glossema eiecit Heumannus. Schulz. Orell. Dronk. alii vulgatam scripturam eo defen-

rogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae leges traduntur. nec Macedonum quidem ac Persarum aut ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus; Rhodii quidam, Athenienses plurimi oratores exstiterunt, apud quos

dunt, quod *servitus* honesto quoque sensu usurpatum probare student exemplo Cic. pro Planc. c. 30. *servitus officii* et Quint. Inst. or. 2, 16, 9. *servitus iuris*, eoque, quod apud Italos etiamnunc *servitù* idem fere valeat atque *observantia*, *obsequium* i. e. erga principes civitatis viros bene meritos de re publica. Hoc argumentum quam infirmum sit nemo est quin perspiciat; loci vero prolati nihil probant, quia in iis, ut semper eo vocabulo, servi conditio significatur per metaphoram ad simile quid translata. Et ut honestam vocab. sententiam concedamus, bene ea voce carere potuissemus, quia id satis iam indicatum est voc. *obsequium*. Verum perspexit Strodtbeck. l. l. p. 18., ubi haec eius verba: „disserens enim Maternus perinde ac si in vitio esset vacare servitute, vere illudit adversario, cuius sermonem imitatur, quippe quem servile suum ingenium cum ridicula quadam pinguetudine effantem inducit."

oratorem Lacedaemonium etc. Cf. Cic. Brut. c. 13, 50. *Quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem;* quem locum imitatus est Vell. Paterc. 1, 18. *neque ego hoc magis miratus sum, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem, aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum*; Quint. Inst. or. 2, 16, 4. *ideoque et* (sc. eloquentiam) *Lacedaemoniorum civitate expulsam*, ubi cf. Spalding.

accepimus. Edd. antiquae praebent *accipimus*, Spir. quoque et Riviana, de quibus ab interpr. falsa prodita sunt; Lipsius emendavit e cod. suo *accepimus*, in eoque sqq. tantum non omnes perseverarunt. Idem exstat in MS. Neap. — Paulo post Schelium offenderunt verba *severissimae leges*, quia idem vocabulum modo praecesserat, ideoque *sanctissimae leg.* corrigere volebat. Sed vis aliqua inest in huius vocabuli repetitione, ut infra c. 41. extr. *quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et magnam quietem.*

nec Macedonum quidem. Sic MS. Neap. et edd. priores omnes usque ad Bipont., qui auctore Ernestio *ne Maced. quidem* ediderunt cum Broter. Schulz. Oberl. [Bekkero]. Dronk. Osann. Orell. [Boettich. et Rupert.] veterem lectionem revocarunt. cf. not. ad cap. 10. In seqq. *aut Persarum* scriberem, si addicerent libri, ut melius enuntiati membra inter se cohaererent.

aut ullius gentis. Aut exhibetur a MSS. Neap. [Farn.] Vaticc., idem praetulerant Schurzfl. et Heumannus, et receperunt post Ernestium recentiores edd. praeter Oberl. [et Rupert.], qui priorum edd. errorem *ac ullius* restituerunt. MS. Neap. *illius* praebet pro *ullius*, facili errore. — Deinde pro *fuerit* Heumann. corrigebat *fuit*, et pro *novimus* in Schulz. exemplari *notavimus* scriptum est.

plurimi Athenienses. Sic MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc., edd. Bro-

omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam; sicut indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et leges: nec bene famam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit.

ter. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. et Boettich.]; in reliquis edd. mutato verborum ordine legitur *Athenienses plurimi*, [quod Rupert. servavit].

donec erravit. Referas ad civitatem fluctuantem et certo imperio carentem, veluti viator recta via aberrans vel navis gubernatore privata. Qua metaphora in rei publicae statum translata nihil frequentius est apud Latinos. Inutile igitur, in quod Rhenani acumen incidit, *certavit;* ipse egregie vulg. lect. explicavit per: fluctuavit.

nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio. „Sequentia omnia addita sunt auxilio libri, idque admonuisse suffecerit." Ita inquit Lips., qui edd. antiqu. lacunam e cod. Farn., quocum MS. Neap. facit, explevit.

magistratuum modus. Orell. coniecit *metus*, quod non aptum est; *modus* intelligendus est de effrenata oratorum licentia per magistratus coercita. nequeunt autem haec cum Schulz. et aliis referri ad magistratuum potestatem nullis legibus circumscriptam.

sicut indomitus ager. MSS. Neap. [Farn.] et ed. Spir. habent *sicuti domitus ager*, ex qua corruptela scriptura a me probata oritur facili negotio; quam praebent etiam edd. Ald. Dronk. Osann. Orell. [et recentissimae]. Puteolanus edidit *sicuti indomitus ager*, quod in libris servatum est fere usque ad nostra tempora.

laetiores. [MS. Farn.] et edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. exhibent *latiores*, quod Rhenanus optime correxit. Sic Virg. Georg. 1, 339. *laetis operatus in herbis*, ib. 3, 494. *laetis .. moriuntur in herbis*, ib. 1, 69. *officiant laetis ne frugibus herbae*, et saepius.

sed. Schurzfleisch. narrat in ed. Venet. exstare *sed dein*, in Riviana vero, quam illo nomine indicare solet Schurzfl., tale vocabulum non comparet.

nec tanti rei publicae Gr. eloq. fuit. MSS. Neap. [Farn.] et Vaticc. exhibent corruptam lectionem: *nec tuta rei publicae Gr. el. fuit.* Ad eam compositum est, quod in edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. exstat: *nec tuta res publ. Gr. el. f.*, quod revocasse se Osann. ait, cui non paruisse videntur typothetae. Rhenanus emendavit: *nec tanti rei publ. Gr. el. fuit*, quod deinceps omnes probaverunt praeter Seebod., quocum Osann. edidit: *nec tanta rei p. Gr. el. f.* Cf. cap. 37. *non quia tanti fuit rei publicae malos ferre cives.*

nec bene famam eloquentiae Cic. t. ex. pensavit. Edd. antiquae et sqq. pleraeque consentiunt in lectione: *nec bonae formam eloquentiae C. t. ex. pens.*, quam imprimis I. Fr. Gronov. defendere studebat; *bonam eloquentiam* ex-

XLI. Sic quoque, quod superest antiqui oratoribus, forum non emendatae nec usque ad votum compo-

plicat salubrem et rei publicae utilem, *formam* pro *genus* positum esse opinatur hac sententia: „Melius fuisset rei publicae, Gracchos non fuisse disertos, quam facundia ad seditiosas leges ferendas uti, melius Ciceroni, quamvis salubris eloquentiae genere vel fama caruisse, quam propter illam sic perire." Male vero *formam* interpretatus est, quae significaret potius absolutae et perfectae eloquentiae exemplar, quod Orellium non fugit Cic. Orat. § 43. *excellentis eloquentiae speciem et formam* comparantem. At vero scriptor Gracchorum eloquentiam perniciosam saluberrimae Ciceronis opponit, et utrasque ita inter se comparat, ut Ciceronem tale mortis genus perpessum esse doleat. Ad rectam igitur emendandi viam ducit, quod in MSS. Neap. [Farn.] et in Vatic. 1862. a secunda manu scriptum est, *bene*, non bene igitur pensavit Cicero, id est male; dirum vitae exitum ipsa eloquentia sibi comparavit. Magis etiam ea sententia elucebit, si Mureti sequimur emendationem *famam*, ita ut verba iam sic constituantur: *nec bene famam eloq. C. t. e. p.* i. e. Ciceronis eloquentissimi fama non tanti ipsi fuit, ut ita periret. Id ab Hofmann. Peerlkamp. et antea a Schulz. [nunc a Bekker. et Boett.] probatum est. Schurzfleisch. emendabat: *nec bonam famam el. Cicero t. ex. pensavit*; Heumannus: *nec bonae fama eloquentiae Ciceronem t. ex. pens.*; Broter. alii: *nec bene formam el.* etc.; Seebod. et Orell. praetulerunt: *nec bonae famam el.* etc., quae quidem omnia mihi improbantur. — Sub finem denique cap. Ernestius *pari exitu* suspicatus est pro *tali*, quod artificiose Langius p. XXVII. ed. Dronk. ad *bonae* retulit, ut esset: non bene i. e. malo exitu, quam quidem explicandi rationem bene refutavit Orellius.

Cap. 41. *Sic quoque.* Unus Heumannus hisce offensus corrigebat *hoc quoque*, quo non opus videtur esse. Coniunxit haec et sequentia cum extremis antecedentis capitis verbis Acidalius, ita ut et illis et hisce succurreret transpositione. Vult autem scribi: *nec antiquis oratoribus bonae formam eloqu. Cic. tali exitu pensavit,* vel: *nec antiquis oratoribus bonae forma el.* (sc. tanti fuit), *quam Cic. tali ex. pensavit. Sic quoque quod superest forum* etc., quae cum audacius quam verius emendata sint, silentio praetermittere iuvat. [Boetticher. haec adnotavit: „ego temporis maxime accuratiorem significationem desidero et vocem, ad quam recte et legibus latinitatis congruenter referri possit *quoque*; coniicio igitur *nunc quoque. Sic quoque* esset *auch so*, minime, quod solum huic loco aptum esset, *so auch.*" Non male.]

quod superest antiqui oratoribus. MS. Neap. et edd. cum antiquae tum recentiores fere omnes praebent *antiquis oratoribus*, qua quidem in scriptura Heumann. *superesse* pro *superstitem esse* positum censet, ut sententia sit: forum, in quo veteres illi oratores versati sint, esse superstes, etiamsi illi iam diu mortem occubuerint; Bipontini pro *abundare* accipiebant dictum et cogitabant de priorum temporum opportunitate quippe causis abundantium; qua in sententia scriptor *supererat* scribere debebat. Ernestio auctore Broterius *ex antiquis orat.* scripsit. Sed nihil praestabilius est emendatione I. Fr. Gronovii *antiqui*, ut is genitivus aptus sit ex *quod*, hac sententia: Unum restat ex tot tantisque rebus, quae priorum eloquentiam alebant, forum et causarum patrocinia. Gronovium Oberlin. Schulz. Dronk. Osann. Orell. [Bekk. Boett. Rup.] sequuti sunt. Schurzfleischi

sitae civitatis argumentum est. quis enim nos advocat, nisi aut nocens aut miser? quod municipium in clientelam nostram venit, nisi quod aut vicinus populus aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri quam vindicari. Quod si inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. quo modo tamen minimum usus minimumque profectus ars me-

correctionem *iniquis oratoribus* commemorasse sufficiat.

forum non emendatae nec usque ad votum compositae civ. arg. est. In singulis huius enuntiati partibus multum inter se discrepant libri. Pro *forum* in MS. Neap. exstare traditur *horum*, [quam lectionem Bekker. quoque e Farn. cod. adscripsit]; deinde in eodem cod. et edd. antiqu. itemque Bernegg. et Gronov. al. scriptum est *emendare*, etiam in exemplari Riviano, quod *emendate* praebere falso prodidit Schurzfleischius. Faernus et Lipsius coniecerunt *emendatae*, quae scriptura in edd. omnibus locum obtinuit. Paulo post edd. antiquae habent *usquam*, nuper ab Osanno revocatum, qui id pro *ulla in re* positum esse opinabatur; Lipsius e cod. suo, id quod MS. Neap. consensus ostendit, emendavit *usque*, quod ab seqq. fere omnibus servatum est praeter Acidal., qui emendari voluit *usque quaque* idque praestantius esse Orellio persuasit et Handio in Tursellin. Vol. I. p. 108., quia apud Quint. declam. 3, 11. *ad omne votum fluente fortuna* et apud Cic. Offic. 1, 26, 90. *in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus* legatur. Extrema denique verba Lipsius emendavit e cod. Farn.; pro quibus in prioribus edd. hoc exstat expressum: *argumentum est quidem, quod nemo nos advocat, nisi ... miser.*, cuius in locum Pithoeus substituit: *argumentum est. Quid enim? quod n.* etc., quod Acidal. quoque suspicatus est.

in clientelam nostram. MS. Neap. et pleraeque edd. praebent *in civitatem nostram*, quod defendendum nuper suscepit Oberlinus; idem enim id esse quod *ius civitatis accipere* putat. Etiamsi ita dici licere concedatur, tamen h. l. non disputat scriptor de municipiis in civitatem receptis, immo de iis, quae in periculis vel ab externis illatis vel interna discordia excitatis ad oratores confugiunt, qui ipsorum causas agant. Egregia est igitur Pithoei emendatio *in clientelam n.*, quam, Schelio et Ernestio probantibus, Heumann. Bipont. Schulz. Dronk. Orell. [et recentissimi] receperunt. Seebod. tamen et Osann. ad antiquam scripturam redierunt, non reputantes et antecedentia *quis enim nos advocat* et sequentia *quam provinciam tuemur* luce clarius demonstrare de oratoribus sermonem esse municipia defendentibus.

non queri quam vindicari. Muretus emendavit *non fieri*, quod Acidal. et Schel. probaverunt, sed perperam, ut bene Gronov. docuit. melius fuisset eas nunquam causam querendi habuisse, nunquam iniuriis vexatas esse. Deinde edd. antiquae *iudicari* habent, pro quo in MS. Neap. et edd. post Lipsium fere omnibus scriptum est *vindicari;* rectissime. Sed tamen Seebod. Dronk. et Osann. veterem corruptelam restituerunt.

quomodo tamen. Heumanno *enim* pro *tamen* refingere placuit, quod improbandum est. — Deinde

dentis habet in iis gentibus, quae firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum [horum] obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi cito consentiant? quid multis apud populum concionibus, cum de re publica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus? quid voluntariis adcusationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut isti, quos miramur, his nati essent, ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia, neque illis modus et temperamentum defuisset. nunc quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et

pro *minimumque* in ed. Spir. *nimiumque* exstat. — Paulo post Orellius pro *ars medentis* scribendum suspicatur *ars medendi*, quod neutiquam necessarium est. Rectius idem vir doctus ex ed. Ald., cui MS. Neap. accedit, *in iis gentibus* edidit pro reliquarum edd. *in his gentibus*, [quod Rupert. servavit, Bekker. et Boetticher. correxerunt].

minor oratorum [*horum*] *obscuriorque gloria.* Sic MSS. Neap. Vaticc. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc., sed *horum* cum otiosum sit, cancellis id inclusit Seebod., prorsus deleverunt cum Rhenano edd. post eum vulgatae omnes. Probabile est, quod Orell. proposuit, *horum* ortum esse ex *honor* s. *honos* corrupto; vocabula vero *honos* et *gloria* coniuncta sunt supra cap. 12. et apud Sallust. Cat. c. 11, 2. et Virg. Aen. 12, 135.

optimi cito consentiant. Sic ex Rhenani emendatione edd. omnes sqq. — *optima* MS. Neap. edd. Spir. Put. Riv. Ber. Alc. — *optimis* in edd. posterioribus Lipsius coniecit, et Rud. Agricola *quum optima cito censeantur* proposuit.

excedentibus modum. In vet. Pithoei libro *excellentibus morum*, non *modum*, ut Dronk. narrat, scriptum est, quod vulgatae postponendum esse quivis videbit, modo tu cogitaveris de defensionibus, quibus oratores libertatis modum excedentes potentiorum aures offendunt. — Deinde pro *eat* ed. Riv. habet *ea*.

vitas ac vestra tempora. Sic MS. Neap., quod recipiendum duxi; — *vitas aut vestra tempora* edd. Spir. et Riv. — *vitas vestras aut vestra tempora* liber vetus Pithoei, quod Dronk. recepit — *vitas*, *vestra tempora* edd. Put. Ber. Alc. — *vitas vestras*, *vestra tempora* Rhenan. et omnes seqq. [Bekker. et Boetticher. ediderunt *vitas vestras ac tempora*, in Farn. cod. ille *ac vestras* esse tradit.] — Pro *mutasset* ed. Spir. exhibet *mutuasset;* deinde *illis* omnes praebent edd. praeter unam Alciati, in qua *illos* expressum est typis.

magnam quietem, bono saeculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur. Finierat Maternus.

XLII. Tum Messalla: erant, quibus contradicerem; erant, de quibus plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de iis rursus conferemus. Ac simul adsurgens et Aprum complexus, Ego, inquit, te poetis; Messalla antiquariis criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit.

Cum adrisissent, discessimus.

bono saeculi sui. Sic MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. edd. Broter. Bip. Oberl. et recentiores omnes. — edd. Spir Put. Riv. Ber. Alc habent *huius saeculi sui*, quod Rhenan. in *bonis s. s.* emendavit omnibus usque ad Broter. obtemperantibus [Rupert. quoque]. Sed praestat codd. omnium scriptura. Verba *magnam quietem* et quae sequuntur omissa sunt in ed. Iunt.; in MS. Neap. post verbum *utatur* tertia lineae insequentis pars punctis distincta est, [in cod. Farn. spatium vacuum: quod cum exiguum sit et ad finem sermonis indicandum admissum, patet, quam falsa sit Lipsii opinio, multa atque adeo praecipuam disputationis partem hic deesse].

CAP. 42. *Tum Messalla.* MSS. Neap. [et Farn.] praebent *cum*, quod neutiquam aptum est; edd. omnes consentiunt in *tum*.

de quibus. Sic MS. Neap. et edd. ab Rhenano inde omnes; in prioribus vero praepositio omissa est, unde ingeniosa Orellii coniectura nata est: *erant, quibus plura adiici vellem*, qua in cod. illius testimonio satis luculento non egemus.

de iis. Sic MS. Neap. ed. Orell; reliquae edd. [Bekkeri quoque, Boetticheri et Rupertii] praebent *de his.* — Deinde ed. Riv. *ergo inquit* exhibet pro *ego inquit.*

antiquariis. MSS. Neap. [Farn.] Vaticc. et ed. Spir. inferciunt praepositionem *cum*, quam Puteolanus bene sustulit.

at ego. Schurzfleisch corrigit *At Aper* vel *At ille*, *Ego vos* etc., temere. Pro *vos* denique ed. Spir. habet *nos.*

COLLATIO
CODICUM FLORENTINORUM.

Praemonitum.

Ne quid subsidiorum criticorum ab huius editionis emptoribus desideraretur, placuit ei subiungere accuratam earum lectionum commemorationem, quas Franciscus del Furia e Florentinis codicibus in Medicea bibliotheca adservatis Im. Bekkeri, rogatu adnotavit. Qua quidem in collectione eam scripturae discrepantiam omisimus, quae ab aliis viris doctis, qui eosdem libros inspexerunt, iam prolata est, et ea tantum commemoranda censuimus, in quibus illi a Furia diversi sunt. Ex adverso posita est ea scriptura, quam inter Taciti verba Waltherus recepit.

Annalium liber primus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	Iulianis	iulianus
	reliquus	reliqus
3.	Planasiam proiiceret	planesiam proieceret
	munimentis	monumentis
4.	disserere	dissere
	libidines	lupidines
5.	gnarum, *ubi* C. Navum *in cod. esse testantur.*	G. Navum
6.	caedes	caedis
	Agrippam	agrippa
7.	Appuleius	apuleius
8.	anteferrentur	anteferentur
9.	vita	vitae
	ulcisceretur	ulciscerentur
	ut	*om. Med. cod.*
10.	abducta	adducta
	Q. Tedii	quae tedii
11.	ad deos	ad eos
12.	Vipsania	vipstania
	Pollionis	polionis
13.	quanquam Tib.	quam Tib.
	iidem	idem
	eiusque	et usque

	Walther.	*Mediceus cod.*
CAP. 15.	fiebant	feebant
16.	concionabundus	conditionabundus
19.	desideria ... ferenda	desiderium ... ferendum
	ab sed.	ad sed.
20.	accepere	accipere
	intentus, *Cod. MS.* intus	*in margine est* invectus
22.	abieceris, *pro quo in cod.* abegeris *esse tradunt.*	ablegeris
23.	incendebat	incedebant
	fracta vite	facta vitae
25.	introiit	introit
	rettulerant	sedtulerant
26.	concione	contentione
28.	claro repente coelo, *sed in cod.* clamore pena coelo	clamore pena caelo
	ac suis	a suis, *in marg.* ac s.
	pergerent	*in marg. adscriptum est* gererent *et* peragerent
	portendi	potandi; *in marg.* portendi
	aversari	adversari
	Percennione	percennioni
29.	concione	contentione
	permulcendum	primulcendum
30.	consederant	considerant
31.	Silio	filio, *in marg.* silio
	ac vicesima	a^{c} vicessima
33.	credebaturque	credebatur: qui
34.	propior	proprior
	Sequanos	seque, *in marg.* sequanos
	triumphosque	triumphos qui
35.	pretia vacationum	praetia vocationum
	ominibus	omnibus
36.	civile bell.	ac civile bell.
37.	unaetvicesimanique, donec iisdem	untetvicesimanique donec istem
38.	exterritis qui obstiterant	deterritis qui obsisterant
39.	recepitque	*Id in cod. exstare Furia non testatur.*
40.	cum se divo	con se divo
41.	Treveros	treviros
	obsistunt	absistunt
44.	adhuc	adhoc
45.	moles	molis
47.	adversus	adversos
	in casum	incassum
	subnixus	subnixius
	incenderentur	intenderentur
48.	Caecina	caenia, *in marg.* caecinna
51.	gnarum	gnaram
	leves coh.	levis coh.
	primi agminis	primis agminum
52.	in speciem	inspectam
53.	ut imparem	ut imperarem
	Postumum	post unum, *in marg.* posthumum
55.	Cattos	Chattos, *saepius.*

Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 58. invisi sunt	invisunt, *in marg.* invisi sunt
59. Cheruscos	ceruscos
hominem	hominum
60. eques, classis	equos classes
61. dextra	dextera
64. seque	sequi
librare	liberare
incl. tum leg.	incl. tam leg., *in marg.* iam
quod effectum	quo defectum
65. disiicere	disicere
proterere	proterrere
adversum ferri	„adversum" ferri *i. e.* ferri adversum
68. offunduntur	offenduntur
Inguiomerus	Ingoiomerus
69. militem	militum
70. illis	illic
Unsingim	visurgia, *non* Visurgim
deinde	dein
72. aut plebem	ut plebem
75. in his etiam	in iis etiam
76. praesedit	praesidit
vulgus	*margo exhibet* in vulgus
id quoque	id quod
77. tum erupit	dum erupit
79. Interamnates	*Sic Med. in marg.*
diductus	deductus
80. periculum sibi, a pess.	periculum sibi: sibi a pess.

Annalium liber secundus.

Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1. Phraate	prahate
Phraates	prahates
2. accepere	accipere
subit	subiit
4. nostra vi	nos avi
6. Vahalem	vahalaem, *non* Vahalam
7. Cattos	chatos
Cattorum	chatorum
obsessores fecere	opsessores facere
8. Amisiam	iae missiam
9. permissum	permissu
11. primipilarium	primilliarium
diducerent	deducerent
circumiectam	circumlectam
globo frangerent, atque ipse in densissimos	globo fringerent atque ipsis densissimos
14. respersa	restersa
18. tropaeorum	tropheorum
20. plana evenerant	plane venerunt
21. Arminio	*Id ab alia manu in marg. cod. adscriptum est.*

	Walther.	Mediceus cod.
Cap. 22.	MONIMENTA	munimenta
	Angrivarios	agrivarios
23.	aestate	aegestate
25.	extemplo	exemplo
26.	Suevos	suebos, *eademque forma saepius.*
27.	consobrinos Caesares	consobrinus caesaris
28.	sermones	sermone
30.	interrogari	interrogare
31.	direxit	derexit
32.	Concordiae	cordiae
	Gallus	galius
	deiectus	delcctus
33.	serica	sirica
34.	L. Piso ambitum fori	L. ipso ambitum fore
35.	et absente	ut abseute
	fore	foret
36.	augeretur	*in marg.* auferretur
38.	abnuerint	abnuerunt
	audita ab his	audita ab iis
	excepere	excipere
40.	coetus	catus, *sed in marg. adscript.* cetus
42.	ignarus	gnarus
	Commagenorum	commagenonum
43.	quam his	quam iis
	muliebri aemulatione	aemulatione muliebri
	materni	mater
45.	diriguntur	deriguntur
46.	recenti	receute
	pacis	paci
47.	Hierocaesaream	hierocaesariam
48.	nobilitatem utriusque	nobilitate utrisque
	Vitellium	vitellum
49.	Duillius	Dullius
	a Germanico sacratur: hanc Atilius	in germanico sacratur. hanc iatillius
50.	de his	de iis
52.	Musulanorum	musula maiorum
	valida ea gens	valide agens
	Cinithios	cnitios
55.	in suos	in suo
	incedebat	incidebat
56.	et situ	sed situ
	quo	quoniam
	Servaeus	serva eius
57.	discesseruntque	discesserantque
60.	Bactriano	pactriano
	Lycium	lycum
	ebur	epur
62.	Marcomanorum	marcomanorum
	transtulit	transtulat
63.	Danubium	danuvium, *bis.*
	si maneret	ne si maneret
66.	Pando	padusa
67.	Cotyis	cotys, *bis.*
	Trebellienus	trebellenus

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 69.	maleficia	malefica
71.	propinquus	propinquos
74.	modice nisis	modicensis
75.	venerantis	venerantes
76.	non iure	con iure
79.	Vibius	vibimus
	Laodiceam	laodiciam
80.	provincia	provinciam
	ad subitum	aut subitum
82.	cunctaque . . . adferebantur	cunctique, *extrema voc.* adferebantur *syllaba expuncta.*
	templorum fores	templores flores
	falsis	falsi
83.	Epidaphnae	epidaphene
	clipeus	clipeos
84.	virilis	*Quod Gronov. testatur*, viriles *esse in cod., non commemoravit Furia.*
86.	Domitio	comicio
88.	responsum	responsumque.

Annalium liber tertius.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	ut quique	ut cuique, *non* quique
	adpulsu	adpul um
2.	Tarracinam	tarricinam, *non* Tarracinam
5.	At Germanico	aut Germanico
	debitos	deditos
10.	Ille dimissa	illa dimissa
11.	Lepidus	Lepedus
	Livineius	Liveneius
14.	cuique	cui
	custos salutis	custos saluti
17.	super haec	*idem in Med., sed* e *littera in voc.* haec *puncto notata.*
	relegatur	religatur
19.	audita	*Sic altera manus in cod. correxit.*
	Vipsania	Vipstania, *non* Vipscania
20.	Pagida	Pagyda
22.	Sulla ac Cn. Pomp.	Sulla et Cn. Pomp.
23.	misericordiae	misericordia
26.	coercitionibus	coercitationibus
		....
	morem	mortem
	incedebat	incidebat
29.	quaesturam	quaesituram
	fastigii	fastidii
	secundo rumore	secundorum more
30.	Romanarum	romanorum
37.	traheret	trahere
38.	Cordum proconsulem	cordium pro consule
	Veterem e primoribus	veterrime primoribus

	Walther.	Mediceus cod.
Cap. 41.	Turonii	turoni
42.	conscripta Treveris	conscriptae treveris
43.	crupellarios	*De eadem script. in Med. exstante Furia tacet.*
44.	Iulium Sacrovirum	„*et* M. super siglam litterae *I* similem; *Iulium* margo." *Haec Bekker.*, *qui* an et Sacrovirum *edidit.*
46.	Turonium	turonum
48.	Homonadensium	onomadensium
52.	Haterius	Harius
53.	e re publica	e *om. Med.*, *in marg.* de
	promiscuas	promiscas
54.	clamitabunt	clamitabant
	fecere	facere
	sibi quisque moderabatur: quia	sibique moderabatur qua
	gloriam	gloria
58.	Maluginensis	maliginensis
	ius suum	iussum
59.	dilata notione	delata notitione
61.	Cenchrium	cenchreum
62.	Leucophrynae	leucophine
	Perpernae	perpennae
63.	Smyrnaeos	zmirnetis, *non* Zmyrneris
	Stratonicidi Veneri	strato nici divae Veneri
	Dario rege	dareo regi
64.	quindecimviri	qui decemviri
66.	Brutidius	bruttedius
	Brutidium	bruttedium
	pergeret	perageret
	anteire parat	ante reparat
69.	hebescere	habescere
71.	Et quando	et quo
	Maluginensem	malluginensem
	prompsit	promisit
75.	magistratus	magistratibus
76.	opibus	*in marg. adscriptum est:* quid si opibus, *sc. pro* operibus.

Annalium liber quartus.

	Walther.	Mediceus cod.
Cap. 1.	C. Asinio	G. Asino
	Vulsiniis	vulgussinis
4.	benevolentia	benivolentia
	tum	tunc
5.	coloniis	colonis
	fuerit	fuit
6.	quando	quo
7.	odii	odiis
8.	foveret ac tolleret	foveret attoleret.

Cap.	*Walther.*	*Mediceus cod.*
Cap. 10.	fidis	fideis
	prima ei	prima et
	tum senem	cum sen., *in marg.* tum
11.	ne divulg.	ne *om. cod.*
12.	atque haec	adque haec
	Postumum	post unum
		n
13.	Aegiensi	Aegiensi
	Lamia	lamina
14.	vetustum asyli	vetustus tum asyli
	iudicium, qua	iudicium ea qua
	ut	*om. cod.*
16.	quando	quo
19.	Proprium	quo prium
21.	Seriphio	seripho
25.	se quisque	si quis
26.	ex vetusto mos missusque	ex vetusto more omissusque
27.	ferocia	feroricia
	audaciae	audatia
28.	nomen utrique Vibius	nomenque viri q. vibius
30.	nunquam	unquam
31.	ut et iurando	ut eiurando
32.	composuere	compossivere
	immota quippe	immo ita quippe
33.	ex his	ex iis
	noscenda	noscendi
34.	vocabula imponuntur	vocabulum ponuntur
35.	nec victor quidem	*Sic cod.*
	abolevit	adolevit
	rependit: nec deerunt	rependunt nec derunt
	sed manser.	et manser.
	socordiam	socordia
37.	facta	ficta
	sacrari	sacra
40.	invito	invite
41.	iam	tam
	inanibus	manibus
43.	Limnatidis	Liminatidis
	publice	publicae
	Rutilii	Rutillii
	bona sua rei publicae	bonas varie publicae
44.	de Gaetulis	degetes, *marg.* de Getis; *Gronov. igitur falsus.*
45.	Termestinae	Termaestinae
	Termestinorum	permestinorum
46.	inculti	incultu
47.	Sugambrae	sugranbrae
52.	repperit	*Sic cod. exh.*
	fama	*Cod. firmatur auctoritate.*
54.	sua	suae
55.	Trallianique	tralitanique
	nutavisse	*Sic cod.*
	aede ... sita	aedem ... sitam
	divisisse	divise
	icta	dicta

	Walther.	Mediceus cod.
Cap. 56.	Marsus	Marcus
57.	occultantem	occultantis
59.	m. Amuclanum inter Fundanosque montes	m. amundanum inter fundanos montes
	conduceret	conducet
61.	et Q. Haterius	et quae Haterius
	quoad	qua ad
63.	et par forma	sed par forma
	gladiatorium munus	gladiatorum manus
	institutis	instituti
64.	ominibus	omnibus
66.	tulerant	telerant
	connexus	conixius
67.	promontorii	promuntirii
69.	suspiciones	suspicionis
70.	acciderent	acciperent
74.	illud in propatulo	illum in propatibulo
	infaustae	infastae.

Annalium liber quintus.

	Walther.	Mediceus cod.
Cap. 1.	Perusino	perusinio
3.	confingere	confringere
4.	ominibus	omnibus
10.	custodiae	*Sic in cod.*
	Poppaeo	pompeio

Annalium liber sextus.

	Walther.	Mediceus cod.
Cap. 1.	ignota ante	ignota antea
	spintriarum	p. sintriarum
	servi, qui quaererent	servi quirerent
2.	in effigies	in figies
	verbis	urbis
	suadere	suaderet
3.	Paconianum	pagonianum
4.	Latinium	lucanium
	praebebatur	praebebantur
6.	quomodo	quando
7.	Caeciliano	caesiliano
	Sanquinium	sangunnium
	ultionis aequabatur	ultioni sequebatur
	tractique	tractatique
9.	Viniciani	viciniani
10.	Fufii	fugii
	familiarium	familiarum
11.	profectis domo	praefectis demum
	Cilnium	Cillinium
12.	Erythris	erytrythrys

	Walther.	*Mediceus codex.*
Cap. 17.	emptio	emitio
18.	interfecere	interficere
23.	nuru	*sic cod. Med.*
27.	exercitibus	exercitubus
28.	effinxere	deffiniere, *non* deffinere
30.	vi stare	visitare
31.	exercuerat	execreverat
32.	astu	asatu
	Iberum	Hiberum
	Mithridatem	mithridantem
34.	effundunt	effunt
	Iason	Iaso
	Aeetae	aetae
35.	inirent	sinerent
	equestris	equites tres
37.	omina	omnia
	et altioris	ut altioris
	utrobique	utrubique
38.	Granius Martianus	granus marcianus
40.	potitus	positus
	insecuta	insectata
41.	Clitarum	cietarum
42.	spernitur	spernuntur
43.	Abdagesem	abdacesen
	Abdagesis	abdagaesis
44.	dum	tum
	adventabat	adventabant
	Abdageses	abdagaesis
	Elymaeisque	elymeisque
	Abdagesem	abdagaesen
45.	ea munif.	in munif.
	cuiusque	cuius
47.	Laelius	Laetius
	Otho	artho
	Othoni	athoni
48.	eaedem poenae	aedem paene
49.	patrum	patris
50.	promontorium	promunturium
51.	impudicitiam	indicitiam
	quoad	qua ad.

Annalium liber undecimus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	haberet	*habere †)
3.	percursis	percusi
	Britanniam	brittaniam
	hilare	hilarem

†) Quae asterisco notatae sunt scripturae, eae in Furiae collatione ab aliorum VV. DD. huius cod. collationibus discrepant.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 4.	Valerii	nesteris
6.	et posteros	ad posteros *in marg.*
	negotia tueantur	*negotiant.
7.	posuit	*Flor. om.*
8.	Pharasmanis	farasmanis
	Bardanem	bardanen
	Daharum	deharum
10.	transgressu	transgressum
	monimentis	munimentis
	parta	parata
	regnum	regno
	Gotarzem	godarzen
11.	iisque intentius adfui	isque intentius affuit
	Britannicus	brittanicus
12.	detinebatur	distinebatur
14.	Damarato	demarato
	Aborigines	*aboriginibus
	publicandis plebiscitis	publico. dis plebiscitis
16.	auctum	augustus
	invisam	invisa
	venisset, posse extimesci	penisse posse Testimesci
17.	ab iis	ab his
19.	in rem publicam	in re publica
20.	hae	eae
	perduxit	*Id Furia teste in Flor. cod.*
	Mattiaco	mathiaco
22.	Cn. Nonius	*C. N. nonius
	Sullae	suillae
24.	capessam	capessenda
	mandari	*mandaret
25.	Saenia	senia
26.	paria	*patriam
	hae	eae
27.	discubitum	discubitu
28.	discidium	*et scidium
29.	ultro	ultra
30.	cis Vettium, cis Plautium	*cis vetticis plautio
	immo iis, et	immo his et
31	impositum	impostum
	quis fatentibus certatim	*quibus facientibus certium
	lapsa	lassa
32.	iussitque	missique
33.	fidebat	fidebant
	in urbem vehitur	in urbem referatur vehitur
34.	quin multa	quid multa
35.	Vitellius	Iulius
36.	Romanos cupidos maturae necis fecit. Titium	romani cupido mature necis fuit. et titium
	tradi	*sic cod. Flor.*
	vigilum	vigilium
37.	prorumpit	*sic cod. Flor.*
38.	ac pectori	*aut pectori
	transfigitur	transigitur.

Annalium liber duodecimus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	imperiis	imperatoriis
2.	et Octaviam	et *om. Flor.*
	Lolliam	Lollia
3.	alia *in Flor. esse Pichena testatur.*	*Victorius et Furia tacent.*
4.	Calvina	Galvina
5.	Veranio	Verania
	quam adsum	unquam et adsum
6.	imperator acciperet	*lacuna inter utrumque vocab.*
7.	repertus	receptus
8.	At Agrippina	ad Agrippinae
9.	quis ob	qui sub
12.	itaque urgeret	ita urgueret
	petunt	petivit
13.	Sambulos	sanbulos
14.	Acbarus	abbarus
15.	Bosporanus	bosphoranus
	posteaquam	postquam
16.	cratibus et vimentis	*gratibus et vimentibus
17.	Postero	postremo
	abfuisse	aufuisse
19.	neque regnum	non regnum
20.	quanta pervicacia in hostem, tanta	quanto pervicacia in hoc tentata
22.	vis	*irex
23.	Narbonensi	narbonensis
	Sohemo	*soliemo
	Sulla	silla
25.	iuvene	iuvenem
26.	quaesitiore	*questiore
27.	ex vocabulo	*e vocabulo
	Cattorum	catthorum
30.	Vangio ac Sido	vagio ac sidio
31.	Britannia	brittannia, *idem c.* 36.
32.	Silurum	silvarum
33.	Britannorum	brittanorum, *idem c.* 35.
35.	expugnabilia clamitare, praefectique ac tribuni	expugnabili clamitare, praefectique tribuni
	quoque	que
36.	phalerae torquesque	falere torquibus
	externis bellis	bellis externis
	quaesierat	quaesiverat
37.	pacis	*pacem
38.	cum Siphacem	quod sifacem
	quod amoto	quod *om. Flor.*
	Siluras praesidiis relictas	silulas praesidiis relicta
	copiae tum occidione	copiarum obsidione
39.	ut in Gallias	aut in Gallias
40.	Brigantum	evigantum
	Cartismanduam	*catimandum
	perinde	proinde
41.	Commotus his	commotus iis
43.	prorutae	proruptae

Walther.	Mediceus cod.
Cap. 43. subventum	subvenientum
44. Pharasmani	farasmanis
Rhadamistus	radamistus, *et paulo post* radamastus
ornante	orante
45. forent	foret
47. contra	*De Flor. script.* e contra *Furia tacet.*
interficerentur	interficeret
48. praeciperet	*iuberet
49. redire	rediret
50. circumveniunt	circumveunt
52. Italia	ita
Sulla	silla
53. refertur	refert
54. contemptu	contemptui
56. Tiberim	tiberin
58. Haterio	auterio
et eloquentiae	et *om. Flor.*
59. indignasque sordes	indigna sortes
60. perinde	proinde
Matios	mathios
61. potuisse tradi. sed	potuisset tradidisset
62. Byzantii	Byzantiis
63. caecorum	*Graecorum
quaestuosi	quaestosi
Bosporanoque	bosphorianoque
64. M. Asinio, M'. Acilio	masilinio macilio
65. ac novercae	*a novercae
66. Claudius	*om. Flor.*
67. boletorum	*leto

Annalium liber tertius decimus.

Walther.	Mediceus cod.
Cap. 1. exitum	*sic Flor.*
2. potentiae	*potentia in et, *quod Flor. scriptum esse Pichena tradidit, Furia non vidit.*
taedium sui	taedium suae
3. ceteri	ceteris
ex iis	ex his
4. neque iuventam	*neque inventam
7. legionibus	regionibus
Sohemo	sohoemo
Vardanes	vardanis
8. Ummidium	umidium
par	pars
alisque quae apud Cappadociam	*aliis quaeque cappadocia
inserviret	*om. Flor.*
9. uterque Vologesem	*uterque ad vologesem
Histeius	Insteius

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 9.	ob recentem	ob *om. Flor.*
13.	intempestivam severitatem	intempestatem severitatem
14.	Praeceps	preces
15.	levi quidem	levi ut quidam
	regnum	*romanum regnum
	decoquitur	dequoquitur
16.	fuisse ac sororem Britannici Octaviam	fuisse octaviam sororem brittanici
17.	sorori	sororum
19.	Iunia	Iulia
20.	perinde	proinde
	suscipiendae	suscipiendam
	ac si Plautus	*sic Flor.*
23.	exsiliumque	auxiliumque
	monimenta retrahebat	monimenta retrahebant
24.	Fine	finem
25.	et in modum	.T. modum
	congressus	congressi
	Nero autem	Nero tum
26.	tamen consensum	tamen ic̄sensum
	quam ut vicesimum	*ut *om. Flor.*
	retrahi	detrahi
28.	Vibullium	bibullium
	ab iis	ab his
30.	Cestius	cestus
31.	Ceterum	ceterae
	qui provinciam	in provincia
32.	Plautio	platio
34.	Haterio	atherio
35.	senecta	senectus
	levi	evi
	duritiam coeli	duritia celi
36.	auderent	*Furia de Flor. script.* audirent *tacet.*
	Pactium	pacium
	tendere omnes	omnes *om. Flor.*
37.	dispartit	dispertit
	Insechi	*Insochi
39.	libratoribus	*libritoribus *Furia non vidit.*
	caput	capti, *idque in* capitis *corr.*
40.	productiore cornuum sinistro	*productior cornus in sin.
41.	quod moenibus cingebatur ita repente atra	quod repente moenibus ita atra
	infensantibus deis	infensantibus de deis
42.	aestimandum	extimandum
43.	insulas	insulam
45.	Rufii Crispini	Rufi Crispi
46.	adiiceret	addiceret
	nil e cont.	nichil e cont.
47.	solutius	solitius
	Sallustianos	salustianos
	perinde	proinde
49.	suaderet dissuaderetve	suadere dissuadereve licere
50.	congruerent	congruere

	Walther.	*Mediceus cod.*
CAP. 51.	nisi in iis	nisi in his
52.	Sulpicium Camerinum	Supplicium Camelinum
54.	legatis	legum
	inter patres	inter partes
55.	Ansibarii	Amsibarii
	iis	his
	Usipiorum	usiporum
	superfunderent	superfundere
56.	Avitus	habitus
	Ansibariis	Ampsivariis, *et infra* Ampsivariorum
	Boiocalo	bolocalo
	Usipios	usipos
57.	Cattosque	catthosque, *et infra* catthis
	ardentem	arentem
	vertebant	*vertebantur
58.	quae octingentos et quadraginta	quae septingentos et quadraginta
	reviresceret	revivesceret

Annalium liber quartus decimus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
CAP. 2.	dominationis	dominitationis
3.	praegravem	praegrave
	ne quis illi	ne quis illó
4.	excepit	*excaepit
	promontorium	promunturium
	adluitur	allavitur
5.	oneri	honeri
	dedere	dēre, *in marg.* c̃d'mere
7.	ne auctor dubitaretur	auctor dubitaret
	credebant, ut	ut *om. Flor.*
	respicere	respiceret
	sciscitaretur	si scitaretur
	imperanda	imperande
	illo sibi die	illos inbidie
	Agerinun	agerrimum
8.	votis	vocis
	disiecti	deiecti
	in mortem	morte
11.	Adiiciebat	adiciebant
	posteaquam	postquam
12.	statueretur	statuerentur
	tum mitigata	tām mitigata
13.	Cunctanti	cunctare
	senatum	senatu
15.	scenam	*scenas
	hi	hii
16.	cum discordia	tum discordiae
	eruerentur	rueretur
17.	contentione	*incentio
	Livineius	libidine eius

Walther.		*Mediceus cod.*
Cap. 17.	deinde	dein
	deportati	*sic Flor.*
	Livineius	lividineius
20.	institutum	institum
	quid super.	quis super.
	iustitiam	iustitia
21.	transiit	transit
22.	celebratur	* *sic Flor.*
	interpretatio	intrã. et actio
23.	immitis iis	immitis his
24.	Taurannitium	* *sic Flor.*
26.	animis	* aninis
	Ummidii	Immidii
28.	cuius ii	cuius is
	Vibius	vivius
	A. Didius	havitus
29.	provinciam	provincias
30.	milites	* militem
	sternuntque	strenuuntque
31.	Icenorum	ygenorum
	Trinobantibus	trinovantibus
	omnes fortunas	omnis fortunas
32.	Britannus	britiamnus
	Petilio	Petio
33.	cecidisse constitit	caecidisse consistit
34.	vicesimariis	vicesimaris
35.	Boudicea	bouducea
	ductu	dictu
	nec sen. quidem	*sic Flor.*
	viri et	viris et
37.	effugio	effugium
	confixaque telis	confixa teli
	Boudicea	boudicea
38.	e Germania	ex Germania
	in urbem	in urbe
39.	ex libertis	e libertis
	remigiumque in iis	remiguinque in his
43.	evenit	venit
	profuerit	profuit
	avertit	advertit
44.	occuluit	„occul uit M^{a}. *lacunae recentior manus syllabam* ta *inseruit.*" *I. Bekker.*
	iisdem	idem
46.	iisdem	idem
48.	Tigellini	tigellani
	senatu	senatui
50.	Veiento	Vegento
51.	an veneno	aut veneno
	aversatum	adversatum
	Tigellinum	tigillinum, *semper.*
52.	venisset	evenisset
	Mytilenense	mytelense
54.	Iube eas	iubere
55.	Quod meditatae	et quod medit.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 57.	mora	moras
58.	Plauto	plautio
	famam: vulgoque fingebant	n fama vulgoque fingebat
	Asiam	asya
	transisse	transissent
	effugeret	effugere
59.	referam	referebam
60.	tibiis	*per tybias
	victis	victi
	et ex mediocr.	et *om. Flor.*
61.	malle	mallet
63.	comperta edicto	*compertae dicto
	Pandateria	pandeteria
64.	ut quicunque	quicumque
65.	adversatum	ros rum adversatum

Annalium liber quintus decimus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 2.	certamina	certam in
	in integro	integro
	exturbari	exturba
4.	Tigranem	tygranem
	Tigranocerta	tyranocertam, *idem c.* 5, *extr.*
	inerantque	inheserantque
5.	circumsedere	*sic Flor.*
7.	tristi omine	tristione
	consularia	*consiliaria, u *eraso.*
	hostiaque quae	ostia quaeque
9.	connexas	conexa
	in quos ... permeabant	in quo ... permanebant
13.	Caudinae ac Numantinae cladis	*caudine numantineque eandem
	regi	rei
	utilem	utile
14.	quo de Armen.	quod Armen.
	post a Paeto	*posthac P.
	et si qua Caesares	*et si qua ces *ante hiatum*
	memoravit	memorat
	testis iis	testis his
15.	documentum	docimentum
16.	abfuisse	affuisse *corr. in* aufuisse
	Adiecit	adicit
18.	tum omissa	dum amissa
	spreta	spreto
20.	provincialium	*provinciarium
	iudicio	iudicia
23.	Iovis	iobis
24.	adprobatam	adprovatam
26.	adversa in inscitiam	adversa inscitiam

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 27.	pellit sedibus	pelluit sedibus
28.	honore eius	honor eius
	dextras	dexteras
29.	multum	militum
	sublatum capite	sublati capiti
	iturum	iterum
30.	buccina	bucina
31.	inerat	inherat
35.	abreptique	abrectique
36.	prospera	prospere
	maestos	mestos
	iter aditurus esset	auditurus esset
37.	locis	*locum locis
	exemplar	*exemplum
40.	post	**sic Flor.*
	levis et rursum	*lebis rursum
41.	quo et	et quo
42.	ostia Tiberina	hostia tyberina
	connixus	conisus
45.	Carinate	* Caprinate
48.	adversus amicos	adversum amicos
49.	amor	amore
	Quintianus	*sic Flor.*
	ultum	multum
50.	imperii deligendumque, qui	imperia deligendúm quoque
	Vulcatium	vulgacium
	Tugurinum	augurinum
	Martium	Marcium
	Granius Silvanus	Gavius Silanus
	Fenio	Faenio
	Flavius	Flaus
51.	Erat chiliarchus	erant varchus
52.	hospitales	hospitiales
	operam	*om. Flor.*
	adversus	adversum
53.	accidens	accedens
	Scevino	Scaevino, *semper.*
	detraxerat	deae traxerat
54.	asperari	aspernari
	Milichum	melicum
55.	Epaphroditum	et aphroditum
	audierat coniectaveratque	audierat coniectaverat (v)
56.	cum exorta	tum exorta
	Glitium	gligium
57.	Epicharin	apichari
	connisa	*conisa
58.	iuncta	vincta
	Flavio	Flavo
59.	adversum hoc	adversum haec
	vincirent	vincerent
	matrimonio abstulerant	matrimonio abstulerant *cum hiatu.*
63.	supersedeo	supersideo

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 64.	famam sociatae	fama societatem
67.	Flavii	Flavi
	Flavius	Flavus
68.	ex intima sodalitate	ex inima sodialitate
69.	induere	adiungere
	occupare	occuparet
70.	Exin M. Annaei Lucani	eximmane na et lucani
71.	Granius Silvanus	Gavius Silanus
	Caesonius	caesennius
72.	quia	qua
	ipse	ipsa.

Annalium liber sextus decimus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	Poenus	plenus
	turbida	turvida
2.	adferrentur	*id exhibet Furia.*
	a narratoribus	*De* anaratoribus *Furia tacet.*
5.	adversus inlustres	adversum inlustres
8.	exitio	etio
10.	Pollutia	Polutia
	invisi principi	invisit principi
	muliebri eiulatu	mulieri helutatu
13.	vicina urbi	* menia urbi
	turbidis	turbis
15.	corporis robore	corporis corporis
16.	ab iis	ab his
17.	Rufius	rufus
	ac C. Petronius	ac Petronius
	Rufium	rufrium
18.	per somnum	per somnium
21.	referretur	ferretur
22.	et Thraseam	et *om. Flor.*
	Favonios	Fabonios
	amovisti	admovisti
23.	Ostorius Sabinus	* torius savinus, *idem c.* 30.
24.	quod ubi non evenit	quo dubie non venit
27.	adripuere	corripuere
28.	in iisdem	in hisdem
	Paconium	Ragonium
	increpantem	* increpantium
30.	Rubellii	rubelli
	et quod	et quot *Furia non vidit.*
32.	Plauto	plautio.

Historiarum liber primus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	livor	libor
2.	in Oriente, adversae in Occidente res: turbatum	in orientes adversae in occidentes. returbatum

	Walther.	*Mediceus cod.*
CAP. 2.	etiam prope	etiam prope etiam
3.	audentes	audientes, *corr. in* obedientes
	tristia	tristitia
4.	usurpata	usurpatam
	integra	integram
6.	Cingonio Varrone	ciconia barrone
7.	ultro compositum	*sic Flor.*
8.	dono	domino
11.	Mauretaniae	Mauritaniae
12.	multi stulta	* militis tulta
13.	in dies	in diem
14.	Ducennio	ducenio
15.	sint	* sit
	Est tibi frater	et tibi frater
	principem quemcunque	quemcumque principem
16.	possit	posset
	depulere	depulereunt
	utilissimus idem ac brevissimus bonarum	* utilissimus bonorum idem ac br. bon.
18.	duodevicesimam	* duodevicensimam
19.	Crebrioribus in dies	crebioribus in die
	is cons. intercessit	his cons. intercessit
20.	auctionibus	* actionibus
21.	audendumque	audiendumque
25.	militiae terrebantur	* militi etrēbantur
28.	isque	hisque
29.	incertum quem senat.	incertumque senat.
30.	comissationes	comessationes
	adversum duces	adversus duces
	donativo	*sic Flor.*
31.	Amulio	Amuelio
	arcesserent	accerserent
	Longinum	Longinus
	Celsum	* festium
34.	multi	multa
	vulgaverint	volgaverant
36.	vulgum	volgus
37.	Obultronii Sabini	obultroniis a^{l}bini
	Polycleti et Vatinii et qui alii	polycliti et vatini et aegialii
38.	arcessit	accersit
	apud quos omne	apud quod om̃s
39.	quorum temp.	morum temp.
41.	varie prodidere	variae prodere
45.	ad supplicium	ad *om. Flor.*
	exitio	exilio
46.	suspectus	suspecta
	Sabinum	savinum
47.	omisisset offensas	* omisisse aut fensas
49.	magis extra vitia	magnis extra vicia
50.	in templa	in templo
51.	decus	dedecus
	contractae	* confractae
	quae Rhenum	qua herenum
52.	Fabius	bius

	Walther.	*Mediceus cod.*
CAP. 52.	ostentans	obtentans
54.	suas iniurias	in suas iniurias
	civitatum vicinarum	vicinarum civitatium
55.	piget	pigit
	dirumpunt	dirrumpunt
56.	abrepti	abrecti
	et populi Romani	ac pop. Rom.
57.	Treveri	treviri
	pecunias	pecuniam (s superscr.)
59.	Taurina	Tauriana
60.	foedis	faedus
61.	Peninus	* paennis
62.	nomen ... additum	nom̄ ... addito
	omen acciperetur	nomen acciperet
63.	Treveros	treviros
	raptis	*raptisae
	cupidine, sed furore	cupidinem et furore
64.	Leucorum	* leuclirorum
	quartadecuma	quattuordecima
	deferre	deferret
65.	contra daret	* c̃araderet
66.	posse	posset
	ignari	ignaris
	vetustas	vetusta
	Fabii	Fabi
67.	Caecina	* prae Caecina
	Helvetii	helveti
68.	ipsi in medio vagi	ipsi medio nagi (v superscr.)
76.	a Iulio	ab Iulio
	omnesque versae in Orientem pr. ... tenebantur	om̃sque versam in or. pr. ... tenebatur
77.	Poppaeus	*Pompeius
	Flavio Sabinis	flabio savinis
	honoratis	honoris
	Sevino Pomptino	Saevino p^3q^o: se: *in marg. ab eadem manu* promptius *adscriptum est.*
78.	pudore	pudorem
79.	Rhoxolani	Rhosolanis
	miseria	mĩa
82.	Proculus	et proculus
84.	quem nobis	quae nobis
	ne miles	nec miles
85.	conversis	*sic Flor.*
86.	speciem	specie
	vulgus	*Ab antiqua manu haec verba in marg. adposita sunt*: hic deficit unum folium. dimittatur spatium pro dicto folio.

Historiarum liber secundus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 3.	Aeriam	veriam
	intulerant	intulerat
	metae	meta
4.	per ambages	perambales
7.	belli exitum	*bellum cum hi
8.	aufugeret	afugeret
9.	permiserat	per se miserat
	Cythnum	scithinum
	Trierarchi	trierarchis
10.	ob	hoc
	cognitionem	cognationem
	principatu	principatum
12.	corruptus	corruptius
		ium
13.	Albium Intemelium	*albiniti militum
14.	adactae classem	audacatem e classem
	Fabio Valenti trepidi nuntii	trepidi nuntii Fabio Valenti
	universam Treverorum	universa mire virorum
	quingenti	quingentis
	paganis	paginis
16.	Pacarii	pacari
	iuvare	iuravere
	imperitorum	imperatorum
	Pacarium	picarium
17.	Sullana	* siliana
18.	quiu proditionem	*qui pro othonem
20.	uxorem autem eius	*uxorem quoque tum eius
	aegris	agribus
	in aequo	inequos
	famam	fama
21.	glandes ac missil.	flandes et missil.
	obsessos	obsesso
22.	cratibus	gradibus
	praetoriani	praetorianis
	rediere	redire
	pudore	fama pudore
	Briganticus	breganticus
23.	promptus	promptius
	restiterant	resisterant
	repressus	reprehensis
	Celsi	*c silii
		rum
24.	auxiliarium	auxiliarios
	coorirentur	coercerentur
	incessit	ingessit
	e praetorio	et praetorio
25.	cedente	cedunt. e
27.	perinde	proinde
28.	Treverorum	ire virorum
29.	obire	circuire *eadem manus in marg. posuit.*
31.	Tum Suetonius	tunc Suetonius

Cap.	*Walther.*	*Mediceus cod.*
Cap. 32.	Moesiacis	Moesaicis
33.	in incerto	in *om. Flor.*
34.	fluitabant	fluvitabant
	turris	turbis
35.	nec perinde	nec proinde
37.	consularium	*consiliarium
39.	Nec perinde	nec proinde
	factu	factum
40.	Adduae	aduae
41.	ea strictis	*et astrictis
	acies	*arae
		vo
	currentium, vocitantium	*adcurrentium clamantium
	relabebantur	*relebebantur
42.	Omisso	omisse
	gladiis	gladibus
46.	habere	haberet
47.	sterni	streni
48.	nec ut periturus	ne cui perit.
		u
49.	utrumque	utrimque
50.	coetu	caetum
54.	Coenus	*sic Flor.*
55.	cessisse vita	vita *om. Flor.*
	Germanicos exercitus	Germanicum exercitus
	immoderate	immoderatae
58.	Albino	alvino
	Luceius	Lucceius
59.	principis	principi
61.	Aeduorum	haeduorum
63.	Ostiae	hostiae
65.	Lugduno	ligunduno
	Vettius	bettius
66.	Augustae Taurinorum	augusta taurin.
67.	iussi	*iussit
68.	severitatem	severitate
	perinde	proinde
	diductis	deductis
	viri consularis	viri *om. Flor.*
69.	adfectae iam	*adfectae tam
70.	lauru rosisque	lauru rosasque
72.	Istria	histria
74.	de Syria	de siria
76.	effectu	effectum
	tam salutare	tamquam salutare
	torpere	torpore
77.	tu hos exercitus	tuos exercitus
	sed et meliorem	sed meliorem
78.	Iudaicae	*iudaeicae
79.	haec Iud. caput	hoc Iud. caput
80.	adsistentes	*adsistent.
	illis ... mos est	illi ... mos est
81.	Sohemus	sohaemus
	excitus	exercitus
82.	suis quaeque locis	suis quoque locis

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 83.	litora	*in litora
85.	adliciebant	allictebant
86.	belli	bellum
	Poppaeus	Pompeius
92.	a praefectura	*ad prefectura
	plebes	plebs
93.	Gallorumque	gavorumque
94.	Flavius	flavus
	insitam inerti animo	*insitam mortem animo
	abundantia	abundantiae
95.	creditur	crederetur
96.	mollius	mullius
	exauctoratos	exaucto rato
98.	suomet astu	*suo mestatu
100.	legiones Cremonam	leg. eremona
	Patavii	patui
	Lucilius Bassus	Lucilius blaessus.

Historiarum liber tertius.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 4.	Titus Ampius	tampius
5.	Iazygum	iazugum
	in partes	in parte
	Suevorum	sueborum
	missus. nec his	missum. nec is
6.	male parta	male parata
	Opitergii	opitergi
7.	Vedio Aquila	video Aquila
8.	per Raetiam	*prētiam
	post res adferebantur	partes adferebantur
9.	inrumpit	inrupit
10.	Dillius Aponianus	dillus apontanus
	ac probris	*sic Flor.*
	ad ferendam	auferendam
11.	veluti tabe	velud tabe
12.	obtruncatis	*obûbratis
13.	in arto commeatum	*in arte commeatuum
	principi	principis
16.	integri suomet ipsi	integrum suum et ipsi
17.	restitere	resistere
18.	provecta. sed	*provectas. et
19.	plano sitam	plane sitam
20.	adgredienda	is adgredienda
21.	a laevo	in alaevo
22.	a Galba	adgaba
24.	tolerent	tollerent
26.	fesso ... exercitu	*fessos ... exercitu
27.	e proximis	ex proximis
	ligones	legiones
	contisque	concitisque
32.	maiorum opum	maiorem opum
33.	Mephitis	mefitis

	Walther.	*Mediceus cod.*
		i
Cap. 34.	a primordio sui	a primordio suo
		ae
	Cremonenses captivos	Cremonensem captivom
35.	Alpinum	Alpinium
37.	Rebilus	rebitus
42.	Apennini	appenninis
		iam
43.	claustra maris	claustra maris
	ubi paratu	vi paratu
44.	inditus	*indictus
45.	Cartis manduam	cartimanduam
47.	praepotens libertus	libertus praepotens libertus
	connexam	conexam
	adpellere	appellare
50.	Poppaeus	Pompeius
	ad omniaque	ad *om. Flor.*
51.	qnam quae	quamquam
		u
52.	Umbriam	cimbriam
	ex eventu	ex ventu
	ab Vespasiano	a Vespasiano
	iique omnes	hique omnes
55.	secuta e classicis legio	secutae classicis legio
56.	nec ubi	*nec vi
	consilii	consiliis
	summi	summis
57.	Minturnis	inturnis
58.	haud perinde	haud proinde
59.	nives eluctantibus	nive se luctantibus
	Flavio	Flaviano
60.	Campaniae	capiniae
	ne concupiscerent	nec concupiscerent
61.	extemplo	*sic Flor.*
65.	propior	proprior
66.	promitti: sed	promittis: et
	aemulato rediturum	emulatore diturum
	tres cons.	res cons.
67.	filii	filia
68.	interclusum	interclausum
69.	tradere haud promptum	aut tradere haud promptum
70.	convenisse	contēnisse
72.	Pulvillus	pulvilius
	inter tanta Caesarum	*inter ta caesrum
74.	navatae	enovatae
	a proximis	a *om. Flor.*
75.	dirempta	direpta
76.	Tarracinae	Terracinae
	Apollinaris	pollinaris
77.	reliquae ... captae	*reliquas ... captae
	aut nimio ...	ut nimio ...
81.	dirempta	direpta
83.	alibi proelia	alii proelia
84.	ludibrio	*sic Flor.*
86.	Praecipiti	*praecipit

Historiarum liber quartus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 3.	Verginii	*vergilii
4.	respexere	*respere
5.	Tarracinae	*carecinae
6.	urnam	nurnam
8.	huiusmodi imagines	eiusmodi imagines
11.	stipatus	stipatis
	caedes	cedem
13.	multo	multos
	adiit	adit
	aut Hannibalem	haud annibalem
14.	attollerent	at tollerent
	Germanos	*om. Flor.*
15.	omine	homine
	praevidissent	providissent
16.	eius belli	*sic Flor.*
	directa	derecta
17.	utrumque	utrimque
18.	pulsis	pulsus
	invidiam	invidia
19.	Bonnam	bonam
20.	Herennio	Herrennio
	erumpunt	rumpunt
	Bonnense	bonense
22.	ut copiae	vi copiae
	lucisque	iuusgue
24.	omine exsolverent	homine exsolveret
25.	Bonnam	bonam
	directam	derecta
	armatae	*armai
		con
29.	conspicuam	perspicuam
	casus incerti	*om. Flor., sed in marg.* corsus inceptti
	gnarus	*ignarus
31.	e victis	evictus
	militiae	*sic Flor.*
32.	laboris	laborum
	iidem	idem
33.	intentos hostis	intento hostis
34.	immane	inmanem
35.	Novesium	novaesium
	rursus	rursum
	desertos se	desertosque
36.	perinde	proinde
37.	mixtus ex Cattis	mixtus et Caitis
	Usipiis	usipis
40.	Tertio	tettio
41.	Actianum	tatianum
	destitit	destit
	Pactium	paccium
42.	Vipstanus	viptanus
	accusationem	accusatio

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 42.	aut salutem	*austa lutem
44.	Postumiam	postuminam
46.	destinarentur	destinaretur
	prensare commanipularium	*sic Flor.*
	innecti	invecti
	in pari causa	in *om. Flor.*
	quo tutissimo	quod tutiss.
48.	ac M. Silanum	ad M. Silanum
49.	suspecta	*suscepta
	cecidisse	cedisse
50.	Bebius Massa e procuratoribus	hebius masse procuratoribus
	Oeensium	Offensium
51.	millia	*om. Flor.*
52.	perinde	proinde
	munimenta	monimenta
53.	Plautio Aeliano	*plauto aeliano
	coepta	*ceptas
	argenti aurique	argenti et aurique
	gignuntur	*signuntur
54.	Gallias Germaniasque	Gallias et Germaniasque
55.	incendebatur	*incedebat
	obstrinxere	obstrixere
	dispecturas	*discepturas
56.	reliquiis	reliquis
	adliciendos	*aliciendo
	Claudius	gladius
	conventum amandatum	commentum amendatum
57.	Aeduos	haeduos
58.	Vetera	veteras
59.	Agrippinenses	agrippienses
61.	figendos	fingendos
63.	Agrippinensem	agrippiensem, *et paulo post* agrippiensi
	honorate custodierant	honorata custodiae erant
	Ubios	ubihos
64.	Agrippinensium	agrippieniensium
65.	Agrippinensium	agrippiniensium, *idem c.* 66.
66.	intulit se	intulisse
	Betasios	bettasios
68.	Varus praetorianis praepositus	varrus praetorianis praeposito
	Tullio	tulio
70.	avunculo	avonculo
	secutis	sicut is
	perfugerunt	perfugerent, *ultimis litteris expunctis.*
	exitium	excidium
71.	facturus	facturis
	Magontiaci	mogontiaci
76.	obtererentur	optererentur
	ex reliquiis Germanici exercitus	e reliquis germanicis exercitus
	imperiti adulescentuli	*inter* imperitia *et* adulescentuli *deletum aliquid.*

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 79.	integri: quae e Chaucis	integraque et ex cauchis
80.	averso	adverso
81.	coeli favor	celis est favor
	aestimari	estimari
82.	abfuisse	aufuisse
83.	eadem species	cedem species
	patrarentur	paterentur
84.	Ptolemaeo	Ptolomaeo
86.	interpretabatur	*Verba, quae in aliis libris addita sunt,* neque vos impunitos patiantur, *om. Flor.*

Historiarum liber quintus.

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 1.	Sohemusque	*sic Flor.*
2.	adcolas Idaeos	adcol. iudeos
3.	Moysem	*mosem, *postea bis* Moyses
	utrimque	utrisque *sine* ab
	dicata	dedicata
4.	quod ipsos	*qua ipsos
	detinetur	*sic Flor.*
	e septem	de septem
5.	animasque ... aeternos	animosque ... aeternas
	imitabile	*imitabilem
	concinebant	continebantur
6.	a latere	e latere
	fruges	exuperant fruges
	certo anni	tempore *ab eadem manu superversum est.*
7.	torridam	torrida
	Ego sicut	et sicut
	Belus	Bellus
	arenae	harenae
8.	Persas	*persatas
9.	Simo	Simon
10.	excepere	excipere
	parta	parata
	rediere	redire
	utilius	*utilis
12.	ambiebatur	*Furia tacet de* ambibatur
15.	vulnerato	volneratis
	Cerialis	cerealis, *ut saepe.*
16.	adstitit	astitit
	Gugernique	Cugernique
	e longa pace	ex longa pace
	sperabantur	sperabatur
17.	ciens	sciens
19.	diruit	diluit
	Alpinus	Alpinius
20.	legionum	legionem
	uno die Civilis quadripartito	modis civilis quadripartita

	Walther.	*Mediceus cod.*
Cap. 20.	divisis	divisi
	pluribus	pluris
	ceteri se munimentis	ceteris eminentis
21.	diximus	duximus
	Veracis	Germani
	ut iussum erat	et iussum erat
22.	Bonnamque	bonamque
	noctem	nave
23.	incessit	invasi incessit
	commeatus Gallia adventantes interciperent	commeati Galliam adventantes interciperentur
26.	in Pannonia	in pania.

INDEX ADNOTATIONUM.

B.

C. K. X.

D.

F.

G.

H.

I.

L.

O.

R.

S.

T.

U.

V.

Verzeichniß
besonders
philologischer Werke,

welche im Verlage von C. A. Schwetschke und Sohn und der Gebauerschen Buchhandlung zu Halle erschienen und durch alle Buchhandlungen zu beziehen sind:

Aeschyli tragoediae, recensuit et commentario illustravit *C. G. Schütz*. 5 Vol. 8 mai. 1809—1822. 10 thl. 12 gGr.
charta script. 11 thl. 18 gGr.

— tragoediae VII., denuo recensuit et versionem lat. adiecit *C. G. Schütz*. 2 Vol. 8 mai. 1800. 3 thl. 6 gGr.

— — in usum scholar. ed. *C. G. Schütz*. 12mo. 1827. 12 gGr.

Apparatus criticus et exegeticus in Aeschyli tragoedias. 2 Voll. Vol. I. contin. *Th. Stanleii* commentar. in Aeschyl. tragoed. ex schedis auctoris mss. multo auctior ab Sam. Butlero edit. Accedunt *Caroli Reisigii* emendat. in Prometheum.
Vol. II. contin. *Abreschii, F. L.*, animadversionum ad Aeschyl. libros III. 8 mai. 1832. Preis für beide Theile 4 thl. 12 gGr.

Aeschinis et *Demosthenis* orationes de corona ex recognit. *Im. Bekkeri*, accedunt scholia partim inedita. 8 mai. 1 thl. 12 gGr.
charta script. 1 thl. 20 gGr. velin. 2 thl. 21 gGr.

Anacreontis carmina, textum recens. et animadv. crit. illustravit *E. A. Moebius*. 12mo. 1810. 14 gGr. chart. script. 20 gGr.

Antimachi Colophonii reliquiae, nunc primum conquirere et explicare instituit *C. A. G. Schellenberg*, accessit epistola *F. A. Wolfii*. 8. 1786. 6 gGr.

Aristophanis Ranae, edidit, commentar. illustr., varietat. lect., Scholia graeca indicemque adiecit *I. G. C. Hoepfner*. Vol. I. 8 mai. 1797. 21 gGr.

Arriani historia Indica cum Bonav. Vulcanii interpretat. lat. permultis locis emendat. recens. et illustr. *F. Schmieder*. 8 mai. 1798.
1 thl. 9 gGr. charta script. 1 thl. 12 gGr.

Athenäum, Zeitschrift zur Beförd. der humanist. Studien herausgeg. von Fr. Günther und W. Wachsmuth. 3 Bände. 8. 1817 u. 18. 3 thl.

Bernhardy, L. G., Grundriſs der römischen Literatur. gr. 8. 1830
1 thl. 12 gGr.

Boeckh, *A.*, commentat. in Platonis Minoem eiusdemque libros prior. de legibus. 8 mai. 1806. 21 gGr. charta script. 1 thl.

Boysen, F. E., Geschichte der Römer bis auf den Untergang des abend- und morgenländ. Kaiserthums. 3 Theile. gr. 8. 4 thl. 15 gGr.

Casauboni, *I.*, de satyrica Graecor. poesi et Romanor. satira libri duo, cum not. Crenii, quibus suas adiecit *I. I. Rambach*. 8 mai. 1774. 1 thl. 9 gGr.

Ciceronis orationes XIV. sel. mit histor. Einleit. und den wichtigsten Anmerk. berühmter Ausleger von F. Schmieder. 2te Ausgabe. 8. 1821. 1 thl.

— epistolae temporis ord. dispositae, recens. selectisque interpret. suisque annot. illustrat. *C. G. Schütz.* 6 Tomi. 8 mai. 1809—1813. 8 thl. 8 gGr. charta script. 12 thl. ch. vel. 18 thl.

— *M. T.*, Cato maior, somnium Scipionis, Laelius et paradoxa et graecis interpretationibus Th. Gazae, Max. Planudis, Dion. Petavii, Adr. Turnebi. Accedit incerti scriptoris rhetoricorum ad Herennium III., 16.—24. Interpretatio graeca. Ad fidem codd. et edd. recensuit et annotationibus instruxit *Philippus Carolus Hess.* 8. 1833. 1 thl. 8 gGr.

Collectio novissima scriptor. et monumentor. ineditor. et rarissimor. ex bibliotheca *C. F. I. Fischeri.* 2 Partes. 4. 1781 u. 1782. 2 thl. 12 gGr.

Cornelius Nepos textu recognito selectis alior. suisque notis maxim. part. grammaticis illustr. *G. F. Günther.* 8. 1820. 1 thl.

Demosthenis oratio in Midiam, graeca recensuit, scholia vetera, annotat. crit. et commentarios adiecit *M. H. E. Meier.* Particula prior. 8 mai. 1783. 1 thl. 12 gGr.

Diodorus Siculus edid. *H. L. A. Eichstaedt.* Vol. I. et II. 8 mai. 1800 u. 1802. 5 thl. 16 gGr. charta script. 7 thl. 8 gGr.

Dionysii Halic. historiographica h. e. epistolae ad. Cn. Pomp., ad Q. Ael. Tuber. et ad Amm. altera, cum prior. edit. suisque annotat. edid. *C. G. Krüger.* 8 mai. 1823. 3 thl. charta script. 3 thl. 18 gGr.

Ernesti, *I. M.*, clavis Horatiana brevior. 8 mai. 1819. 1 thl. 12 gGr.

— — onomasticum poetar. inprimis Horatii illustr. s. interpres rer. ad. mytholog. geograph. histor. pertinent. 8 mai. 1819. 14 gGr.

— — parerga Horatiana. 8 mai. 1819. 12 gGr.

Euripides Hecuba, mit Commentar von *A. Lafontaine.* 8. 1826. 16 gGr.

Fofs, *H. E.*, de Gorgia Leontino, interpositus est Aristotelis de Gorgia liber emendat. editus. 8 mai. 1828. 18 gGr.

Freytag, *G. W.*, Lexicon arabico-lat. praesertim ex Dieuharii Firuzabadiique et alior. Arabum operibus, adhibitis Golii quoque et alior. libris confectum, accedit index voc. lat. locupletiss. 3 Tomi. 4 mai.

Glossarium manuale mediae et infimae latinitatis ex magnis operibus Cangii, Carpentarii aliorumque Benedictinorum concinnat. innumeris fere in locis emendat. auctum. 6 Voll. 8 mai. 1772—1784. 15 thl.

Günther, F., Anleit. z. übersetzen aus dem Deutschen in das Griechische. 8. 1r Cursus. 4te Aufl. 15 gGr. 2r Curs. 2te Aufl. 18 gGr. Deutsch-griech. Wörterbuch zu beiden Cursus. 3te Aufl. 6 gGr.

— — kurzgef. deutsch-lat. Grammatik, Anweisung z. grammat. richtig. übersetzen aus dem Deutsch. in das Latein. 8. 1824. 4 gGr.

— — de usu praepositionum apud Homerum. 4. 10 gGr.

Handbuch, grammat.-kritisches, für angehende Lehrer der latein. Sprache. gr. 8. 1796. 1 thl. 6 gGr.

Harlesii, *T. C.*, opuscula varii argum. 8 mai. 1773. 1 thl. 6 gGr.

Harris Hermes oder philosoph. Untersuch. der Sprache und allgem. Grammatik, übersetzt von *C. C. Ewerbeck*, mit Anmerk. von *F. A. Wolf*. gr. 8. 1788. 1 thl. 9 gGr.

Herodoti Halic. hist. libri qui enarrat. pugnar. inter Graecos et Persas complect. c. summar. animadv. super. interpret. excerptis atque suis et indicib. novis edid. *D. Schulz*. 2 Vol. 8 mai. 1809. 4 thl. chart. Vel. 7 thl.

Hetzel, W. F., allgem. Nominal-Formenlehre der hebräischen Sprache. gr. 8. 1793. 1 thl. 6 gGr.

— — institutio philol. hebraei. 8 mai. 1793. 12 gGr.

— — novi foederis volum. sacra vir. clariss. opera ac studio e scriptor. graecis illustr. Vol. I. P. 1. 8 mai. 1788. 3 thl.

— — Geschichte der hebr. Sprache. 8. 1776. 18 gGr.

Homeri Ilias ex recens. S. Clarkii edid. *A. H. Niemeyer*. 2 Voll. Edit. altera. gr. 8. 2 thl.

Horatius Brief an die Pisonen übers. v. *K. I. Brohm*. 4. 1825. 4 gGr.

— Satyren übers. mit Anmerk. v. *I. I. Harmsen*. gr. 8. 1800. 21 gGr.

Hymni Homerici et Batrachomyomachia, addita est Dem. Zeni versio Batrach. et Theod. Prodromi Galeom. textum recens. et animadv. crit. illustr. *C. D. Ilgen*. 8 mai. 1796. 2 thl. 8 gGr. charta script. 2 thl. 16 gGr.

Iacobi, *A.*, initia geometriae symbolicae. Cum 4 tabulis. 4 mai. 1831. 16 gGr.

Isocratis opera emend. variet. lect. animadv. crit. summario et indice instruxit *W. Lange*. 8 mai. 1803. 4 thl. ch. script. 5 thl. 8 gGr.

Kanne, *I. A.*, anthologia minor s. florileg. epigrammat. graec. ex anthol. *Planudea* et *Brunckii* adiectis versionib. lat. *H. Grotii*. 8 mai. 1799. 1 thl. 6 gGr.

Kanngiesser, *P. F.*, Grundriss der Alterthumswissenschaft. gr. 8. 1815. 1 thl. 18 gGr.

Keferstein, *C. G.*, de bello marsico, liber singul. 8 mai. 1812. 8 gr.

Koran, der, oder das Gesetz der Moslemen, durch Muhammed den Sohn Abdallahs. Auf den Grund der vormal. Verdeutschung J. F. Boysens von Neuem aus dem Arabischen übersetzt, durchaus mit erläuternden Anmerkungen, mit einer histor. Einleitung und einem vollständ. Register versehen von Dr. S. F. G. Wahl. gr. 8. 1828. 3 thl. 12 gGr. Schrbpap. 4 thl. 12 gGr.

Krüger, *C. G.*, de authentia et integritate Anabaseos Xenophonteae. 8 mai. 1824. 9 gGr.

Lange, *W.*, griech. Lesebuch, Erzähl. aus Aelian mit Anmerk. und Wortregister. 8. 1797. 9 gGr.

v. Lengerke, *C.*, comment. crit. de Ephraemo Syro s. s. interprete, quae simul versio Syr. quam Peschito vocant. 4 mai. 1828. 12 gGr.

Livius, T., Römische Geschichte, nach Drakenborch übersetzt mit Anmerk. u. Erläut. aus den Alterthümern u. mit Karten u. Kupf. versehen von G. Große. 7 Theile. 8. 1789—95. 12 thl. 18 gGr.

Locmani fabulae, adnotat. crit. et glossario explanatae ab *A. Roedigero* addita cod. ex. Aegypto collatio nova. 4. 1830. 1 thl.

Luciani, opera omnia maxime ex fide codd. Par. recensita edid. *F. Schmieder*. 2 Voll. 8 mai. 6 thl. ch. script. 7 thl. 6 gGr.

— — Toxaris graece prolegom. instruxit annotat. et quaest. adiecit *C. G. Iacob*. 8 mai. 1825. 1 thl. 12 gGr.

Meier, *M. H. E.* u. *G. F. Schömann*, Der attische Procefs. 4 Bücher. Eine gekrönte Preisschrift. gr. 8. 1824. 3 thl. 12 gGr.

Mureti, *M. A.*, variar. lect. libri XIX c. observat. lib. singul. Edit. nova cura *F. A. Wolfii* et *I. H. Faesii*. 2 Voll. 8 mai. 2 thl. 12 gGr. charta script. 3 thl. 12 gGr.

Musaei Grammat. de Herone et Leandro carmen, recens. et illustr. *F. A. Moebius*. 12. 1814. 12 gGr.

Nemesius Emes. de natura hominis, graece et lat. emendatius edidit et animadvers. adiecit *C. F. Matthaei*. 8 mai. 1802. 3 thl. charta script. 4 thl.

Nitsch, P. F. A., Wörterb. der alten Geographie, herausgeg. und fortgesetzt von J. G. C. Höpfner. gr. 8. 1794. 2 thl. 6 gGr.

Ovidius, fünf Bücher Trauergedichte, aus dem Lat. mit Anmerk. (von Sell.) gr. 8. 1780. 12 gGr.

Paläphatus, aus dem Griech. mit mytholog. Anmerk. von (Motz.) 8. 1795. 12 gGr.

Phaedri, *A. L.*, fabularum Aesop. libri V. ex recens. *P. Burmanni*, cum sel. var. notis et suis observat. edidit. *I. G. Schwabe*. 3 Partes. 8. 1779—81. 1 thl. 21 gGr.

— — mit Anmerk. und Wortregister für Schüler von W. Lange. 2te Aufl. 8. 1823. 8 gGr.

Philetae Coi, *Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis* reliquiae, dispos. emendav. illustrav. *N. Bachius*, accedunt D. Lennepii et D. Ruhnkenii observat. integrae. 8 mai. 1829. 1 thl. 12 gGr. charta scr. 2 thl.

Plutarchi vitae parallelae Alexandri et Caesaris cum commentar. *F. Schmiederi*. 8 mai. 1804. 1 thl. 12 gGr.

Propertii, *S. A.*, carmina, cum potiore script. discrepant. praestant. V V. DD. coniecturis suisque observat. crit. edidit *H. Paldamus*. 8 mai. 1828. 1 thl. 20 gGr.

Sachse, C., Versuch eines Lehrb. der griech. u. röm. Literargeschichte u. class. Literatur f. Gymnasien. 8. 1809. 16 gGr.

Sallustii, *C. C.*, opera, textum recognovit et illustravit *W. Lange*. Edit. IIda. 8. 1824. 21 gGr.

Schmidt, K. E. A., phraseologia latina, Sammlung und Erklär. lat. Phrasen, besonders für Schulen. 8. 1830. 1 thl.

— — griechische Chrestomathie f. d. mittlern Klassen der Gymnas. enthalt. Auszüge aus Xenophon u. Isokrates u. einige Lukianische Gespräche. 8. 1831. 12 gGr.

Schmieder, B. F., Anleit. zur feinern Latinität in Übungen u. Anmerkungen. 2 Theile. 8. 1797. 1805. 1 thl. 18 gGr.

— — Lexikon über Cornelius Nep., welches Sprache und Sache vollständ. erklärt und viele Stellen in Anmerk. erläutert. 2te Aufl. 8. 1826. 18 gGr.

— — histor. philol. Bemerk. zur Erläut. der Briefe Cicero's ad diversos. 8. 1797. 21 gGr.

Stange, T. F., Beiträge zur hebr. Gramm. gr. 8. 1820. 16 gGr.

Suetonii vitae selectae in usum schol. recognovit et illustravit *H. Paldamus*. 8. 1829. 16 gGr.

Terentii comoediae sex, adnotat. perpet. adiecerunt *B. F.* et *Fr. Schmieder*. Edit. alt. 8. 1819. 1 thl. 12 gGr.

Testamentum novum, textum graecum Griesbachii et Knappii denuo recognovit, delectu variet. lect. testimoniis confirmat. adnotatione cum crit. tum exeget. et indicib. hist. et geogr. vocum graec. infrequent. et subsid. crit. exeget. edidit *I. S. Vater*. 8. mai. 1824. 2 thl. charta script. 3 thl.

Versuch einer neuen Behandl. der griech. Conjugation u. Declination, Handbuch zum leichten Verständniß der griech. Autoren. gr. 8. 1799. 1 thl. 6 gGr.

Voigtel, T. G., Versuch eines hochdeutschen Handwörterbuchs. 3 Bände. gr. 8. 1793—95. 6 thl.

— — genealog. Tabellen zur Erläut. der europ. Staatengeschichte. 2 Theile. fol. 1811. u. 29. 5 thl. 18 gGr.

Wachsmuth, W., Entw. einer Theorie der Gesch. gr. 8. 1820. 16 gGr.

— — Hellenische Alterthumskunde aus dem Gesichtspunkte des Staats. 2 Bände in 4 Abtheil. gr. 8. 1826—30. 9 thl. 12 gGr.

Walther, *G. H.*, observatt. ad C. Taciti opera. 2 specim. 8. 1819. und 1828. 10 gGr.

— *C. T.*, ellipses hebraicae, post Schoettgen. Denuo edidit. *I. C. F. Schulz*. 2 Partes. 1784. 1 thl. 6 gGr.

Xenophontis Memorab. Socrat., cum animadv. in difficil. loca et indice edidit *W. Lange*. 8. 1806. 1 thl.

— — recensuit *C. G. Schütz*. Edit. III. 8. 1822. 12 gGr.

— — Cyri Anabasis edidit *C. W. Krüger*. 8 mai. 1826. 2 thl. 6 gGr.

— — symposium graece recognovit et illustr. *G. A. Herbst*. 8. 1830. 18 gGr.

HALIS SAXONUM

FORMIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.